Digitized by Google

4
C
78

BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
4
C
78
NAPOLI

4 5
C
79

CODEX
CANONUM
Eccleſiæ Primitivæ
VINDICATUS
AC
ILLUSTRATUS.

Autore *GUILIELMO BEVEREGIO*
Eccleſiæ Anglicanæ Presbytero.

S. Athanaſ. ad ubique Orthodoxos.

Οὐ γὰρ νῦν Κανόνες καὶ τύποι ταῖς Ἐκκλησίαις ἐδόθησαν, ἀλλ᾽ ἐκ πατέρων ἡμῶν καλῶς καὶ βεβαίως παρεδόθησαν. ---ἵν᾽ οὖν μὴ τὰ ἐξ ἀρχαίων μέχρις ἡμῶν τηρηθέντα ἐν ταῖς Ἐκκλησίαις ἐν ταῖς νῦν ἡμέραις παραπόληται, καὶ τὰ πιστευθέντα ἡμῖν ζητηθῇ παρ᾽ ἡμῶν, κινήθητε ἀδελφοί.

LONDINI,

Typis *S. Roycroft.* Proſtant apud *Robertum Scott* Bibliopolam *Londinenſem.* M. DC. LXXVIII.

REVERENDISSIMO

IN

CHRISTO PATRI ac DOMINO,

D. Guilielmo

PROVIDENTIA DIVINA

ARCHIEPISCOPO CANTUARIENSI,

TOTIUS ANGLIÆ

PRIMATI ac METROPOLITANO,

ET

Auguſtiſſimo Principi CAROLO II. M. *Britanniæ*, *Franciæ*, & *Hiberniæ* Regi à Secretioribus Conſiliis.

AMPLISSIME PRÆSUL,

QVanta ſit Primitivam inter & eam cui ipſe præſides Eccleſiam concordia, neminem in utriuſque decretis, ritibuſque vel mediocri-

ter, verſatum latet, nedum Te in iis verſatiſſimum. Tanta nimirum eſt, ut nihilo fere inter ſe præterquam tempore diſtinguantur. Idem enim in utrâque regimen, eadem fides; Idem Sacramentorum numerus, eademque eorum adminiſtrandi forma: Iidem etiam ritus, eædem leges, eadem Feſta & jejunia: Omnia denique uſque adeo eadem in utrâque habentur, conſtituuntur, prædicantur, ut ANGLICANA *jure merito* PRIMITIVA *nuncupetur Eccleſia, ultimis hiſce temporibus rediviva.*

Hanc, eximiam ſane, laudem ac honorem malevoli, quibus ipſa, inſtar Primitivæ itidem, circumdatur, adverſarij Eccleſiæ noſtræ invidere ſolent; ſed adimere nunquam poterunt, quamdiu genuina primitivorum Patrum martyrumque monumenta ſarta tecta conſervantur: utpote è quibus clariſſime eluceſcit. Quod cùm iſtis, quorum depravati mores puram adeo Eccleſiam averſantur, plus nimio conſtet, pro diverſis ipſorum ingeniis, hi quidem Spuria pro genuinis obtrudere, alij vero ipſa etiam genuina nobis ſubripe-

re moliuntur: Et inter alia, Canones Apoſtolorum vulgo appellatos, non tantum non ab Apoſtolis, verum nec à Primitivâ Eccleſiâ, ſed poſt neſcio quot ſecula editos fuiſſe contendunt, eo tantùm nomine, quòd inter eos & Eccleſiæ noſtræ conſtitutiones pulchrè adeo conveniat.

Hoc igitur Opuſculum, IN PRIMIS REVERENDE ANTISTES, *quo vera iſtorum Canonum, adeoque complurium ex iis qui ab Eccleſiâ Anglicanâ hucuſque obſervantur rituum, antiquitas vindicatur, Tuum ſolius patrocinium ambit, cui benigniſſima in hanc ſuam Eccleſiam Dei Optimi Maximi Providentia, ſummam illius, ſub Auguſtiſſimo Principe, curam commiſit. Neque enim* VINDICIÆ CANONUM ECCLESIÆ PRIMITIVÆ *majus aliunde præſidium expectare poſſunt, quam à Te; qui ad illam ipſam Eccleſiam, canonicamque ejuſdem adminiſtrationem vindicandam, omni ſtudio ac virtute totus incumbis.*

Et

ter, verſatum latet, nedum Te in iis verſatiſſimum. Tanta nimirum eſt, ut nihilo fere inter ſe præterquam tempore diſtinguantur. Idem enim in utrâque regimen, eadem fides; Idem Sacramentorum numerus, eademque eorum adminiſtrandi forma: Iidem etiam ritus, eædem leges, eadem Feſta & jejunia: Omnia denique uſque adeo eadem in utrâque habentur, conſtituuntur, prædicantur, ut ANGLICANA *jure merito* PRIMITIVA *nuncupetur Eccleſia, ultimis hiſce temporibus rediviva.*

Hanc, eximiam ſane, laudem ac honorem malevoli, quibus ipſa, inſtar Primitivæ itidem, circumdatur, adverſarij Eccleſiæ noſtræ invidere ſolent; ſed adimere nunquam poterunt, quamdiu genuina primitivorum Patrum martyrumque monumenta ſarta tecta conſervantur: utpote è quibus clariſſime eluceſcit. Quod cùm iſtis, quorum depravati mores puram adeo Eccleſiam averſantur, plus nimio conſtet, pro diverſis ipſorum ingeniis, hi quidem Spuria pro genuinis obtrudere, alij vero ipſa etiam genuina nobis ſubripe-

re

re moliuntur: Et inter alia, Canones Apoſtolorum vulgo appellatos, non tantum non ab Apoſtolis, verum nec à Primitivâ Eccleſiâ, ſed poſt neſcio quot ſecula editos fuiſſe contendunt, eo tantùm nomine, quòd inter eos & Eccleſiæ noſtræ conſtitutiones pulchrè adeo conveniat.

Hoc igitur Opuſculum, IN PRIMIS REVERENDE ANTISTES, *quo vera iſtorum Canonum, adeoque complurium ex iis qui ab Eccleſiâ Anglicanâ hucuſque obſervantur rituum, antiquitas vindicatur, Tuum ſolius patrocinium ambit, cui benigniſſima in hanc ſuam Eccleſiam Dei Optimi Maximi Providentia, ſummam illius, ſub Auguſtiſſimo Principe, curam commiſit.* *Neque enim* VINDICIÆ CANONUM ECCLESIÆ PRIMITIVÆ *majus aliunde præſidium expectare poſſunt, quam à Te, qui ad illam ipſam Eccleſiam, canonicamque ejuſdem adminiſtrationem vindicandam, omni ſtudio ac virtute totus incumbis.*

Et

Et præterea ante oculos poſitum eſt, quam inſipida & ingrata hujuſmodi antiquitatis, Eccleſiaſticæ præſertim, ſtudia hiſce diebus videantur: Quibus ſcilicet nihil fere ſapit niſi quod novum eſt. Ac proinde Operi de antiquiſſimis Eccleſiæ ſanctionibus moribuſque contexto, talis neceſſario quærendus & aſciſcendus eſt Patronus, qui & ipſe antiquis ſit moribus, atque ipſam etiam antiquitatem contra gliſcentis indies novitatis impetus & exemplo ſuo, & autoritate propugnare queat.

Quapropter cum res ipſæ hic tractatæ tantum deſiderent, flagitentque Vindicem, utut rudis ac impolita ſit hæc mea de iis diſſertatio, humillimus à Te peto, EMINENTISSIME PRÆSUL, *ut eam ſingulari illâ quâ me ſoles humanitate comprehendas, & ſub nominis Tui ſplendore in lucem prodire patiaris, tanquam perpetuum Tuæ erga me benevolentiæ, meæque viciſſim erga Te obſervantiæ* μνημόσυνον.

His

His ſuppliciter, ut par eſt, ac demiſſiſſimè imploratis, veritus ne, ſi longiùs excurrat oratio, in publica peccem commoda, nihil præterea addam, niſi vota preceſque ardentiſſimas, ut qui Te per varios caſus, per tot diſcrimina ſibi conſtantem, rebuſque omnibus, æquis, iniquis, majorem præſtitit, & jam tandem ad ipſum Sacerdotij apicem perduxit, Is etiam conſiliis Tuis adſiſtere, cœptiſque aſpirare pergat; Omnia cujuſque generis quibus Te dignatus eſt dona confirmet, augeatque; Inimicos Tuos, ut eoſdem atque ſuos, vel convertat, vel coerceat; Teque in ſui gloriam, in Eccleſiæ ſuæ ſalutem, in Sereniſſimi Regis honorem, in regnorum ejus pacem, in omnium bonorum gaudium, ſalvum perdiu incolumemque conſervet; & ſerò, verum aliquando tamen, à Cantuarienſi ad Cœleſtem Te thronum transferat. Ita cum omnibus Eccleſiæ Anglicanæ, Primitivæ, Catholicæ verè amantibus, De-

um

um Patrem, in potentiſſimo unici ipſius Filij, noſtrique Salvatoris IESU CHRISTI *Nomine comprecatur*

Paternitati Tuæ

Devotiſſimus,

Guilielmus Beveregius.

Proœmium.

EO Temeritatis delirâ hâc noſtrâ ætate deventum eſt, ut nihil propemodum in ipſâ ſit religione Chriſtianâ, quod non vel privatim in dubium, vel in controverſiam publicè vocatur. Uſque adeo ut ea etiam quæ per multa retro ſecula, & ab ipſis Eccleſiæ primordiis ubique recepta fuerunt dogmata rituſque, hiſce demum noſtris diebus in diſcrimen veniant, & perinde oppugnentur, ac ſi nos primi eſſemus Chriſtiani, omneſque majores noſtri nudum Chriſti nomen præ ſe tuliſſent, & præterea nihil: vel ſaltem ac ſi in graviſſimis perpetuo erroribus verſati fuiſſent, quicunq; divulgatam in Evangelio fidem antehac amplexi ſunt. Nimirum noviſſimis hiſce temporibus nova jactantur lumina, nova ac majora Spiritus ſancti dona ſimulantur: ideoque novæ credendi, novæ orandi, novæ prædicandi, novæ omnium Eccleſiaſticarum adminiſtrationum peragendi formulæ finguntur indies, & celebrantur. Et quod abſurdiſſimum eſt, ipſâ etiam novitate nihil modo antiquius

habetur, ſed quò quid magis novum eſt, eò pluribus & magis placet & ſolicitiùs propugnatur. Hinc illæ lachrymæ! Hinc tot horrenda in Eccleſiâ ſchiſmata! Dum ſinguli enim ingeniis, vel petulantibus potius ſuis plus nimio indulgentes phantaſiis, novitatibus in religionem invehendis ſtudent, omnes, præ infinitâ opinionum diverſitate, in contraria ſcinduntur ſtudia & factiones.

II. Quod ſi noſmet tandem aliquando recolligamus, reſque eâ, quâ par eſt, animi temperantiâ & æquitate perpendamus, ſtatim patebit, nos qui hanc aliaſque circumjacentes modò incolimus regiones, nec primos eſſe nec ſolos Chriſti cultores, ſed exiguam tantum partem magni illius corporis cujus caput eſt Chriſtus; utpote quod ſummâ Dei miſericordiâ in omnes terrarum fines diffuſum eſt, & ab ipſis Apoſtolorum temporibus ſemper fuit: adeo ut nulla ſit ætas, nec ulla ſere regio, quâ non plurimi per eam, quam nos profitemur, fidem cœlorum potiti ſunt. Secundum hæc, ſi prægrande hoc omnium cujuſque ſeculi Chriſtianorum corpus, quod *Catbolica* ſive *univerſa Eccleſia* vulgo appellatur, ut ubique & ſemper conſtitutum, attentè perluſtremus, certa quædam quaſi communia in eo deprehendemus principia, quæ totum percurrunt, omneſq; illius partes & ſibi invicem & capiti connectunt. E quibus primum, illudq; è quo cætera oriuntur, eſt, *Sacram ſcripturam, ſive vetus novumque Teſtamentum, divinitùs eſſe inſpiratam.* In hoc omnes ubique Chriſtiani conſentiunt, ſemperque conſenſerunt; quorum propterea nec ſocietate nec nomine dignus cenſetur, qui illud negat. Verumenimvero hæc ſacra ſcriptura etiamſi

in iis,quæ ad cujuſque ſalutem abſolute ſunt neceſſaria, præceptis clariſſima ſit & omnibus manifeſta, quantum tamen ad doctrinam ſpectat & externam Eccleſiæ diſciplinam, ea pro ipſâ ſuâ altitudine non uno eodemq; ſenſu ab omnibus accipitur, ſed *divina ejuſdem eloquia aliter atque aliter alius atque alius intepretatur, ut pene quot homines ſunt, tot illic ſententiæ erui poſſe videantur*: ut obſervavit olim Vincentius Lirinenſis, & ex hæreticis ac ſchiſmaticis ſatis ſuperque conſtat,qui nempe ſinguli pravas ſuas opiniones praxeſque è ſacris ſcripturis ſuo modo interpretatis eliciunt. In hujuſmodi itaque rebus ſi non errandi nec offendendi certi eſſe velimus,imprimis procul omni dubio cavendum eſt,ne privatis noſtris aliorumve opinionibus aut conjecturis pertinaces nimis adhæreamus, ſed nobiſcum potius recolamus, quid univerſa Eccleſia vel maxima ſaltem pars Chriſtianorum de iſtis ſenſerint, & in eâ acquieſcamus ſententiâ, in quam Chriſtiani per omnia ſecula conſenſerunt.Quemadmodum enim *Omni in re conſenſus omnium vox naturæ eſt*,ut ait *Cicero:* Sic etiam in hujuſmodi rebus *Conſenſus omnium Chriſtianorum vox Evangelij merito habeatur.* Multa autem ſunt,quæ licet in ſacris ſcripturis expreſſe ac definitè non legantur,communi tamen omnium Chriſtianorum conſenſione ex iis eruuntur. Exempli gratiâ,*Tres diſtinctas in ſacroſanctâ Trinitate perſonas venerandas eſſe, Patrem, Filium,& Spiritum ſanctum, hoſque ſingulos verum eſſe Deum, & tamen unum tantummodo eſſe Deum: Chriſtum* θεάνθρωπον *eſſe,vere Deum,ac verè hominem in unâ eademq; perſonâ.* Hæc & ſimilia quamvis totidem verbis ac ſyllabis,nec in veteri nec in novo inſtru-

Vinc. Lirin. adv. hæreſ. c. 2.

Tuſcul. Quæſt. l. 1.

 mento

mento tradantur, de iis tamen, ut utroque fundatis, inter omnes ſemper convenit Chriſtianos: demptis tantummodo paucis quibuſdam hæreticis, quorum in religione haud major habenda eſt ratio quam monſtrorum in naturâ. Sic etiam *Infantes ſacro baptiſmate abluendos eſſe, & Sponſores ad illud Sacramentum adhibendos: Dominicam ſive primam per ſingulas ſeptimanas feriam religioſe obſervandam eſſe. Paſſionis, reſurrectionis, & aſcenſionis Domini ad cœlum, necnon Spiritûs ſancti adventûs commemorationem per ſingulos annos peragendam: Eccleſiam ubique per Epiſcopos à Presbyteris diſtinctos iiſque prælatos adminiſtrandam eſſe.* Hæc & alia hujuſmodi nuſquam in ſacris ſcripturis diſertè ac nominatim præcipiuntur; ſed nihilominus per mille & quadringentos ab Apoſtolis annos in publicum Eccleſiæ uſum ubique recepta fuerunt: nec ullam intra illud tempus invenire eſt Eccleſiam in ea non conſentientem. Adeo ut quaſi *communes* ſint *notiones* omnium ab origine Chriſtianorum animis inſitæ, non tam ex ullis particularibus ſacræ ſcripturæ locis, quàm ex omnibus: ex generali totius Evangelij ſcopo & tenore; ex ipſâ religionis in eo ſtabilitæ naturâ & propoſito; atque ex conſtanti denique Apoſtolorum traditione, qui Eccleſiaſticos hujuſmodi ritus, & generales, ut ita loquar, Evangelij interpretationes per univerſum terrarum orbem unà cum fide propagârunt. Alioquin enim non incredibile, imo vero impoſſibile prorſus eſſet, ut tam unanimi conſenſione, ubique & ſemper, & ab omnibus reciperentur.

III. Hiſce præmiſſis, primo intuitu patet, quid ex iis conſequetur. Cum majorem enim omnibus quam ſingulis

Chriſtianis,

Chriſtianis,& univerſæ quam particularibus quibuſcunq; Eccleſiis fidem habendam eſſe nemo dubitet: Cum plurima etiam ſint, in quæ univerſalis Eccleſia per multa poſt Apoſtolos ſecula conſenſit: Cum hæc deniq; univerſalis Eccleſiæ conſenſio certiſſima ſit in iis, quibus habeatur, capitibus ſacræ ſcripturæ interpretatio, hinc clariſſime conſtat, quali quantoque uſui ſint antiqui Patres, aliique omnium Eccleſiæ ſeculorum ſcriptores, quamque neceſſariò ab iis conſulendi ſint, quibus, Eccleſiaſticas agitantibus controverſias, vel ſua ſalus, vel pax Eccleſiæ cordi eſt. Si nulla enim veteris Eccleſiæ commentaria, nulla conciliorum Acta,nulla hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monumenta hodie extarent, quantis in tenebris circa ipſam noſtram religionem verſaremur? Quam facile eſſet ſubtili cuivis hæretico, vel ſceleratiſſimo etiam impoſtori, pietatis ſpeciem præ ſe ferenti, verba pleriſque dare, eoſque in pernicioſiſſimos omnium generũm errores inducere? Quis Romanam,aliamve quamcunque,licet corruptiſſimam Eccleſiam, in iis quæ non diſerte in ſacris ſcripturis prohibentur, vitij aut erroris arguere potuiſſet? Unde enim conſtaret, annon ea quæ ibi uſitantur, ab ipſis Apoſtolis tradita fuiſſent, & univerſalis Eccleſiæ conſenſu comprobata?Quot denique & quanta cujuſque modi incommoda hinc exorirentur?Sed nihil eſt quod iis enumerandis immoremur, cùm inter tot tantaſq; imperiorum confuſiones, Eccleſiarum ſingularium tumultus,omniumq; rerum humanarum perturbationes,ſapientiſſimâ benigniſſimaq;Dei Opt. Max. providentiâ ita comparatum ſit,ut ab ipſis Apoſtolicis uſq; ad hæc noſtra tempora nulla ſit ætas,cujus

Eo-

Eccleſiaſtica nobis monumenta non conſervantur. E quibus propterea perfectam univerſalis Eccleſiæ ideam animo concipere, & pro comperto,certoque habere poſſumus,quid per omnia ſecula admiſſum fuit,&quid rejectum; qui ritus & dogmata obtinuerunt, quæ hæreſes & ſchiſmata exploſa ſunt & condemnata. Ex iis denique iiſque ſolis videre licet, de quibus doctrinis diſciplinis que inter omnes perpetuò Eccleſias convenit, & de quibus inter eas controverſum eſt: adeoq; quid magis, quidq; minus neceſſarium eſt creditu,& obſervatu. Quicquid enim de aliis dicendum eſt, ea ſaltem in quæ omnes ubiq;Eccleſiæ conſenſerunt, non poſſunt non certiſſima eſſe, & neceſſariò ab omnibus etiamnum retinenda.

IV. Verumenimvero hæc,de quâ loquimur, univerſalis Eccleſiæ de quibuſvis fidei articulis aut ritibus Eccleſiaſticis conſenſio,non ex uno alterove ſcriptore, nedum ex uno alterove ſcriptoris alicujus loco, ſeorſim à reliquis, ſed ex omnibus conjunctim petenda eſt;vel etiam è maximâ eorum parte qui per omnia,præſertim antiquiora,Eccleſiæ ſecula aliquid literis mandarunt, & de iſtis rebus meminerunt. In omnibus enim ſocietatibus,qualis eſt Eccleſia, pars major præjudicat minori, & jus integri obtinere ſolet. *Quod major pars curiæ*, inquit Jus Civile, *efficit, pro eo habetur ac ſi omnes egerint.* Imo quidem hæc inter communes juris illius regulas habetur, *Refertur ad univerſos, quod publice fit per majorem partem.* Quod itaque vel a majori parte ſtatuitur,aut affirmatur,illud Eccleſiæ univerſali jure adſcribendum eſt:multo magis quod conjunctis omnium vel pene omnium teſtimoniis munitur. Ad quam quidem

L.19 ff. ad municip.

L.160. ff. de regulis juris.

quidem claſſem quam plurima in re Eccleſiaſticâ facile redigantur. Etiamſi enim ſingulorum per omnes ætates Chriſtianorum ſententias nobis tranſmiſſas non habeamus, habemus tamen quod tantidem eſt. Primo etenim, ubi de univerſalis Eccleſiæ conſenſu loquimur, haud neçeſſe eſt, ut ad plebis etiam ſive Laicorum opiniones reſpiciamus: Illi enim ad judicium de doctrinâ aut diſciplinâ Eccleſiæ ferendum nunquam admiſſi fuerunt; quippe quos paſtorum ſuorum ſententias in omnibus, ut par eſt, ſequi, non præire, ſemper præſumptum eſt. Et prætçrea cum populus Epiſcoporum ſuorum electioni antiquitùs ſuffragari, ſuumq; de eligendis teſtimonium præbere ſolerent, eo ſane in doctrinam eorum & diſciplinam ſe conſentire aperte ſatis oſtendebant: adeo ut quæcunque Epiſcopi cujuſvis fuerit ſententia, eâdem & populus cui præerat, ductus merito exiſtimetur. Hinc itaque conſenſionem Eccleſiæ non è populo, ſed ex Epiſcopis eorum, è magiſtris & Sacerdotibus petendam eſſe, Vincentius Lirinenſis recte olim obſervavit. *Conſenſionem quoque itidem ſequemur*, inquit, *ſi in ipſâ vetuſtate omnium vel certe pene omnium Sacerdotum & magiſtrorum definitiones ſententiaſque ſectemur.* Et hoc quidem, *univerſalis ſcilicet Eccleſiæ conſenſionem non ex populo, ſed ex Epiſcopis Clericiſque petendam eſſe*, unum eſt è plurimis iſtis dogmatibus, in quæ ipſam univerſalem Eccleſiam habemus conſentientem; utpote quæ de rebus Eccleſiaſticis diſſertura, plebem raro adeſſe, nunquam autem ſententiam de iſtis dicere aut ſuffragium ferre permiſit. Neque enim in omnibus quæ unquam de iſtiuſmodi rebus celebrata ſunt conciliis, quempiam è plebe decretis ſubſcripſiſſe

Vinc. Lirin. adv. hæreſ. c. 3.

legimus.

legimus. Omnia vero per ſingulas ætates communia Eccleſiæ negotia per ſolos Epiſcopos & nonnullos ſubinde Presbyteros, Epiſcoporum ſuorum loca tenentes, in conciliis congregatos tranſacta ſunt. Quæ quidem Concilia ſi in unâ aliquâ provinciâ, iſtam ſolam *Provincialem*; ſin ab omnibus conjunctim, vel à majori earum parte celebrata fuerint, *Univerſalem Eccleſiam* repræſentarunt: *Per quæ ſcilicet*, ut ait Tertullianus, *& altiora quæque in commune tractantur, & ipſa repræſentatio totius nominis Chriſtiani magnâ veneratione celebratur*. Hujuſmodi autem tam *Provincialia* à ſingulis provinciis, quam *univerſalia* ab univerſâ Eccleſiâ, è quâ cognominantur, celebrata concilia, eorumque Acta & decreta quamplurima etiamnum extant. Extant etiam ſatis multa ſingularium Epiſcoporum & Presbyterorum commentaria, non quidem omnium, ſed eorum tamen qui per ſingula ſecula doctiſſimi fuerunt, & dogmatum, rituumque Eccleſiaſticorum callentiſſimi. E quibus omnibus communes & omnium & ſingularum Eccleſiarum ſententias clariſſime, ſi quid aliud, videre licet, adeoque certiſſime colligere quid nobis de iſtis rebus ſentiendum ſit. Etiamſi enim demus dubium eſſe, annon alij, qui vel nihil ſcripſerunt, vel quorum ſcripta non ſuperſunt, aliter fortaſſe ſenſerint, cùm id tamen non conſtet, & non conſtare in hujuſmodi cauſis idem plane ſit ac non eſſe, quicquid omnes vel major pars eorum, quorum genuina nobis relicta ſunt opera, tanquam in commune docuerunt, pro communi & conſtanti Eccleſiæ univerſalis doctrinâ ſine dubio habendum eſt. Præſertim cùm ipſa etiam univerſalis Eccleſia ſe in eam, quæ in antiquis conciliorum

Tertull. de Jejun. c. 13.

pa-

patrumq; ſcriptis conſervatur, doctrinam conſenſiſſe,abunde ſatis ex eo demonſtrârit,quod iſta, quibus continetur,ſcripta,nobis Deo ita diſponente,conſervârit: aliorum interim,qui aliter ſenſerunt,commentariis tantâ oblivione obrutis, ut vix nomina eorum poſteritati tranſmiſſa ſint. E quibus omnibus breviter & ſummatim præmiſſis, legitimè concludamus,omnia & Patrum ſingularium opuſcula,& ſynodorum tam Provincialium quam univerſalium Acta & monumenta, quæ hodie extant, huic imprimis, magno ſane & eximio, uſui nobis eſſe, quod ex iis pro certo & explorato habeamus, quid Eccleſia univerſa de neceſſariis fidei articulis & ritibus Eccleſiaſticis ſemper crediderit & prædicârit,adeoq; quid ſemper in Eccleſiâ credendum & prædicandum ſit. Nemini enim dubium eſſe poteſt, quin univerſalis Eccleſiæ fidei moribuſque in omnibus, quoad fieri poteſt, religioſe inſiſtere, et tutiſſimum ſit, & ſummè neceſſarium.

V. Sed dicat forſitan non nemo, *Patres & ſeorſim ſingulos, & conjunctim plures in variis religonis capitibus erraviſſe; eoſq; inter ſe aliquando diſſentire, & quidem interdum de rebus magni momenti.* Hæc, fateor, contra antiquos Eccleſiæ Patres eorumq; in Eccleſiaſticis controverſiis dijudicandis autoritatem non ita pridem objecta fuerunt. Sed utrum vera ſint an falſa non opus eſt hic diſputemus. Etſi enim veriſſima eſſe concedamus,nullum tamen ex iis contra noſtram de *vero uſu Patrum* ſententiam exculpi poteſt argumentum. Quippe qui de Patribus non ſingulis ſeorſim, ſed omnibus conjunctim loquimur. Ac proinde quotquot errores in uno pluribuſve deprehenſi fuerint,& utcunque etiam in

nonnullis,magni fortaſſe momenti, rebus inter ſe diſſentiant,vel ſaltem diſſentire videantur,noſtra tamen ſententia firma ſatis ſtabiliſq; manet,quandoquidem multa ſunt nihilominus, de quibus inter omnes omnino Patres convenit,plurima in quæ major eorum pars conſenſit.Quæcunq; autem inter eos nonnullis de rebus commotæ fuerint diſſenſiones, ſummæ eorum in iſtis de quibus conſentiunt, autoritati nihil detrahunt: Sed eam potius egregiè confirmant.Ex eo enim,quod in aliis diſſenſerint,luculentiſſime conſtat illos ea de quibus conſenſerunt, non ex pacto & conventu, non ex initâ factione, aut conſociatis conſiliis, neq; ex privatis deniq;ſuis ipſorum opinionibus tradidiſſe,ſed nudè & ſincerè,tanquam ex communi univerſalis Eccleſiæ ſenſu ac traditione. Et quidem utut in aliquibus minus neceſſariis tam fidei quam diſciplinæ capitibus aliquantulum inter ſe diffideant antiqui Patres, plurima tamen ſummo ab omnibus concentu recepta fuiſſe,ita perſpicuum eſt,ut oculis judicare poſſimus. Multa enim videmus ab univerſali Eccleſiâ in conciliis vere Oecumenicis definita; multa plurium,multa omnium Eccleſiæ ſcriptorum conſenſu, comprobata; multa denique de quibus nulla antiquitùs mota eſt controverſia. E quorum numero nonnulla à nobis ſupra commemorata ſunt:quibus & alia quamplurima accenſeri poſſunt: Ea præſertim quæ licet in SS. Scripturis non definitè præſcripta fuerint, à piiſſimis nihilominus prudentiſſimiſque Eccleſiæ Anglicanæ reformatoribus retenta ſunt.

VI.Enimvero cùm hæc noſtra Eccleſia Anglicana per diutinam cum Romanâ communionem conſimiles labes

contraxerat,quibus neceſſe erat repurgaretur,qui egregium illud & perneceſſarium opus ſuſcipiebant, veriti ne, aliorum inſtar,ab uno ad alterum extremum ruerent,eaquidem tam dogmata quam cæremonias, quæ Eccleſia Romana de novo pedetentim ſuperinduxerat, è medio tollebant, & penitus,ut par erat,abrogabant: Verumtamen quæcunq; ab omnibus ubiq;Eccleſiis ſemper credita ac obſervata fuerant,ea ſimul abolere,ſumma illis religio erat. Probe enim ſciebant,omnes particulares Eccleſias ad univerſalem accommodandas eſſe : ſiquidem juxta generalem illam & vulgatam Ethicorum regulam,*Turpis eſt pars omnis toti non congrua*.Hinc itaque primi particularis hujus Eccleſiæ reformatores totam reformationis ab ipſis ſuſceptæ lineam ſecundum totius ſive univerſæ Eccleſiæ normam dirigebant : ea ſola abjicientes,quæ univerſali Eccleſiæ vel inaudita fuerant, vel rejecta ; ea vero religioſe admodum retinentes,quæ univerſalis itidem Eccleſiæ conſenſu corroborata videbant.Quo factum eſt,ut licet non cumRomanâ nec cum aliis quibuſdam particularibusEccleſiis ut hodie conſtitutis,tamen cum univerſali & Catholicâ Eccleſiâ conſtantem communionemhabeamus:cujus ſcilicet noſtra, ut Deo adſiſtente primò conſtituta, &, eodem miſerante, adhuc conſervata, perfecta eſt idea ac repræſentatio.

VII. Cæterum ne longius à propoſito digrediamur, ubi de Eccleſiâ *univerſali* ejuſq;conſenſu verba facimus,potiſſima ſine omni dubio *Primitivæ* ratio habenda eſt: utpote quæ licet pars tantum ſit univerſæ,puriorem tamen ſinceriorémq;fuiſſe partem inter omnes conſtat. Idem enim Eccleſiæ,quod rei cuiq; publicæ,accidit, ut vetuſtis ſcilicet in deſuetudinem paulatim abeuntibus, nova pro luxu-

riantibus hominum ingeniis inſtituta excogitentur. Quod quidem in religione ante omnia cavendum eſt. Inter omnes enim Chriſtianos convenit, Apoſtolicam, ut ab ipſis Domini Apoſtolis divinitùs inſpiratis conſtitutam, & ab illis adhuc viventibus adminiſtratam, omnium puriſſimam fuiſſe ac perfectiſſimam Eccleſiam. Quin nihil etiam communi Chriſtianorum fidei magis abſonum videtur, quam doctrinam aut diſciplinam ab Apoſtolis inſtitutam, à proximis ipſorum ſucceſſoribus corruptam fuiſſe, vel quovis modo immutatam. Omnes enim confitentur Apoſtolos fidiſſimos fuiſſe viros, ac proinde nullos ſibi in ſucceſſores ordinare voluiſſe, niſi quorum fides & integritas ipſis probatiſſima eſſet. Primi itaque Apoſtolorum ſucceſſores Eccleſiam, cujus regendæ cura ipſis commiſſa eſt, illibatam haud dubiè & incorruptam conſervârunt, atq; eodem etiam modo ſuis ipſorum ſucceſſoribus tradiderunt, hiq; aliis, & ſic deinceps, ut nihil dubij eſſe poſſit, quin per duo ſaltem vel tria ab Apoſtolis ſecula, Eccleſia in primitivo ſuo vigore, atque, ut ita loquar, virginitate floruerit, eodem nimirum ſtatu, quo ab ipſis Apoſtolis relicta fuit: niſi quod novæ ſubinde hæreſes iſtis etiam diebus erumperent, quibus Eccleſia exercitata quidem fuit, ſed minimè corrupta: haud magis ſcilicet quam Eccleſia verè Apoſtolica ab iſtis hæreſibus depravata fuit, quæ Apoſtolis adhuc ſuperſtitibus emergebant. Vix citiùs enim exortæ ſunt, quam ab Eccleſiâ Catholicâ rejectæ. Quibus propterea non obſtantibus, univerſa quæ ſecuta eſt Eccleſia, *Primitivam* illam pro puriſſimâ ſemper habuit, & in omnibus quæ poſtea coortæ ſunt hæreſibus refellendis, ad eam tanquam ad aliarum regulam appellavit. Si quis enim aliquid novi vel

in doctrinam vel diſciplinam Eccleſiæ inducere conatus eſt,qui ei ſe oppoſuerunt tam ſingulares,quam plures unà congregati Patres,argumenta ſua, ut è SS. Scripturis, ſic etiam è primorum Eccleſiæ ſeculorum dogmatis & traditionibus petierunt. Hoc in omnibus fere conciliorum Actis,& patrum ſingularium commentariis videre licet,ubicunq;videlicet Eccleſiaſticæ controverſiæ agitantur. Et quidem nihil adhuc rationi magis conſentaneum eſt, nihil etiam magis optandum,quam ut omnes hodiernæ,ubi ubi conſtitutæ, particulares Eccleſiæ, ad Primitivæ exemplar reformarentur.Hoc enim modo quæcunque poſterioribus ſeculis irrepſerunt corruptelæ,foras illicò projicerentur:in priſtinum autem vigorem ſuum reſtituerentur,quæcunq;ad veram Eccleſiæ Chriſtianæ conſtitutionem requiſita ſunt.

VIII. Quinetiam nec impoſſibile cuipiam,nullo præjudicio laboranti,videatur,veteris Eccleſiæ mores ritusq;inveſtigare.Ea quippe eſt,ſemperq;fuit Dei Opt. Max.inEccleſiam ſuam benignitas & clementia, ut viros undequaq; doctiſſimos ad res Eccleſiæ conſcribendas per ſingula etiam antiquiora Chriſtianiſmi ſecula incitârit, eorumque ſcripta uſq; ad hanc noſtram ætatem ſarta tecta conſervârit:adeo ut Eccleſiam primitivam accurate in iis delineatam præ oculis ſemper habeamus,eamq; etiam noviſſimis hiſce diebus tanquam præſentem perluſtrare, & contemplari poſſimus. Ne longiùs enim ab Apoſtolis abeamus, quot,quantaq; volumina tribus prioribus poſt eos ſeculis elaborata etiâmnum extant? *Euſebius Cæſarienſis,S. Athanaſius Alexandrinus, Hilarius Pictavienſis, Optatus Milevitanus, Cyrillus Hieroſolymitanus, Baſilius M.Gregorius Nazianzenus*

& *Nyſſenus, Epiphanius, Ambroſius Mediolanenſis, Hieronymus, Theophilus Alexandrinus, Ruffinus, Gaudentius, Aurelius Prudentius, Auguſtinus Hipponenſis, Marius Mercator, Chryſoſtomus, Severus Sulpitius,* hi omnes aliique complures ante quartum à nativitate Chriſti, quod idem fere eſt ac tertium ab Apoſtolis, elapſum ſeculum claruerunt, reſq; Eccleſiæ & ætatis quiſq; ſuæ, poſteritati fuſè deſcriptas tradiderunt. Eodem etiam currente ſeculo præter plurima provincialia, duo ab univerſali Eccleſiâ celebrata ſunt concilia, primum Nicææ An. Dom. CCCXXV. alterum Conſtantinopoli, An. Dom. CCCLXXXI. E quibus proinde omnibus iſtius ſeculi monumentis inter ſe collatis facillimum eſt cuivis eruere, quid ab Eccleſiâ tunc temporis ubiq; receptum erat, adeoq; quid ab ipſis Apoſtolorum temporibus obtinuerat: utpote à quibus ad iſtud ſeculum inchoatum, ducenti duntaxat anni plus minus effluxerant. Omnem autem fidem excedit, ut quippiam tam exiguo temporis ſpatio per univerſum terrarum orbem propagaretur, quod non aliquo ſaltem modo ab ipſis Apoſtolis traditum ac diſſeminatum fuerat. Præſertim cum per totum illud ſpatium univerſa Eccleſia fere continuis perſecutionibus exercitata eſſet, adeo ut una congregari & conſilia conſociare nunquam potuiſſet, ante An. D. ſupradictum CCCXXV. Quin iſto etiam anno Nicææ congregata, nihil novi inſtituit, ſed *antiquos* tantum *mores ſervandos* eſſe decrevit, τὰ ἀρχαῖα, inquit, ἔθη κρατείτω, Syn. Nic. Can. VI. Unde conſtat totam iſtius ſeculi Eccleſiam in eam conſenſiſſe opinionem, quæ omnes in religione novitates condemnat: ac propterea nihil dubij eſſe poſſe quin longe

antea

antea vulgo & ubique receptum fuiſſet, quicquid ab univerſali Eccleſiâ iſto ſeculo uſitatum erat. Quod tamen manifeſtius adhuc evadet, ſi vetuſtiora illa conſulamus monumenta,quæ medſo inter Apoſtolos & concilium Nicænum tempore edita ſunt.In quibus ſcilicet eadem plane doctrina,eademq; diſciplina prædicatur,quam ab univerſâ Eccleſiâ iſto ſeculo receptam fuiſſe patet. Quod ut omnibus conſtaret,Deus Opt. Max. Eccleſiæ ſuæ in terris militanti ſemper proſpiciens,etiam antiquiſſimos illos commentarios incolumes integroſq; nobis ſervavit. Adeo ut mirificam ejus hâc in re providentiam nunquam ſatis admirari poſſimus: primo quidem quod tot libri adverſis adeo ac turbulentis temporibus à Chriſtianis conſcriberentur; & deinde quod poſt tot revolutionum labyrinthos uſq;ad noſtram ætatem pervenirent.Etiamnum enim habemus egregia ſane opera *Lactantij*, *Arnobij*,*Dionyſij Alexandrini*, *Gregorij Thaumaturgi*, & D.*Cypriani*,qui ſecundo poſt Apoſtolos labente ſeculo, adeoq; ante conſeſſum Nicænum claruerunt: Habemus ampla ſatis volumina ab *Origene*, *Clemente Alexandrino*,& *Tertulliano* eodem ineunte ſeculo conſcripta; Quibus æqualis ætate fuit & *Minutius Felix*. Habemus inſuper Eccleſiaſtica *Irenæi*, *Tatiani*, *Theophili Antiocheni*, *Athenagoræ* & *Juſtini Martyris* monumenta, proximo poſt Apoſtolos ſeculo elaborata,& aliorum complurium fragmenta Eccleſiaſticæ *Euſebij* hiſtoriæ interſerta. Habemus deniq; veneranda admodum S. *Polycarpi*, *Ignatij* & *Clementis Romani* (fortaſſe etiam & *Hermæ*) opuſcula, qui omnes cum ipſis Domini Apoſtolis converſati ſunt. Adeo ut admirabilem quandam re-

rum Eccleſiaſticarum continuationem ſeriemque ab ipſo Apoſtolico ad quartum ſeculum, & ſic deinceps, uſq; ad hæc noſtra tempora, à doctiſſimis cujuſque ætatis viris contextam habeamus, unde perpetuum ac unanimem univerſalis Eccleſiæ tam in doctrinâ quam diſciplina conſenſum nobis hodieque haurire licet.

IX. Quantum porro ad externam Eccleſiæ Primitivæ diſciplinam ſpectat, ea, magnâ ſaltem ex parte, in codicem Canonum qui Apoſtolorum nomine vulgo nuncupantur, antiquitùs collecta fuit. Iſtos enim Canones ante Concilium Nicænum ſancitos editoſque fuiſſe, nemo unquam ante noſtram ætatem dubitavit. Quin potius plurimi eos ab ipſis Apoſtolis, quorum nomen præferunt, conſtitutos, & à *Clemente Romano*, eorum diſcipulo ſcriptos eſſe arbitrati ſunt. Sane omnes fere Græci per mille retro annos & amplius in eam ſententiam convenerunt. Nonnulli etiam è Latinis, ut *Franciſcus Turrianus*, *Lambertus Gruterus Lindanus*, *Salmeron* aliiq; eandem amplexi ſunt. Qui modeſtiſſimè vero de antiquis hiſce Canonibus locuti ſunt, eos ſecundò ſaltem tertiove æræ Chriſtianæ ſeculo, adeoq; ante Concilium Nicænum, conditos collectoſq; aſſeruerunt. Ità è recentioribus ſenſerunt eruditiſſimi viri *Joſephus Scaliger*, *Gabriel Albaſpinæus*, *Petrus de Marca*, *Henricus Hammondus*, vel ut ſemel dicam, omnes ante *Joh. Dallæum* qui ipſis eos Apoſtolis abjudicarunt. Neq; enim ipſe D. *Blondellus* iis eximendus eſt, quippe qui *Canones qui Apoſtolorum dicuntur, circa An. Dom. CCLXXX. conditos*, diſerte affirmavit. Et quamvis *Joh. Dallæus* vir ſane doctiſſimus, & inter ſuos celeberrimus, aliis omnibus

Blond. Apol. pro ſentent. Hieron. p. 317.

ſe

ſe unum oppoſuerit, & in tertio de Pſeudepigraphis libro, toto contra Canones Apoſtolorum conſcripto, eos non niſi quinto adulto, imo exeunte ſeculo extitiſſe, publicarique cœptos eſſe contenderit, id tamen apud omnes non evicit. Sed poſt librum iſtum à clariſſimo viro Anno Domini MDCLIII. editum, æque ac antea, media illa apud pleroſque adhuc prævaluit ſententia, quæ Canones hoſce ſecundo tertiove æræ Chriſtianæ ſeculo conſtitutos editoſque judicat. Dall. de Pſeudep. l.3.c.21. p.685. Ut de aliis autem, quos plurimos tam è Galliâ quam ex Angliâ noſtrâ, graviſſimos in hâc cauſâ teſtes, evocare poſſumus, in præſenti taceamus, duo illuſtriſſimi viri, *Petrus Gunning*, & *Johannes Pearſon*, ambo non ita pridem ſacroſanctæ Theologiæ in Academiâ *Cantabrigienſi* Profeſſores, nunc autem Epiſcopi, ille Eccleſiæ *Elienſis*, hic *Ceſtrenſis*, digniſſimi, hanc ſuam opinionem non tantum verbo ſed & ſcriptis tradiderunt. Ille nimirum in pereruditо iſto ac omni antiquitate refertiſſimo *de jejunio Antepaſchali* opere, quod Anno Domini MDCLXII. anglicè edidit, è quo me, in iſtâ controverſiâ occupatum, plurimum profeciſſe, lubens gratuſque fateor. In iſto enim opere vir ſpectatiſſimus, ut antiquæ religionis pariter ac doctrinæ exemplar, de ſecundâ poſt Apoſtolos centuriâ verba habens, hæc dicit, *In ſecundâ annorum centuriâ poſt ultimum Apoſtolorum (filiorum thalami) primùm laudo Canones Apoſtolicos dictos, non ita dictos quod ab ipſis Apoſtolis, ſed quod ab Apoſtolicis Epiſcopis, (qui haud raro linguâ veterum* Ἀπόστολοι *teſte* Theodoreto *aliiſque appellati ſunt) ut proximis ſive propinquis Apoſtolorum ſucceſſoribus conditi fuerint. Quorum primos quinquaginta Canones centuriâ præcedenti conſtitutos fuiſſe probabile eſt, ut* pag.40.

ultimos triginta quinque hâc ſive ſecundâ centuriâ (ſi excipiamus ſolummodo ἄγυαφον ἐπίβλημα, ſive aſſumentum ultimo corruptè additum). Hæc ille, in libro iſto, quem novem poſt *Dallæanum* de Pſeudepigraphis publicatum annis, ſuo nomine dignum emiſit. Alter autem, vir egregie itidem, ut omnibus notum eſt, doctus, & in antiquitate Eccleſiaſticâ exercitatiſſimus, Canones Apoſtolorum vulgo dictos à Concilio *Epheſino*, à *Conſtantino* M. Imp. ab ipſâ Synodo *Nicænâ*, & ante eam ab *Alexandro* Eccleſiæ *Alexandrinæ* Epiſcopo laudatos, ac proinde ante primam illam univerſalem Synodum editos fuiſſe, fuſè doctiſſiméque contra *Dallæum* demonſtravit: in vindiciis Part. I. c. 4. p. 51, 52. ſcilicet Epiſtolarum S. *Ignatij*. Quod eximium opus eodem tempore quo Annotationes noſtræ in *Pandectas* Græcorum Canonum, hoc eſt Anno Domini MDCLXXII. primum in lucem prodiit, adeoque undeviceſimo Anno poſt divulgatum Dallæi librum de Pſeudepigraphis Apoſtolicis. Hi igitur, aliique complures, quos recenſere nihil negotij eſſet, viri undequaque doctiſſimi, nihil in iſto *Dallæi* opuſculo invenire potuerunt, quo in ejus de Canonibus Apoſtolorum opinionem ducerentur: ſed poſthabitis omnibus illius argumentis, Canones iſtos non modo ante quintum adultum, verum etiam ante quartum inchoatum ſeculum, ſive ante Concilium *Nicænum* conditos editoſque fuiſſe nobiſcum arbitrati ſunt. Neque inter omnes illos eruditos viros, qui aliquid hucuſque literis mandarunt, quempiam adhuc videre contigit in *Dallæanam* iſtam de hiſce Canonibus ſententiam deſcendentem, præter unicum iſtum Anonymum ſcriptorem, qui Obſervationes in noſtras Annotationes nuper

edidit.

edidit. Is autem non modo novitiam iſtam opinionem amplexus, verum & eandem defendere, atque ita hoc venerandum antiquitatis Eccleſiaſticæ monumentum nobis eripere, pro virili parte conatus eſt.

X. Quandoquidem igitur ad perpetuum Eccleſiæ univerſalis conſenſum de quibuſvis fidei articulis ritibuſve inveſtigandum, permagni intereſt, ſemperque intererit, Eccleſiæ Primitivæ doctrinam ac diſciplinam accuratè intelligere, grande nobis operæ pretium viſum eſt, in Canonum iſtorum, quibus Apóſtolorum nomen per multa retro ſecula præfixum fuit, antiquitatem inquirere, & expendere, annon illi Primitivæ ante Concilium *Nicænum* Eccleſiæ diſciplinam nobis exhibeant. Quod quidem in Annotationibus primo fecimus, probavimuſque librum, quo iſti Canones continentur, *Codicem Canonum Eccleſiæ primitivæ* jure merito nuncupari poſſe. Hocque, ut modo oſtendimus, conjunctis doctiſſimorum quorumque ſententiis comprobatur. Siquidem vero eruditus ille, quem ſupra memoravimus, Obſervator, hanc, non tam noſtram quam communem omnium pene doctorum, ſententiam refellere, & novitiam iſtam à *Dallæo* primo excogitatam adſtruere molitus eſt, hinc totam hanc quæſtionem hoc volumine, in tres libros diſtributo, de intetgro pertractare neceſſarium duximus. Et primo quidem in libro antiquos hoſce Canones non tantum ante quintum adultum, verumetiam quarto ineunte ſeculo paſſim laudatos fuiſſe, ex indubitatis veterum teſtimoniis demonſtravimus; & quaſcunque contra teſtimonia à nobis allata vel ipſe *Dallæus*, vel poſt eum Obſervator objecit exceptiones, eas omnes pleniſſimè,

ut opinor,ſolutas dedi. Adeo ut nihil ab erudito Obſervatore contra Annotationes noſtras dictum fuerit, cui hic non reſpondetur; niſi quod conjecturam noſtram de *Clemente* non *Romano* ſed *Alexandrino* horum Canonum collectore, ab ejus exceptionibus vindicare omiſimus, propterea quod earum infirmitas primo cuivis intuitu ſatis pateat, quod hæc alia ſit quæſtio ab eâ quam hic tractamus, & denique quod hanc non tanquam ſententiam noſtram, ſed tanquam probabilem ſolummodo conjecturam propoſuimus, quæ ſi cuilibet minus placuerit, meliorem ille adinveniat, & nos ſummâ gratiarum actione beneficium ejus complectemur. Cùm clariſſimus autem *Dallæus* ex ipſâ etiam horum Canonum materiâ contra eorum antiquitatem diſputaverit, contenderitque plurima in iis decreta veteri Eccleſiæ incognita fuiſſe ac inaudita, hinc in ſecundo libro ſingulos hujuſmodi Canones à doctiſſimo viro impugnatos defendimus, & nihil in iis conſtitutum eſſe probamus, quod non in Primitivæ ante Concilium *Nicænum* Eccleſiæ doctrinam ac diſciplinam ad amuſſim quadrat. Summam vero curam in iſtos Canones intendimus,quorum gratiâ tota collectio oppugnata videtur, in iſtos ſcilicet qui de Epiſcopis, de Metropolitanis & de ſtatis Eccleſiæ jejuniis agunt. De Epiſcopis, fateor, multi extant eruditiſſimi tractatus, quibus eos ab ipſis Apoſtolis ſupra Presbyteros conſtitutos fuiſſe extra dubium efficitur. Sed nihilominus cùm *Dallæus* pariter atque Obſervator ſtylum ſuum contra hos canones eo præcipuè exercuiſſe videatur, quod Epiſcoporum eminentia ac autoritas toties in iis commemoretur, cauſæ à me ſuſceptæ ratio poſtulavit, ut nec iſtam

quæſtio-

quæſtionem penitus intactam relinquerem. In quâ tamen controverſiâ diſcutiendâ, ut & per totum etiam opus, intra ultimam antiquitatem me continui. Quandoquidem denique doctiſſimus *Dallæus* de ſtatis Eccleſiæ jejuniis ſingularem librum edidit, quo eorum antiquitatem, de quâ ſolâ hic diſputamus, elevare conatus eſt, hinc plura de illis diſſerere coactus fui, quam quæ in unum caput commodè referri poterant. Ac propterea de iis in tertio libro ſeorſim agimus.

XI. Sed nonnulli, ut aiunt, è fratribus noſtris Eccleſiæ in *Galliâ* reformatæ moleſtè ferunt, quod Eccleſiæ noſtræ *Anglicanæ*, reformatæ utique, filij eruditas *Joh. Dallæi* τȣ μαργαρίτȣ lucubrationes impugnaverint. Verum facilis eſt & prompta reſponſio. Nos enim contra doctiſſimum illum virum aliâ de cauſâ non diſputamus, quam ut noſtram defendamus Eccleſiam, eam ſcilicet quæ ab ipſo illo *Joh. Dallæo*, dignè ac meretur, ſæpe commendata fuit. Præſertim ubi hæc ab eo dicta ſunt, *Anglicanam ego Eccleſiam exoticis, pravis, ſuperſtitioſis cultibus, erroribuſque aut impiis aut periculoſis egregie ex ſcripturarum cœleſtium normâ purgatam, tot tamque illuſtribus martyriis probatam, pietate in Deum, in homines caritate, laudatiſſimiſque bonorum operum exemplis abundantem, lætiſſimo doctiſſimorum ac ſapientiſſimorum virorum proventu jam à reformationis principio ad hodierna uſque tempora florentem, equidem eo quo debui loco ac numero habui hactenus, ac dum vivam habebo: Ejus honos, nomen, laudes ſemper apud me manebunt. Teſtes meæ hujus de præſtantiſſimâ illâ Eccleſiâ exiſtimationis poſſum laudare non paucos, neque contemnendos viros, etiam præcipuæ apud eam & virtutis & dignitatis Antiſtitem. Itaq; qui hâc mente, hoc animo* Dall. de cult. Latin. lib. 2. c. 1.

hactenus

hactenus ſui, non potui non judicare inſignem mihi ab iis fieri injuriam, qui mecum ſic agant quaſi de Britannicâ vel Eccleſiâ vel reformatione male ſentiam. Hæc ipſiſſima ſunt viri eruditi de noſtrâ Eccleſiâ verba. Quæ tamen vera eſſe aliter probare non poſſumus, niſi ea quæ alibi dixit, falſa eſſe demonſtremus. Idem enim ille, qui tot tantiſque laudibus Eccleſiam noſtram, & quidem jure meritiſſimo, celebravit, aliis in locis contra omnes fere ritus ab eâ receptos ac uſitatos, imo contra totam illius diſciplinam, ut per Epiſcopos presbyteris prælatos adminiſtratam, ſcripſit. Nam *crucis ſignum* in baptiſmo à nobis adhibitum
Dall. de cult. Latin. l.1.c.13. contra luculentiſſima antiquitatis teſtimonia *à majorum*
ib. l.6.c.1. *baptiſmo tribus primis Chriſtianiſmi ſeculis abfuiſſe videri* aſſerit.
ib.l.1.c.17. Genuflexionem in Euchariſtiâ excipiendâ non ante An. Dom. CCC. uſurpatam ſtatuit. Interrogationes ac reſponſiones in baptiſmo parvulorum abſurditatis arguit. Adhæc contra jejunium *Quadrageſimale* quod per ſingulos annos ante paſcha, necnon contra ea quæ per ſingulas ſeptimanas ab Eccleſiâ noſtra celebrantur, ille totum ut cuiq; notum eſt, librum conſcripſit. Quin idem etiam ſingulare opus edidit, quo *confirmationem* meram eſſe baptiſmi cæremoniam ac appendicem, eamq; à Presbyteris æq; ac ab Epiſcopis olim collatam fuiſſe, atque adhuc conferri poſſe contendit. Non me latet prudentiſſimum virum, *ſanctè*
ib.l.2.c.38. *coram Domino omnium noſtrorum arcanorum conſcio* affirmare ſe *ſanctiſſimæ illius* (Anglicanæ) *ac vere Chriſtianæ Eccleſiæ fidem vel ritus nullo, ne leviſſimo quidem verbo, in totâ de Confirmationis Sacramento diſputatione laceſſiviſſe, vel perſtrinxiſſe, ac ne ullam quidem hujuſmodi cogitationem dum illud opus ſcriberet, ei in mentem veniſſe.* Scio etiam eundem verbis conceptis
ib.l.2.c.3. aſſeverare, *Confirmationem, quâ nunc utitur Eccleſia Anglicana,*

multo

multo melius ac ſapientius, magiſq; ad Chriſtianiſmi ingenium conſtitutam eſſe, quam quæ in veterum quarti & deinceps ſeculi libris olim fuiſſe deprebenditur (quod tamen majus eſt quam Eccleſia noſtra ſibimet unquam arrogavit.) Et quidem hæc ſancte adeo aſſerenti pleniſſimam fidem non adhibere nefas ducimus. Sed nihilominus quæ de hoc ritu ſcripſit, noſtræ Eccleſiæ, utut ab eo laudatæ, planiſſime adverſantur: utpote quæ cum veteri Eccleſiâ *baptiſmum* quidem à Presbyteris, *confirmationem* vero ab Epiſcopis ſolis conferendam eſſe decrevit, adeoq; hanc ab illo apertiſſimè diſtinxit. Porro Metropolitanorum jura ab Eccleſiâ noſtrâ religioſe conſervata novitatis inſimulat, & *Nicænâ* ac *Antiochenâ* Synodis haud vetuſtiora facit. Quod quam falſum ſit, ex iis, quæ de *Metropolitanis* in hoc tractatu diſſeruimus, abunde ſatis, ut opinor, conſtat. Ut alia hic miſſa faciam, in omnibus fere, quos emiſit, libris, in Epiſcoporum ſupra Presbyteros eminentiam atq; autoritatem graviſſimè invehitur, nihil antiquitus diſcriminis inter Epiſcopos & Presbyteros fuiſſe acriter contendit, *iſtumq; Epiſcopatum ſic à Presbyteratu, ut bodie ſit & jam olim à tertio Chriſtianiſmi ſeculo factum eſt, diſtinctum, rem eſſe non Apoſtolicæ ſed Eccleſiaſticæ adeoq; humanæ inſtitutionis*, cum *Blondello* affirmat. Et veritus ut muſtea hæc opinio ullam apud eruditos fidem inveniat, ſi qua autoritas S. *Ignatij* Epiſtolis & Canonibus Apoſtolorum attribuatur, ambo hæc veneranda antiquitatis Eccleſiaſticæ monumenta ſummis viribus adortus eſt; & ſancti quidem *Ignatij* Epiſtolas non ante tertij ſeculi finem, nec Canones Apoſtolorum ante quintum illudq; adultum conſarcinatos eſſe aſſeruit. Quod ſi hoc commentum verum eſſet: Si tota Eccleſiæ noſtræ per Epiſcopos adminiſtratio mera eſſet, *Calviniani*

Id. de Pſeudepig. l. 3. c. 17.

ib. l. 1. c. 10.

inſtar figmenti, humana inventio atq:inſtitutio, nihil erat quod *Dallæus* tantis eam laudibus dignaretur. Nobis ſane hæc maxima videtur contumelia,quâ quævisEccleſia onerari poteſt. Ac proinde nulla eſt cauſa , cur fratres noſtri moleſtiâ ex eo afficerentur,quod nos ſanctiſſimam noſtram matrem,Eccleſiam *Anglicanam*,ab omnibus hujuſmodi indignitatibus,pro ſuâ quiſq; parte,tueamur. Ratio potius flagitat,ut nos iniquiſſime feramus,quod doctiſſimus *Dallæus* tam ſanctam,tam puram,ipſo etiam judice,Eccleſiam toties lacerare eniteretur. Illum quidem ſummo ingenio, præſtanti eruditione ac doctrina,nec minori pietate virum fuiſſe,& de Eccleſia reformata plurimis in rebus optime meritum,ultrò omnes hic confitemur.Verum id male nos habet,quod ille contra Eccleſiam Rom.diſputans noſtram etiam,tanquam iiſdem erroribus obnoxiam ſub communi Latinorum nomine indiſcriminatim oppugnarit,nuſquam diſtinguens inter eoſdem ritus ut àRomana atque à noſtra Eccleſia uſitatos,etiamſi plurimum intereſſe,bene nôrit:Id autem peſſimè,quod cum fratres noſtri Gallicani notiſſimum haberent,à quot,quantiſq; domeſticis inimicis Anglicana hæc noſtra,ab ipſis paſſim laudata,Eccleſia ultro citroq;hinc Pontificiis,illinc ſectariis premitur,tamen nihilominus ipſi etiam extranei eam unà comprimere ac debilitare conarentur.Sed agedum procedant.Nulli enim dubitamus,quin Deus Opt.Max.cujus ſolius præſidio confidimus,Eccleſiam politè adeo è ſacris ipſius ſcripturis juxta perpetuam univerſalis ipſius Eccleſiæ praxim & conſenſionem interpretatis reformatam,contra omnes cujuſq;modi adverſariorum impetus ita defenderit, ut juxta fideliſſimum Domini promiſſum, *ipſæ inferorum portæ adverſus eam nunquam prævalituræ ſint*.

CODICIS CANONUM ECCLESIÆ PRIMITIVÆ Vindicati ac Illuſtrati,

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Synopſis.

I. *Eccleſia Chriſtiana quare à Domino inſtituta.*

II. *Eadem hodie in Schiſmata & controverſias diſcerpta, quæ ortum plerunque habent ex humani ingenii imbecillitate, quâ ad extrema ruere proclives ſumus.*

III. *Clariſſimum hujus rei documentum in controverſiâ de* Canonibus Apoſtolorum. Turriâni & Dallæi *extremæ de iis ſententiæ.*

IV. *Noſtra inter eas media, ab* Anonymo Obſervatore, *eo tantum quod in* Dallæanam *non ad amuſſim quadret, impugnata.*

V. *Temeraria* Obſervatoris *aſſertio, Epiſcopalem autoritatem* Ignatii Epiſtolis & Canonibus Apoſtolorum *præcipue inniti. Eam aliunde quam ex* Ignatii Epiſtolis *ſatis conſtare paucis indicatur.*

VI. *Eandem autoritatem ante* Canones Apoſt. *juxta noſtram ſententiam conditos obtinuiſſe ipſe* Obſervator, *aliique ejuſdem* Op*pugnatores concedunt. Quam propterea illis inniti, inconſideratiſſimâ temeritate affirmatur.*

VII. *Occaſio hujus ſcribendi tractatus ab* Obſervatore *data.*

VIII. *Ejuſdem ſcopus ac partitio.*

QUI primam Eccleſiæ Chriſtianæ inſtitutionem, maturo, ut par eſt, judicio contemplatur, eamque cum hodierno ipſius ſtatu comparat, ſatis admirari nequit, quo tandem fato evenerit, ut Eccleſia tantis fundata miraculis, tamque perſpicuis ac neceſſariis inſtructa præceptis, in tot unquam Schiſmata dilaceraretur, quot ubique per eam hodie graſſari contigit. Enimvero unicus ille fundator hujus Eccleſiæ, Dominus ac ſervator noſter *Jeſus Chriſtus*, nihil aliud in eâ conſtituendâ ſibi propoſuit, quam ut homines per eam ad

verum Dei cultum,atque ad ſempiternam adeo fœlicitatem dirigeret. Quâ de causâ,licet mors ejus ad noſtram ſalutem promerendam æque valuiſſet, ſi proximo poſt nativitatem ipſius momento, ac ſi longo poſt tempore, eam perpeſſus eſſet; nihilominus in naturâ noſtrâ ſibi aſſumptâ triginta circiter annos tranſegit, priuſquam mundo ſe patefecerit, nec prius adhuc vitam pro nobis depoſuit, quam aliud triennium plus minus hic compleviſſet. Quod temporis ſpatium cum hominibus in ſua ipſorum naturâ verſari dignatus eſt; Partim ut divinam ſuam potentiam pariter ac doctrinam miraculis confirmaret: partim ut homines veram erga Deum pietatem, & erga ſe invicem juſtitiam ac charitatem tam exemplo ſuo quam præceptis edoceret, eoſque certiores faceret, quâ ratione Deum per ſua ſolius merita placatum ſibi propitiumque habeant: partim denique ut Eccleſiæ ex humano genere ſibi collectæ fundamenta jaceret, quæ poſtea per univerſum terrarum orbem propagata, viam hominibus indicaret, quâ ad ſummam, cujus à naturâ ſunt capaces, beatitudinem aſcendant: ad quam propterea quicunque in Chriſtianam hanc ſocietatem admiſſi ſunt, unicè aſpirare debent; & ſummis viribus eniti, ut, ſubacto carnis imperio, ſe totos obſervandis Chriſti præceptis conſecrent, atque adeo cœleſti per eum gloriâ potiantur. Et quidem cùm inter omnes conveniat Chriſtianos, neminem è cœlo excluſum fore, qui clariſſimè promulgatis in Evangelio legibus ſincere obtemperaverit, mirum cuipiam videatur, ſi non omnes qui Chriſti nomen præ ſe ferunt, hoc unum ſtudeant & proſequantur, ut æternæ iſtius vitæ ac ſalutis participes fiant, quam unigenitus Dei filius proprio ipſius ſanguine humano generi comparavit.

II. Verumenimvero ſi ſacram hanc Eccleſiam ut ubique gentium hodie conſtitutam, attentis oculis perluſtremus, eam in partes & factiones adeo diſcerptam videre eſt, ut parum abſit, quin fides à Chriſto ei concredita, in ſuperfluas ac inanes quæſtiunculas tota evanuerit. Multo enim maxima pars eorum qui membra illius ſe profitentur, ſuſque deque habitis Evangelii mandatis, nihil fere aliud curant aut meditantur, quam ut controverſias de religione vel agitandas moveant, vel motas agitent, & huic vel illi earum parti aliquo modo patrocinentur. Quo factum eſt, ut reſciſſâ Eccleſiæ unitate, in certas quaſdam ſectas & diverſas diſciplinæ formulas ſe disjungant, quæ ſingulæ peculiares ſibi opiniones habent, de quibus propagandis majori urgentur ſolicitudine, quàm de ipſo Deo ſincerè pieque colendo: idque licet non rarò de re nihili inſtituantur, ut parum interſit, an quis ex ingenio ſuo addat iis vel demat fidem. Hoc ſaltem extra dubium eſt, utramque opinionis cujuslibet controverſæ partem, veram eſſe non poſſe. Sed quanto una ad rei veritatem accedit, tanto altera ab eâ diſtet neceſſe eſt. Sæpius etiam accidit, ut neutra pars diſſidens fidem mereatur. Ea

nimirum

nimirum eſt humani ingenii pravitas, is animi præceps impetus, ut ad extrema ruere plus nimio proclives ſimus. Si qua nobis opinio minùs arrideat, ab eâ aliquantulum diſcedere haud contenti, in contrariam prorſus ſententiam præcipites ferimur, quæ vero plurimùm æque abhorret, atque ea à quâ diſceſſimus. Et ad hanc fere claſſem pleræque quæſtiones Eccleſiaſticæ, tanto fervore hiſce diebus agitatæ, facilè reducantur. Iſtiuſmodi enim ſunt, quæ mediâ viâ tutiſſime dirimantur; ſed eâ derelictâ, in extremas utrinque partes vulgo abitur, ſummo ſtudio ac ingenii acumine propugnatas. Quemadmodum olim etiam in Eccleſiâ accidit. Cùm Neſtorius enim duas eſſe in Chriſto perſonas æque ac naturas, divinam ſcilicet & humanam, impie aſſeruiſſet, Eutyches in hæreſi iſtâ oppugnandâ exercitatus, in aliam ex adverſo ei oppoſitam delapſus eſt, duas in Chriſto incarnato naturas æque ac perſonas negans. Idem ante oculos nobis etiamnum verſatur in omnibus fere controverſiis, quibus Eccleſia Chriſtiana hodie ſolicitatur. Ex immoderato enim partium ſtudio devicti homines, vix citiùs ex uno ſe errore expedire poſſunt, quin protinus in contrarium vacillent: Ut e Sexcentis videre licet extremis utrinquè opinionibus, ex iis præſertim, quibus Eccleſia Anglicana in medio conſtituta, ultro citroque exercitatur.

III. Aliis autem, quæ plurima proferri poſſunt, in præſenti prætermiſſis, clariſſimum hujus rei ſpecimen habemus in controverſiâ iſtâ, quæ hiſce meditandis occaſionem præbuit. Nimirum *Franciſcus Turrianus, Jeſuita*, Librum ſingularem edidit, quo probare conatus eſt, *Canones* vulgo *Apoſtolorum* dictos, ab ipſis Apoſtolis conſtitutos, & à ſanctiſſimo eorum diſcipulo Clemente Romano literis mandatos, atque in eam quam hodie habemus formam redactos eſſe. Hanc opinionem vir egregiè doctus, & in Antiquitate, præſertim Eccleſiaſticâ, verſatiſſimus, *Johannes Dalleus*, multis, iiſque ſolidiſſimis argumentis refutavit. Sed quod commune eſt hominum etiam eruditiſſimorum fatum, in refellendâ iſtâ Turriani ſententiâ ſummè occupatus, præ nimio incenſi in eam animi ardore, eò tandem devenit, ut omni aſſeveratione affirmarit, hanc Canonum collectionem non tantum non ab ipſis Apoſtolis, vel à viris Apoſtolicis compoſitam eſſe, ſed ab hæretico neſcio quo tenebrione conſarcinatam, eamque nec ante quintum illudque adultum à Chriſto incarnato ſeculum Eccleſiæ Chriſtianæ innotuiſſe, & quinto exeunte jam primum extitiſſe, publicarique cœptam eſſe. Quod quidem non eſt à delirâ Turriani opinione tantum recedere, verumetiam in aliam ei ex diametro contrariam ſeſe præcipitare.

IV. Cùm nos itaque Pandectis Canonum edendis operam daremus, inter Annotationes in hoſce S. *Apoſtolorum* vocatos Canones elucubrandas, in veram certamque eorum Antiquitatem inquirere neceſſarium duximus: & penſiculatis utrinque argumentis, mediam inter duas iſtas extremas,

tremas, Turrianicam ſcilicet & Dallæanam, opiniones amplexi ſumus. Hos ſcilicet Canones nec ab ipſis Domini Apoſtolis *An. Dom.* XLV. ut vult Turrianus, conſtitutos eſſe, nec tamen quinto exeunte ſeculo eos primùm extitiſſe vel publicari cœptos eſſe, ut hariolatus eſt Dallæus, ſed medio inter ea tempore, ſecundo videlicet exeunte, vel tertio ſaltem ineunte ſeculo conſtitutos pariter editoſque fuiſſe: Quam noſtram ut firmiorem redderem opinionem, non ſolum rationes protuli, quibus fundata eſt, verum etiam clariſſimi Dallæi argumentis, quæ quovis ei modo repugnare viſa ſunt, pleniſſima, ut opinatus ſum, reſponſa dedi. Verumenimvero Anonymus, neſcio quis, vir ſane haud mediocri eruditione ac Doctrinâ, ægrè ferens tanto viro, quantus ipſi viſus eſt Dallæus, aliquid humani attributum eſſe, calamum in me propterea ſtrinxit, quod ejus hâc in re opinionem in quæſtionem vocaverim. Hanc enim unicam ipſe profert rationem, quare *Obſervationes in Annotationes noſtras in Canones S. Apoſtolorum* edidit, nempe *ut juſta tanti viri nomini & famæ ſolvat parentalia.* Quam etiam ob rem, non me ſolum ſed & undequaque doctiſſimum præſtantiſſimumque virum, *Joannem Pearſonium*, nunc Epiſcopum Ceſtrenſem adortus eſt, & Dallæum ſuum ab Ignatianis ejus vindiciis vindicare conatus. Quali ſucceſſu tam eruditum virum opuſque impetierit, non meum eſt diſquirere. Nullus enim dubito, quin ipſe ille quem Anonymus hic Obſervator in certamen vocavit, Ignatianas ſuas vindicias ab omnibus ejus exceptionibus facillimè vindicaverit. Noſtram ſane de iſtâ quæſtione rogatus ſententiam, paucis aſſerere non vererer, omnes S. Ignatii Epiſtolas ab eruditiſſimo earum vindice propugnatas, pro veris ac genuinis Apoſtolici illius viri ſcriptis neceſſario habendas eſſe, ſi nihil amplius contra eas in poſterum dici poſſit, quam hucuſque dictum fuit. Cum hæc autem controverſia ad nos in præſenti non pertineat, eâ fortiſſimo Ignatii patrono dimiſſâ, nos interim iſtas eruditi Anonymi obſervationes examinabimus, quas in noſtras Annotationes in Canones S. Apoſtolorum edidit.

V. Priùs autem quam ipſam aggrediar controverſiam, non poſſum non advertere, eruditum noſtrum Obſervatorem perſpicaci adeo atque acuto eſſe ingenio, ut ea etiam è ſcriptis noſtris obſervare poſſit, quæ ibi nulla ſunt. Obſervat enim nos ſtylum idcirco in Dallæum ſtrinxiſſe, quod *veriti ſumus ne proſtrata jaceret quam divinam putamus divinituſque inſtitutam Epiſcoporum ſupra presbyteros eminentia & autoritas, ſi Epiſtolis Ignatianis & Apoſtolicis Canonibus larva detraheretur*, pag. 2. Undenam hoc collegerit, hariolari nequeo. Neque enim vola nec veſtigium vani ac inanis hujuſmodi metûs in ſcriptis uſpiam noſtris apparet. Non equidem diffiteor, quin in agitandâ iſtâ de ordinis Epiſcopalis à presbyteratu diſtinctione,

contro-

controverſiâ magni ponderis meritò habenda ſit S. Ignatii viri Apoſtolici & martyris autoritas, ut clariſſimus ejuſdem vindex in proœmii ſui initio rectiſſimè obſervavit. Hinc autem nequaquam ſequitur *omnem Epiſcoporum* ὑπεροχὴν S. *Ignatii epiſtolis & Canonibus Apoſtolicis præcipuè inniti*, ut eruditus obſervator, omnium, ut opinor, mortalium primus ſomniavit. Quid enim ſi S. Ignatii Epiſtolæ in lucem nunquam prodiiſſent? nihil univerſæ Eccleſiæ traditio, nihil perpetua Epiſcoporum ubique gentium ſucceſſio, nihil luculentiſſima aliorum Apoſtolicorum virorum de hâc re teſtimonia, nihil denique ſacræ ſcripturæ & divina ipſa S. Apoſtolorum oracula nos moveant, ut Epiſcopalem autoritatem ab ipſis Apoſtolis derivatam eſſe, perſuaſum habeamus? Omnia quæſo partium ſtudia, ut prudentem decet virum, depone, & vetuſtiſſima Eccleſiæ monumenta fide ſincerâ conſule, & dic tandem nobis, quo terrarum loco Eccleſia unquam ſine Epiſcopo presbyteris præſidente ac imperante, ante delirum hoc noſtrum & præcedens ſeculum, conſtituta fuit? Cumque nihil certius, nihil apertius eſſe poſſit quam proximâ poſt ipſos Apoſtolos ætate Epiſcopos omnibus locis Eccleſiaſticam ſuam exercuiſſe poteſtatem, cuinam, obſecrò, eam acceptam retulerunt? Quiſnam eos Eccleſiis quibuſque primus præpoſuit? A quo generali concilio, à quâ provinciali ſynodo ſupra presbyteros conſtituti ſunt? Hanccine ipſi autoritatem ſibi arroganter arripuerunt? Quis ſanæ mentis, tot Apoſtolicos viros martyrii coronâ pleroſque redimitos, tanti facinoris arguere & condemnare auſus ſit? Quis fidiſſimos illos piiſſimoſque patres qui mundo huic omnibuſque iſtius cupiditatibus toti renunciaverant, quique glorioſiſſimam Chriſti cauſam ad necem uſque defendere ſemper parati erant, quis illos, inquam, primam Eccleſiæ diſciplinam ab ipſo Chriſto & Apoſtolis ejus inſtitutam immutare, ſeque contra ac edocti fuerant, ſupra fratres ſuos efferre auſos fuiſſe opinetur? Omnem ſane fidem excedit, ut viri tantâ in Deum Chriſtumque pietate præditi, quantâ primos Eccleſiæ Chriſtianæ præſides fuiſſe extra dubium eſt, ullam ſibi in Eccleſiâ poteſtatem arrogare vellent, quam ab ipſo Chriſto & legatis ejus ſibi commiſſam eſſe neſciebant. Ipſi autem acerrimi paritatis presbyteranæ propugnatores, negare nunquam potuerunt, ſed rei veritate ſubacti multoties confeſſi ſunt, ſecundo ineunte vel ſaltem non adulto à Chriſti Nativitate ſeculo, Epiſcopos Eccleſiaſticæ ſupra presbyteros autoritatis compotes fuiſſe; eoſdem tamen piè ſanctéque Chriſtum coluiſſe, nemo inficias eat. Quomodo autem hæc ſibi conſtant, ut primitivi illi Antiſtites veram erga Chriſtum pietatem colerent, & tamen ſpretâ diſciplinæ formulâ à Chriſto inſtitutâ, aliam prorſus inſtituerent, quâ ipſi aliquam in Eccleſiâ ejus poteſtatem uſurparent quam ipſe Chriſtus iis denegaverat? Hæc ſanè inter ſeſe haudquaquam conſiſtunt.

ſiſtunt: ut neceſſe ſit alterutrum aſſerere, vel Epiſcopalem iſtam autoritatem ab ipſo Chriſto & Apoſtolis ejus illis concreditam eſſe, vel eos omnes ſceleratiſſimos fuiſſe hypocritas, qui Chriſti fidem profeſſi, leges ab eo conditas tam projectâ audaciâ violarunt. Quod cum nefas ſit de iis vel animo cogitare qui primi fuerunt religionis noſtræ aſſertores, eos omnem quam ſupra presbyteros tenuerunt eminentiam ac autoritatem, ipſis Chriſti Apoſtolis acceptam retuliſſe, non ſolum confiteamur, ſed & profiteamur oportet. Quod clarius adhuc ex eo eluceſcit, quod iis etiam Apoſtolicis temporibus, non uno tantum alterove in loco, ſed ubicunque diſſeminata eſt religio Chriſtiana, Epiſcopalis ibidem ordo à presbyteratu diſtinctus eique prælatus eſt. In omnibus enim quæ tunc temporis patebant orbis terrarum partibus, *Aſiâ* ſcilicet, *Africâ* & *Europâ*, Eccleſiam Chriſtianam per Epiſcopos à Presbyteris diſtinctos, ſecundo ſaltem currente ſeculo, adminiſtratam fuiſſe, antiquiſſima quæ extant Eccleſiæ monumenta indubium faciunt, nec ipſi infenſiſſimi Epiſcopalis dignitatis adverſarii inficiari unquam potuerunt. Quonam autem pacto evenire potuit, ut omnes uſquequaque Eccleſiæ, Hieroſolymitana, Romana, Antiochena, Alexandrina, Smyrnenſis, Epheſina, & quæcunque demum ullibi conſtitutæ ſunt, tanto à ſe invicem locorum intervallo disjunctæ, in unam eandemque diſciplinam tam cito conſpirarent, niſi eam unà cum fide ab ipſis Apoſtolis traditam accepiſſent? Nemo equidem rei tam incredibili ritè perpenſæ fidem habeat, niſi ad Dei omnipotentiam confugiat, cui nihil eſt impoſſibile. Qui ad eam autem ſe confert, eo ipſo nomine Epiſcopalem illam autoritatem divinitus inſtitutam eſſe confitetur. Quod ſi quis mentis errore laborans, omnes iſtos religioſiſſimos eccleſiæ præſules, qui eam proximo poſt Apoſtolos ſeculo adminiſtrabant, diſciplinam ab ipſis in Eccleſiâ relictam funditus evertiſſe, aliamque ejus loco initâ factione ex proprio ingenio inſtituiſſe arbitratus fuerit, is uno ictu, univerſam condemnabit Eccleſiam, ab eo uſque tempore ad hæc noſtra ſecula propagatam, tanquam vitiatam, corruptam, & à diſciplinâ per Chriſtum ſtabilitâ perpetuò degenerantem; imò vero per pluſquam tredecim annorum centurias, nullam prorſus in mundo talem fuiſſe Eccleſiam, qualis à Chriſto fundata eſt, non minus impiè quam palam & aperte affirmabit. Quod quam abſurdum ſit, & à fide pariter atque à pietate Chriſtianâ alienum, iſti viderint, qui melius ſeſe Eccleſiam Chriſti adminiſtrare poſſe jactitant, quam unquam antehac ab ipſis ejus incunabulis adminiſtrata fuit. Nobis non licet eſſe tantâ prudentiâ, vel tantâ potius inſolentiâ præditis. Cum autem in confeſſo habeamus, ſecundo ſaltem poſt Chriſtum incarnatum ſeculo, eoque nondum adulto, hoc eſt ante quinquageſimum poſt ultimum Apoſtolorum annum, Epiſcopos ubique presby-

presbyteris præfuiſſe, nec unquam demonſtrari potuerit, quando, quomodo, vel cujus tandem ope atque autoritate præterquam Apoſtolicâ, ſacram iſtam præfecturam primo adepti ſunt, eam non faſtuoſæ primorum Eccleſiæ præſulum martyrumque arrogantiæ & ambitioni, ſed Apoſtolicæ potius inſtitutioni meritiſſimo jure adjudicandam eſſe cenſemus; præſertim cum haud obſcura ejuſdem veſtigia in ipſis Apoſtolorum ſcriptis etiamnum extent, ut poſthæc, Deo volente, demonſtraturi ſumus.

VI. Quamobrem non opus eſt, ut vereamur, ne proſtrata jaceret Epiſcoporum ſupra presbyteros eminentia ac autoritas, ſi Epiſtolæ ab eo conſcriptæ, ſancto Ignatio abjudicentur: multo minus ſi debita Apoſtolicis Canonibus Antiquitas à nobis aſſerta iis denegetur. Et iſtis enim *omnem Epiſcoporum ὑπεροχὴν præcipuè inniti*, ſatis mirari nequeo, quâ tandem fronte obſervator aſſeruerit. Ipſe enim bene novit Blondellum ſuum alioſque ſtrenuiſſimos Epiſcopalis autoritatis oppugnatores, etiam atque etiam confeſſos eſſe, Epiſcopatum caput extuliſſe ante An. Dom. CXL. Imo quidem D. Blondellus de tempore, quo Epiſcopi ſupra presbyteros elati ſunt, verba faciens, diſerte ait, *Nullum momentum illuſtrius occurrit, in quod inſignis illa mutatio commodè conferri poſſe videatur, quam An. Chriſti CXXXV.* Blondel. præf. ad Apolog. Quinetiam nec ipſe eruditus obſervator *diſtinctionem inter Epiſcopos & Presbyteros natam eſſe ſecundo ſeculo inclinato & ad finem vergente diffitetur*, obſervat. in poſter. vind. part. p. 307. Noſtra autem opinio, quam ille tantopere invadit & impugnat, Canones Apoſtolicos exeunte tantum eodem ſecundo ſeculo vel ineunte tertio conditos fuiſſe ſtatuit. Unde palam conficitur Epiſcoporum ſupra presbyteros eminentiam, juxta ſuam ipſius obſervatoris aliorumque ejus gregalium confeſſionem prius exortam fuiſſe, quam Canones Apoſtolici juxta noſtram ſententiam conſtituti eſſent: ac propterea hos nihil prorſus conferre ad eam ſtabiliendam, utpote quæ ante eos ſtabilita fuiſſe utrinque agnoſcitur. Quanam itaque ratione affirmare potuit eruditus obſervator, omnem Epiſcoporum ὑπεροχὴν Apoſtolicis etiam Canonibus præcipuè inniti? Vel ſuſpicari nos veritos eſſe, ne illa unà cum horum Antiquitate concideret? Si ipſe quidem cum Turriano aſſeruiſſem, hoſce Canones ab ipſis Apoſtolis ſancitos eſſe, legitimam hoc ſuſpicandi materiam ei præbuiſſem. Cum autem verbis conceptis è contra affirmaſſem, eos non ab ipſis Apoſtolis, ſed à primitivâ Eccleſiâ, labente ſecundo vel tertio ſurgente ſeculo, hoc eſt, poſt introductam, ut inter omnes convenit, Epiſcopalem autoritatem, conſtitutos fuiſſe, quis præter unicum hunc noſtrum obſervatorem aperto ore aſſeverare potuit, me *veritum eſſe, ne proſtrata jaceret Epiſcoporum ſupra presbyterorum eminentia atque autoritas, ſi Apoſtolicis Canonibus larva detraheretur*? Quis po-

tius

tius ex hâc cenſoriâ eruditi viri obſervatione non eliceret, eum iſto ſolum nomine in hoſce Canones tanto conatu invehi, quod Epiſcopi tanquam à presbyteris diſtincti in iis toties commemorentur? Licet enim non nobis, illi tamen omnis Epiſcoporum ὑπεροχὴ iis etiam præcipue inniti videtur; ac propterea veritus ut presbyterana paritas cum primitivâ Eccleſiæ diſciplinâ conſiſtat, ſi qua veteri huic monumento fides habeatur, ſummis eam viribus labefactare enixus eſt. Quam male autem hoc in negotio operam locavit, nullus dubito quin clariſſime evincatur.

VII. Hoc autem ut effectum detur, aliâ hoc in loco procedendum eſt methodo quam quâ in Annotationibus uſi ſumus. In iis enim elaborandis, cum nihil minus quam peculiarem integrumve de hoc ſubjecto tractatum edere, nobis conſtitutum fuerit, ſingula Dallæi argumenta diſcutere, haud operæpretium duximus. Neque enim loci, propoſitique ratio id poſtulabat. Quinetiam multo maxima eorum pars quæ Dallæus contra Canonum Apoſtolicorum Antiquitatem ſcripſit, non noſtram ſed Turrianicam ſolam de iis ſententiam perſtringunt: Quibus proinde non opus erat nos reſponderemus. Cum eruditus autem obſervator aliquoties affirmet Clariſſimum Dallæum Turrianicis occurrendo objectionibus, pleraque etiam noſtra argumenta refelliſſe, ejuſque reſponſiones etiamnum valere, niſi à nobis diluantur, hinc neceſſarium nobis viſum eſt, hanc de Canonum horum Antiquitate quæſtionem à capite uſque ad calcem pertractare, ut nullus in poſterum cavillandi locus ſuperſit.

VIII. Quaproper noſtram imprimis de hiſce Canonibus ſententiam fuſius aperiemus, unà cum argumentis quibus innititur. Deinde, quicquid Doctiſſimi viri, *Joannes Dallæus* & Anonymus obſervator, contra iſta exceperunt argumenta ad examen revocabimus, & diſſolvemus. Secundum hæc omnia diſcutiemus argumenta, quibus Dallæus contra horum Canonum Antiquitatem militavit, eaque noſtram de iis ſententiam non attingere, nedum evertere demonſtrabimus: & quæcunque præterea obſervator vel pro Dallæanâ vel contra noſtram de hâc re opinionem ſcripſit, ea, ſuo quodque in loco, prout occurrunt, Deo adſiſtente, diluemus.

CAPUT

CAPUT II.

Synopſis.

I. *Noſtra de* Canonibus Apoſt. *ſententia, eos à Catholicis ſecundi tertiique ſeculi Synodis ſancitos ſtatuens.*
II. *Hæc ſententia duabus obſervationibus explicatur, quarum prima eſt, frequentes iſtis etiam ſeculis æque ac poſtea, habitas fuiſſe Synodos: quibus altiora quæque tractata ſunt, quod probatur.*
III. *Altera obſervatio eſt, nihil in* Can. Apoſt. *haberi, quod Eccleſiaſticæ iſtorum temporum diſciplinæ non exacte reſpondet.*
IV. *Hinc ergo hi Canones nihil aliud nobis videntur, quam primitivarum Synodorum decreta. Quod de nonnullis eorum certe conſtat.*
V. *Non ab uno ſed à pluribus conciliis conditi fuerunt. Et à diverſis etiam viris collecti. Unde orta eſt in numero eorum diverſitas.* Eccleſiaſtici *etiam à nonnullis vocantur, ab aliis* Apoſtolici & Apoſtolorum. *Utriuſque nomenclaturæ ratio.*
VI. *Synodi primitivæ ex* Apoſtolorum *traditionibus controverſias determinare, legeſque ferre ſolebant. Hinc Canonibus hiſce ab iis ſancitis* Apoſtolorum *nomen inſcriptum.*
VII. *Noſtra de horum Canonum Antiquitate, quæ ſola controvertitur, ſententia.* Hincmarus Rhemenſis *eandem olim tenuit. Sed* Joannes Dallæus *aliter ſenſit: cujus opinio hic diſcutitur.*

I. PRIMO itaque quod ad noſtram ſpectat ſententiam in Annotationibus aſſertam, paucis hic expediatur. Omnes enim octoginta quinque Canones Apoſtolorum vulgo dictos, quos *Franciſcus Turrianus* ab ipſis Apoſtolis ante annum Dom. L. Sancitos, *Joannes* autem *Dallæus* ab Hæretico aliquo impoſtore poſt annum Dom. CCCCL. confictos eſſe affirmavit, nos mediâ inſiſtentes viâ, eos nec ab ipſis Apoſtolis, nec à quovis Hæretico; nec ante annum L. nec poſt CCCCL. ſed ab Apoſtolicis Catholiciſque viris, ſecundo, tertiove à Chriſti nativitate ſeculo conſtitutos, publicatoſque fuiſſe contendimus. Non quod ſingula quæ nunc dierum in iis habentur verba adeo antiqua fuiſſe cenſeamus: Nihil enim dubii eſſe poteſt, quin hoc, æque ac alia quæcunque Eccleſiæ primitivæ monumenta, nonnullis in locis interpolatum fuerit, & mendis quibuſdam, de

quibus poſtea agemus, vitiatum. Verum res ipſas in dictis Canonibus comprehenſas, à variis Apoſtolicorum virorum Synodis definitas, & ante tertium finitum ſeculum in iſtud quod ſub Canonum S. Apoſtolorum titulo hodie circumfertur, corpus collectas fuiſſe arbitramur. Uſque adeo ut hæc Canonum Antiquiſſimorum Sylloge nihil aliud nobis videatur, quam *Codex Canonum Eccleſiæ primitivæ*, per quem ſcilicet Eccleſiaſtica diſciplina, plurimis ſaltem in locis, ante conſeſſum Nicænum adminiſtrata fuit.

II. Ad hanc noſtram de Canonibus Apoſtolicis opinionem dilucidandam, inprimis obſervetur velim, complures ab ipſâ etiam Apoſtolorum ætate Synodos paſſim celebratas fuiſſe, tribus nimirum primis Chriſtianiſmi ſeculis æque ac ſequentibus. Cum ipſis enim Apoſtolis ad determinandam iſtam, quæ in Eccleſiâ recens natâ exorta erat, de circumciſione & lege Moſaicâ Gentilibus imponendâ, controverſiam, in Synodo unà convenire, & in eâ Canonem ſive Eccleſiaſticam de iſtâ re legem ſancire viſum fuiſſet, hâc iis præmonſtratâ viâ itum eſt ab omnibus ipſorum ſucceſſoribus, ſive Epiſcopis, quibus Eccleſiæ ulterius propagandæ regendæque cura commiſſa fuit. Si qua enim quæſtio de fide Chriſtianâ, vel de externâ Eccleſiæ politiâ ritè inſtituendâ emerſit, eam Epiſcopi, Apoſtolorum more, in Synodis congregati protinus determinare ſolebant. Ut videre eſt in gravi iſtâ de paſchalis celebritatis tempore controverſiâ, quâ Eccleſia primitiva diu multumque ſolicitata fuit. Ad eam enim dijudicandam, plurima paſſim ab Epiſcopis celebrata ſunt concilia, Romanum, Palæſtinum, Ponticum, Gallicanum, Oſroenum, aliaque ab Euſebio commemorata, *Hiſt. Eccleſ. lib.* v. *cap.* XXIII. XXIV. Et cum multæ iſtiuſmodi quæſtiones illis diebus exortæ eſſent, frequentes etiam iiſdem dirimendis habitas fuiſſe Synodos, pluſquam veriſimile eſt. Ex Tertulliano enim certiſſimè conſtat, dicente, *Aguntur præcepta per Græcias illas certis in locis concilia ex univerſis Eccleſiis, per quæ & altiora quæque in commune tractantur, & ipſa repræſentatio totius nominis Chriſtiani magnâ veneratione celebratur.* Tertull. de jejun. adv. pſych. cap. XIII. E quibus etiam verbis liquet *altiora quæque* in iſtis Synodis tractata fuiſſe. In earum ſcilicet poteſtate ſitum erat, omnia quæ in Eccleſiâ orta ſunt, dubia ſolvere, contentiones componere, Hæreticos & Schiſmaticos contumaces Eccleſiâ ejicere, particulares ritus ac cœremonias in externo Dei cultu obſervandas è generalibus ſacræ ſcripturæ axiomatis elicere ac imperare, & Canones denique ſive leges Eccleſiaſticas condere, juxta quas Epiſcopi, ſuam quiſque provinciam, adminiſtrarent. Hæc erant altiora illa quæ in primitivis Synodis tractata ſunt.

III. Ad hæc obſervatum etiam velim, nihil in Canonibus qui Apoſtolorum

ſtolorum vulgo appellantur decerni, quod moribus ac inſtitutis Eccleſiæ primitivæ non ad amuſſim quadrat. Quicquid enim in iis conſtituitur ſecundo tertiove æræ Chriſtianæ ſeculo obſervatum fuiſſe, ex Origene, Clemente Alexandrino, Tertulliano, Cypriano, aliiſque iſtorum temporum ſcriptoribus, necnon ex Eccleſiaſticis hiſtoriis abunde conſtat, ut poſtea fuſius oſtenſuri ſumus. Omnia vero quæ in dictis Canonibus continentur, in ſacris ſcripturis nuſquam præſcripta leguntur. Quânam itaque ratione in Apoſtolicam ſive primitivam Eccleſiam primò inducta ſunt? Furtim & fortuitò ea omnia irrepſiſſe, nemo, ut opinor, affirmabit. Neque enim credibile eſt primos Eccleſiæ præſules adeo ſocordes fuiſſe & curæ ſibi concreditæ negligentes, ut ritus quoſvis ſolennes in publicum Dei cultum aut Eccleſiæ regimen induci permitterent, priuſquam ipſi conſilium de iis iniiſſent: ac propterea perſuaſiſſimum habemus, nihil non disertè in ſacris ſcripturis præceptum aut ab Apoſtolis traditum in Eccleſiâ primitivâ obtinuiſſe, quod non prius à Synodis Epiſcoporum approbatum fuit, ac inſtitutum. Et quandoquidem plurima hujuſmodi concilia iſtis temporibus paſſim celebrata eſſent, plures haud dubie Canones ſive regulæ Eccleſiaſticæ ab iis conſtitutæ ſunt, haud pauciores ſcilicet quam ritus, mores, ac ceremoniæ iſtis diebus obſervatæ, & nec divinâ nec Apoſtolicâ autoritate prius ſancitæ.

IV. Quæ cum ita ſint, Apoſtolicos quos vocamus Canones, nihil aliud fuiſſe exiſtimamus, quam ſtatuta quædam ſive decreta Synodorum quæ per tria priora æræ Chriſtianæ ſecula diverſis temporibus, lociſque habitæ fuerunt. Quæ ſententia eo probabilior redditur, quod pro comperto habeamus, nonnulla eorum, quæ in dictis Canonibus continentur, à primitivis iſtis Synodis conſtituta fuiſſe. Verbi gratiâ. Canone Apoſtolorum ſeptimo cautum eſt, ne quis ſanctum paſchæ diem ante vernum æquinoctium cum Judæis celebret: Quod idem à plurimis Epiſcoporum Synodis ſecundo exeunte ſeculo celebratis, decretum fuiſſe, Euſebius memoriæ tradidit. *Hiſt. Eccleſ. lib.* v. *cap.* xxiii. Præterea Canones Apoſtolici vi. & lxxxi. præcipiunt, ne quis Epiſcopus, presbyter aut Diaconus ſeculares curas, aut publicas adminiſtrationes ſuſcipiat: Hoc autem in concilio Epiſcoporum ab anteceſſoribus ſuis ſtatutum fuiſſe D. Cyprianus atteſtatur. *Epiſt.* LXVI. Idem dicendum eſt de Canone Apoſt. LII. quo lapſos reſipiſcentes ab Eccleſiâ recipiendos eſſe decernitur, hoc enim à *copioſo Epiſcoporum numero* in unum conveniente decretum eſſe, ab eodem aſſeritur, *Epiſt.* LII. ad *Antonian.* Quinetiam Synodus Romana iiſdem diebus habita idem decrevit, ut ex Euſebio diſcimus, *Hiſt. Eccleſ. lib.* vi. *cap.* xliii. Ut de aliis ſileam, quod in Canonibus Apoſtolorum XLVI. & XLVII. decernitur de Hæreticorum Baptiſmo non recipiendo, id *multis annis &*

longâ ætate ante D. Cypriani tempora, à Synodo ſub Agrippino habitâ ſtatutum fuiſſe, ex ſeptuageſimâ tertiâ ejuſdem Cypriani Epiſtolâ, quæ eſt ad Jubajanum, abunde conſtat. Unde clariſſimè conficitur aliquam ſaltem horum Canonum partem à primitivis, ut ita loquar, Synodis conſtitutam eſſe. Quod autem de parte conſtat, idem de toto hoc codice merito ſtatuatur: Omnes nimirum hoſce Canones, nec S. Apoſtolorum præcepta, nec Hæretici cujuſpiam figmenta, ſed decreta eſſe Synodorum, quæ à viris Apoſtolicis, primis Eccleſiæ ſeculis celebratæ ſunt. Quod nullus dubito, quin extra controverſiam eſſet, ſi acta omnium extarent Synodorum quæ ante Nicænam habitæ fuerunt.

V. Cum omnia verò iſtarum Synodorum Acta jampridem perierint, ut cuique notum eſt, nihil certi definire poſſumus de loco vel tempore, quo primo editi ſunt hi Canones. Hoc tantum ex ipſâ eorum texturâ conſtare videtur, eos ſcilicet, non ab unâ omnes, ſed à multis Synodis iiſque diverſis in locis habitis conſtitutos fuiſſe, ut in Annotationibus oſtendimus. Et præterea ut à variis conciliis editi, ſic à diverſis quoque viris collecti nobis videntur, quorum hi plures, illi pauciores collegerunt, prout eos quærendo inveſtigare poterant. Et hinc eſt quod in codice quo uſus eſt Dionyſius exiguus, quinquaginta ſoli Canones inventi ſunt, & ab eodem latinè redditi, cùm alii Codices iiſdem etiam diebus extantes, octoginta quinque Canones numerarent. Verùm priores L. prius compacti, & reliqui XXXV. iſtis poſtea additi videntur. Non ſecus ac in Codice Canonum Eccleſiæ univerſæ accidiſſe liquet: qui primò Epheſinis terminatus Canonibus, poſtea Chalcedonenſibus, Trullanis, Carthaginenſibus, aliiſque quamplurimis locupletatus & exauctus eſt. Eodem modo, Codici Canonum Eccleſiæ primitivæ ex L. tantum Canonibus primùm conflato, alios XXXV. poſtea adjectos fuiſſe, vero nobis ſimillimum videtur. Ex quo autem primo collecti ſunt, & in Codicem quem præ manibus habemus compacti, hi Ἐκκλησιαστικοὺς, illi Ἀποστολικοὺς κανόνας, eos nuncuparunt: *Eccleſiaſtici* quidem vocantur, non tantum à vetuſtis quibuſdam Synodis patribuſque, verumetiam ad calcem Apoſtolicarum conſtitutionum quibus ſubjungi ſolent, ubi hi Canones, hunc titulum præ ſe ferunt Κανόνες Ἐκκλησιαστικοί. Quo nomine jure merito indigitantur, eò quod ab Eccleſiaſticis Synodis conſtituti fuerant, quodque veteris Eccleſiæ diſciplinam complectuntur. *Apoſtolici* autem & S. *Apoſtolorum* Canones idcirco appellantur, quod à viris *Apoſtolicis* ſanciti ſunt & publicati; quod S. *Apoſtolorum* doctrinæ conſentanei, & quod ab ipſis denique *Apoſtolis* traditi crederentur.

VI. Enimvero proximis poſt Apoſtolos ſeculis, quæcunque in Eccleſiâ ortæ ſunt controverſiæ, de ritibus ſaltem & externâ Eccleſiæ politiâ,

politiâ, eas omnes ex Apoſtolorum traditionibus determinare ſolenne fuit. Ut è magnâ iſtâ de paſchâ contentione patet, utrâque parte Apoſtolorum, hâc D. Petri ac Pauli, illâ *Joannis* & *Philippi* traditiones, ad opinionem ſuam adſtruendam afferente; *Euſeb. Eccleſ. Hiſt. lib.* V. *cap.* XXIII. XXIV. Hinc multiplices Apoſtolorum traditiones iſtis diebus collectæ ſunt. Papias enim, qui mox poſt Apoſtolos vixit, ut exactam rerum Eccleſiaſticarum ſcientiam aſſequeretur, à ſenioribus, qui cum ipſis Apoſtolis verſati fuerant, ſe ſciſcitatum fuiſſe dicit, quid *Andreas*, quid *Petrus*, quid *Philippus*, quid *Thomas* quid *Jacobus*, quid *Johannes*, quid *Matthæus*, quid cæteri Domini diſcipuli dicere ſoluti eſſent. Neque enim ex librorum lectione tantam ſe utilitatem capere poſſe exiſtimabat, quantam ex hominum adhuc ſuperſtitum vivâ voce, apud *Euſeb. Hiſt. Eccl. lib.* III. *cap.* XXXIX. Sic etiam Clemens Alexandrinus, in libro quam de paſchâ compoſuit, coactum ſe affirmavit à familiaribus ſuis, ut traditiones quas ab Antiquioribus presbyteris acceperat, ſcriptas poſteris mandaret. *Ibid. lib.* VI. *cap.* XIII. Tanti iſtis diebus habitæ erant Apoſtolorum traditiones. Et quidem nemini dubium eſſe poteſt, quin ſingulæ Eccleſiæ ab ipſis Apoſtolis fundatæ aliquas ab iis traditiones ac regulas acceperint, in adminiſtrationibus Eccleſiaſticis perpetuo obſervandas. Cùm progreſſu autem temporis diverſis in locis diverſæ etiam ſub Apoſtolorum nomine traditiones producerentur, eò factum eſt, ut de ipſis etiam traditionibus poſtea diſceptaretur: adeo ut Epiſcopi in Synodis congregati in hujuſmodi traditiones diligenter inquirerent, ut veras ac genuinas à falſis & ſuppoſititiis diſcernerent. Quicquid autem ab ipſis Apoſtolis diſerte traditum, vel aliis eorum traditionibus conſonum eſſe poſt deliberationem in utramque partem factam judicabant, illud ſub Apoſtolorum, ut videtur, nomine aliis commendare ac præcipere ſolebant. Omnes porro Eccleſtaſtici de quibus hic agimus Canones, hujuſmodi nobis videntur Synodorum primitivarum decreta ſive regulæ, quas vel ab ipſis Apoſtolis traditas, vel aliis ipſorum traditionibus conſentaneas eſſe, à Synodis iſtis judicatum eſt. Et hinc imprimis eſt quod Apoſtolorum nomen iis inſcriptum fuit, ſi non ab ipſis eorum editoribus vel ab iis qui in unum eos corpus collegerunt, ab aliis ſaltem exiguo poſt tempore, qui neſcii quo melius, Apoſtolorum eos traditioni, ut uni omnis primitivæ diſciplinæ origini, acceptos retulerunt; utpote qui nihil à primitivis iſtis Synodis, niſi ex Apoſtolorum traditionibus vel ſcriptis, vel non ſcriptis, decretum fuiſſe pro certo haberent.

VII. Hæc ſunt quæ noſtræ de Canonibus Apoſtolorum dilucidandæ ſententiæ neceſſaria duximus. Nihil autem hic in controverſiam vocatur, præter dictorum Canonum Antiquitatem. Noſtra enim ſententia eos ante finitum tertium æræ Chriſtianæ ſeculum & conditos fuiſſe & colle-

collectos aſſerit. Ab hâc noſtrâ de hiſce Canonibus opinione haud multum abludit Hincmarus Rhemenſis, qui octingentos ante annos obſervavit Apoſtolorum qui vocantur Canones à primis temporibus traditione viritim Apoſtolicorum virorum fuiſſe mentibus commendatos, & partim verbis, partim ſenſu, ac ſparſim diverſis quorundam Epiſtolis pro qualitate cauſarum & perſonarum ac temporum inditos, atque exinde, *antequam Epiſcopi concilia libere inciperent celebrare, à devotis quibuſque collectos.* Hincmar. Rhem. opuſc. cap. XXIV. quibus verbis haud obſcurè indigitat hoſce Canones ab epiſcopis primitivis ex antiquis Apoſtolorum traditionibus conditos fuiſſe & commendatos: clariſſime autem pronunciat eos collectos fuiſſe *antequam Epiſcopi concilia liberè inciperent celebrare.* Hoc eſt ante annum Dom. CCCVI. quo Conſtantinus M. imperare, & Epiſcopi concilia libere celebrare cœperunt. Verum V. Cl. *Johannes Dallæus* huic opinioni ſe totum oppoſuit, aſſeruitque Canones hoſce Apoſtolorum dictos non ante quintum ſeculum illudque exiens, vel notos fuiſſe vel confictos. Suam enim de hâc re ſententiam his verbis concepit, *Denique ſi de tempore quæratur, quo pſeudapoſtolica illa & Apocrypha Canonum collectio facta & edita primum fuerit, apparet ex iis quæ hactenus diſputata ſunt, eam neque ante quintum ſeculum adultum innotuiſſe, & quinto exeunte extitiſſe, publicarique cæptam eſſe.* Dall. de pſeudep. lib. III. cap. XXI. Hanc Dallæi ſententiam nos breviter, ut loci ratio poſtulabat, in Annotationibus refellimus. Sed quandoquidem Anonymus obſervator eandem ab argumentis noſtris vindicare conatus eſt, eam paulo altius hoc in loco diſcutiemus, & noſtram de Canonum horum Antiquitate opinionem vero longe propiorem, imò quidem veriſſimam eſſe demonſtrabimus.

CAPUT

CAPUT III.

Synopſis.

I. Canonum Apoſt. *Antiquitas à nobis aſſerta, ex quarti quintique nondum adulti ſeculi teſtimoniis ſatis probetur, Ea in duas claſſes reducuntur.*

II. *Egregium* S. Athanaſii *de antiquis Eccleſiæ Canonibus teſtimonium, Quod de aliis quam Apoſtolicis intelligi non poſſe oſtenditur.*

III. *Aliud ex ejuſdem patris operibus pro Canonibus* Apoſtolicis *petitum argumentum.*

IV. S. Baſilius *ſuum etiam teſtimonium hiſce Canonibus Apoſt. tribuit, in Canonicâ ſuâ ad Amphilochium Epiſtolâ, Canone* III. XII. *necnon primo.*

I. AD evertendam Dallæi, & noſtram de Antiquitate Canonum Apoſtolicorum opinionem confirmandam, aliis non opus eſt Argumentis, quam quæ ex teſtimonio petuntur. Si enim è genuinis ac idoneis veterum teſtimoniis probatum dederimus, hos ipſos Canones viſos fuiſſe, commemoratos, & in cauſis Eccleſiaſticis dijudicandis productos ab Antiquis iſtis patribus aliiſque Eccleſiæ ſcriptoribus, quos ante quintum ſeculum vel elapſum vel adultum ſcripſiſſe inter omnes convenit, nemini in poſterum dubium eſſe poteſt, quin ante iſtud tempus iis confingendis à Dallæo aſſignatum, & conditi fuerint, & in uſum publicum collecti. Ut illud autem demonſtremus, quamvis complures loquendi formulas ab Origene, Tertulliano, Clemente Alexandrino, Cypriano, aliiſque ſecundi tertiique ſeculi ſcriptoribus uſitatas proferre liceat, quæ Canones Apoſtolorum iſtis diebus extitiſſe cognitoſque fuiſſe innuunt; veruntamen iis hic omiſſis, utpote de quibus commodior poſtea occurret agendi locus, ea tantum veterum teſtimonia hic producemus quæ ex quarto quintoque ſeculo ſuppeditantur, remque clariſſimam & indubiam faciunt. Iſta autem in duas claſſes redigemus: quarum prima ea colliget teſtimonia quæ hoſce Canones ſub generali *Canonum* vel *Canonum Antiquorum*, aut *Eccleſiaſticorum* nomine citatos fuiſſe oſtendunt. Ad alteram vero claſſem iſta veterum teſtimonia reducentur, quæ *Canones Apoſtolicos*, & *Canones S. Apoſtolorum* verbis conceptis laudant.

II. Primo itaque aſſerimus, illos qui S. Apoſtolorum Canones vulgo appellantur, quarto quintoque nondum adulto nedum elapſo ſeculo,

culo, nunc ſub *Canonum* in genere, alias ſub *Canonum antiquorum*, & *Canonum Eccleſiaſticorum* titulo citatos fuiſſe, idque ab iis qui in Eccleſiâ tunc temporis præſidebant, quos propterea latere non potuit quinam Eccleſiaſtici Canones ſuis diebus obtinebant. Ut hæc autem palam fiat, imprimis digniſſima ſunt quæ obſerventur S. Athanaſii Archiepiſcopi Alexandrini verba, qui ἐκκλησιαστικοὶ, ut ipſe vocat, κανόνες, quibus nimirum Eccleſia tunc dierum adminiſtrabatur, mentionem faciens eos non ſuâ demum ætate ſancitos, ſed à partibus Eccleſiæ diu ante traditos fuiſſe affirmat, ἐ γὰρ νῦν, inquit, Κανόνες καὶ τύποι ταῖς ἐκκλησίαις ἐδόθησαν, ἀλλ' ἐκ πατέρων ἡμῶν καλῶς καὶ βεβαίως παρεδόθησαν· ἐδὲ νῦν ἡ πίστις ἤρξατο, ἀλλ' ἐκ τοῦ κυρίου διὰ τῶν μαθητῶν εἰς ἡμᾶς διαβέβηκεν. ἵν' ἐν μὴ τὰ ἐξ ἀρχαίων μέχρις ἡμῶν τηρηθέντα ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ἐν ταῖς νῦν ἡμέραις παραπόληται, καὶ τὰ πιστευθέντα ἡμῖν ζητηθῇ παρ' ἡμῶν, κινήθητε ἀδελφοὶ, &c. *Non enim nunc dierum Canones & typi Eccleſiis dati ſunt, ſed à patribus noſtris pulchrè, firmiterque traditi fuerunt: neque nunc dierum fides cœpit, ſed à Domino per diſcipulos ad nos tranſiit: Ne igitur quæ à priſcis temporibus uſque ad nos in Eccleſiis obſervata fuerunt, hiſce diebus pereant, & quæ nobis concredita ſunt à nobis requirantur, moveamini fratres*, &c. Athan. ad ubique Orthodoxoi. t. 1. pag. 943. E quibus verbis abunde liquet, S. Athanaſii, qui ſynodo Nicenæ An. Dom. CCCXXV. celebratæ, adfuit, ætate, priſcos quoſdam in Eccleſiâ Canones obtinuiſſe, qui longe ante iſtud ſeculum conſtituti fuerant, uſque adeo ut unà cum fide traditi viderentur: niſi quod fides ab ipſo Chriſto per Apoſtolos, canones vero à viris Apoſtolicis ſanciti fuerant. Neque enim alii quam viri Apoſtolici quarto ineunte ſeculo Patres proprie appellari poterant. Canones autem iſtos à S. Athanaſio memoratos, eoſdem eſſe ac quos Apoſtolorum hodie vocamus, ex oblatâ ei iſtos commemorandi occaſione patet. Enimvero Georgius à Cappadociâ oriundus nomen epiſcopale à præfecto Ægypti pretio mercatus, ejus juſſu per vim in Eccleſiam Alexandrinam immiſſus eſt; violenter detruſo legitimo illius Eccleſiæ Epiſcopo Athanaſio, licet à nemine niſi forſitan ab hæreticis Arianis accuſatus eſſet, ſaltem à ſynodo nondum condemnatus fuerat. Hæc iſtis temporibus Alexandriæ perpetrata fuiſſe, S. Athanaſius loco ſuperius laudato aſſerit: ac propterea omnes Orthodoxos ubicunque conſtitutos hortatur ſummis viribus eniti ne hæc facinora ulterius progrederentur, ſed quoad fieri potuit, corrigerentur, eo quod Veteres Canones à patribus Eccleſiæ traditi unà cum fide Apoſtolicâ nefariis hujuſmodi cœptis violati eſſent. Verumenimvero quicquid S. Athanaſius contra veteres Eccleſiæ Canones tunc temporis

temporis admiſſum conqueritur, in nullis quos ſcimus Antiquioribus præterquam Apoſtolicis Canonibus prohibitum habemus: In iſtis autem clariſſime. Nimirum S. Athanaſius throno detruſus eſt priuſquam vel à populo vel à presbyteris, vel ab Epiſcopo quopiam Catholico accuſatus, vel cauſa ejus in Epiſcoporum Synodo examinata fuerat, contra Canonem Apoſtolorum LXXIV. quo ſtatutum eſt, ut Epiſcopus à viris fide dignis accuſatus, ad ſynodum vocetur, ibique cauſam dicat priuſquam pœna ei ſtatuatur. Quod ſi dicatur Arianos S. Athanaſio crimen intuliſſe; id quidem verum eſt, ſed eorum teſtimonium contra Epiſcopum non admittendum erat; Nam Ariani à Synodo Oecumenicâ hæreſeos condemnati fuerant, & hæreticum in teſtimonium contra Epiſcopum non admittendum eſſe, diſerte cautum eſt Can. Apoſt. LXXV. Præterea obſervat ſanctiſſimus pater, Georgium iſtum Cappadocem thronum Alexandrinum & Epiſcopalem iſtam dignitatem pecuniis mercatum & principum ſecularium ope conſecutum eſſe: & protinus addit, τοῦτο δὲ τοὺς μὲν ἐκκλησιαστικοὺς κανόνας παραλύει, τὰ δὲ ἔθνη βλασφημεῖν ἀναγκάζει, καὶ ὑπονοεῖν ὅτι μὴ κατὰ θεῖον θεσμὸν, ἀλλ' ἐξ ἐμπορείας καὶ προστασίας αἱ καταστάσεις γίγνονται. *Id autem & Eccleſiaſticos quidem canones violat, & Ethnicos ad blaſphemiam cogit, & ſuſpicionem, ut putent, non legibus rituque divino, ſed nundinatione & potentiâ Epiſcopos conſtitui.* Ibid. pag. 945. Eccleſiaſticos vero Canones hic commemoratos fruſtra alibi quæſiveris præterquam inter Apoſtolicos, quorum undetriceſimo cautum eſt, ne quis per pecunias, triceſimo autem, ne quis per principes ſeculares dignitatem Epiſcopalem aſſequatur. Cum ſanctus igitur Athanaſius hujuſmodi Canones à Georgio violatos affirmet, quales nullibi niſi inter Apoſtolicos, iſtis ſaltem diebus, extabant, haud dubitare fas eſt, quin iſtos ſibi bene cognitos habuerit.

III. Iiſdem temporibus S. Athanaſius ſupradictus de Arſenii cæde ab adverſariis Arianis accuſabatur. Arſenius autem adhuc in Ægypto ſuperſtes Schiſmatis ſimul ac facti contra Athanaſium pœnitentiâ ductus, ſe poſtea vivum obtulit, & ad S. Athanaſium epiſtolam conſcripſit, quam S. Athanaſius ſuæ de fugâ Apologiæ inſeruit. In hâc epiſtolâ Arſenius iſte Epiſcopus Hypſelitarum, profitetur ſe velle τῷ ἐκκλησιαστικῷ κανόνι κατὰ τὸν παλαιὸν νόμον ὑποτάσσεσθαι, *Eccleſiaſtico Canoni juxta vetus inſtitutum ſubjici*, & promittit ſe in poſterum nullo modo communicaturum eſſe cum Schiſmaticis, aut cum iis quibus nondum pax eſſet cum Eccleſiâ catholicâ, additque μήτ' αὖ δίχα γνώμης τοῦ τῆς μητροπόλεως ἐπισκόπου ὅρον τινὰ ἐκφέρειν περὶ ἐπισκόπων, ἢ περὶ δόγματος ἑτέρου κοινοῦ ἐκκλησιαστικοῦ, ἀλλ' εἴκειν πᾶσι τοῖς προτετυπωμένοις κανόσι.

χειρός. *Neque contra tuam Metropolitani epiſcopi ſententiam, ullum de epiſcopis aut alio quovis communi & eccleſiaſtico dogmate decretum editurum, ſed ceſſurum omnibus ante conſtitutis Canonibus.* Nimirum Meletiani Schiſma in Eccleſiâ Alexandrinâ fecerant, ſe ab Archiepiſcopo Alexandrino totius Ægyptiacæ diœceſeos primate ſeparantes. Contra Canonem Apoſt. XXXIV. decernentem epiſcopos uniuſcujuſque gentis nôſſe oportere eum qui in iis primus eſt, eumque ut caput exiſtimare, & nihil quod magni ſit momenti præter illius ſententiam facere. Arſenius itaque civitatis Hypſelitarum Epiſcopus, qui hucuſque Meletianorum ſectæ ſe adjunxerat, modo pœnitentiam agens, pollicetur ſe in poſterum Eccleſiaſtico huic canoni antiquitus inſtituto pariturum, nihilque quod magni ſit momenti, juxta quod in dicto canone præcipitur, præter Athanaſii Eccleſiæ Alexandrinæ primatis ſententiam aggreſſurum. Quod dictum canonem longe ante conſtitutum, & iſtis diebus obſervatum fuiſſe, clariſſime demonſtrat.

IV. S. Athanaſio nondum denato, S. Baſilius M. Cæſareæ Cappadociæ creatus eſt Epiſcopus, An. Dom. plus minus CCCLXX. Hic epiſtolas quaſdam ad Amphilochium Iconii epiſcopum conſcripſit, quæ Canonicæ appellari meruerunt, ac proinde in Canones ab Eccleſiâ Græcâ receptos diſtributæ ſunt. Horum canonum tertius ſic incipit, Διάκονος μετὰ τὴν διακονίαν πορνεύσας, ἀποβληθήσεται μὲν τῆς διακονίας, εἰς δὲ τὸν τῶν λαϊκῶν ἀπωσθεὶς τόπον, τῆς κοινωνίας οὐκ εἰρχθήσεται, διότι ἀρχαῖός ἐστι κανὼν, τοὺς ἀπὸ βαθμοῦ πεπτωκότας, τούτῳ μόνῳ τῷ τρόπῳ τῆς κολάσεως ὑποβάλλεσθαι *Diaconus poſt diaconatum fornicatus, à diaconatu quidem ejicietur: in laicorum autem locum detruſus, à communione non arcebitur: quoniam antiquus eſt Canon, ut qui à gradu exciderunt, huic ſoli punitionis generi ſubjiciantur.* Sub *antiqui Canonis* hic commemorati nomine Apoſtolicus XXV. haud dubie indigitatur, quippe quo id aperte decernitur his verbis, Ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἐπὶ πορνείᾳ ἢ ἐπιορκίᾳ ἢ ἐπὶ κλοπῇ ἁλοὺς καθαιρείσθω, καὶ μὴ ἀφοριζέσθω· λέγει γὰρ ἡ γραφή, οὐκ ἐκδικήσεις δὶς ἐπὶ τὸ αὐτό. *Epiſcopus, vel presbyter, vel diaconus fornicationis, vel perjurii vel furti convictus, deponatur, & non ſegregetur: Dicit enim ſcriptura, Non vindicabis bis in id ipſum.* Quin ad hunc itaque canonem S. Baſilius in verbis ante citatis reſpectum habuerit, nemo dubitare poteſt, quandoquidem nullum alium S. Baſilio antiquiorem invenire eſt canonem, præter unicum hunc Apoſtolicum, quo hoc decretum legitur. Idem dicendum eſt de ejuſdem doctiſſimi patris ca-

none

none XII. quo ait, τοὺς διγάμους παντελῶς ὁ κανὼν τῆς ὑπηρεσίας ἀπέκλεισε, *Digamos canon omnino à miniſterio excluſit.* Per canonem hic laudatum, Apoſtolicum XVII. intelligendum eſſe, Balſamon & Zonaras conſentiunt & recte quidem. Dictus enim canon ſic habet, Δυσὶ γάμοις συμπλακεὶς, μετὰ τὸ βάπτισμα, ἢ παλλακὴν κτησάμενος, οὐ δύναται εἶναι ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ὅλως τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ. *Qui poſt Baptiſmum duobus conjugiis fuerit implicitus, vel concubinam habuerit, non poteſt eſſe Epiſcopus vel presbyter, vel diaconus, vel omnino ex numero Sacerdotali.* Hic porro unicus eſt canon, quem ſcimus ab Eccleſiâ ante S. Baſilii ætatem conſtitutum, quo Digami ab omni miniſterio Eccleſiaſtico excluduntur; ut nullus ſuperſit dubitandi locus, quin ſanctiſſimus ille pater ad iſtum in verbis ſuperius citatis reſpexerit. Quinetiam diu ante S. Baſilii ætatem, tertio ſcilicet ineunte ſeculo, hoc ab Eccleſiâ decretum eſſe, ex Tertulliano conſtat dicente. *Quantum detrahant fidei, quantum obſtrepant ſanctitati nuptiæ ſecundæ, diſciplina Eccleſiæ & præſcriptio Apoſtoli declarat, cum digamos non ſinit præſidere.* Tertull. ad Uxor. lib. I. cap. VII. ubi videre eſt, eam iſtis diebus fuiſſe eccleſiæ diſciplinam, ut duobus conjugiis implicitus ad Eccleſiaſticam quamlibet præſidentiam non proveheretur. Quandoquidem ſcilicet Apoſtolus præſcripſit, ut epiſcopi, presbyteri & diaconi unius eſſent uxoris viri, hinc proviſum eſt & conſtitutum ab Eccleſiâ ne quis Digamus ſacro quovis miniſterio fungatur. Omnis autem eccleſiæ diſciplina in canonibus perpetuo ſtabilita fuit & promulgata. Cum iſta itaque eccleſiæ primitivæ diſciplina à Tertulliano memorata in dicto canone Apoſtolico eoque ſolo contineatur, nemo ſub quovis rationis prætextu inficias eat iſtum Canonem ante Tertulliani ætatem ſancitum eſſe & publicatum. Hiſce adjungi poteſt ejuſdem Sanctiſſimi patris Baſilii M. Canon primus, quo antiquiorum canonum mentionem facit, hæreticorum baptiſma non recipiendum eſſe ſtatuentium. Ἐκεῖνο γὰρ, inquit, ἔκεινον οἱ παλαιοὶ δέχεσθαι βάπτισμα τὸ μηδὲν τῆς πίστεως παρεκβαῖνον. Eum autem de vetuſtis intelligendum eſſe canonibus, quibus hoc conſtitutum fuerat, ex iſtis, quæ ad finem canonis ſubjungit, verbis eluceſcit, ubi ait, Εἰ δὲ ἐκεῖνοι φυλάσσουσι τὸ ἡμέτερον βάπτισμα, τοῦτο ἡμᾶς μὴ δυσωπείτω· οὐ γὰρ ἀντιδιδόναι αὐτοῖς ὑπεύθυνοι χάριν ἐσμὲν, ἀλλὰ δουλεύειν ἀκριβείᾳ κανόνων. Quod Sanctus porro Baſilius per totum iſtum canonem de hæreticorum baptiſmo non admittendo ex antiquis eccleſiæ ſtatutis proſequitur, id ipſum in Canone Apoſtolico XLVI. breviter decernitur, his verbis, Ἐπίσκοπον ἢ πρεσβύτερον αἱρετικῶν δεξαμένους βάπ-

πόμα ἢ θυσιῶν, καθαιρεῖσθαι προστάσσομεν. Quod idem & multis ante ſe annis à ſynodo Epiſcoporum ſub Agrippino habitâ conſtitutum fuiſſe, D. Cyprianus in epiſtolâ ad Jubajanum de hæreticis baptizandis atteſtatur. Sed non opus eſt in proferendis ſingularium patrum verbis diutius immoremur, cum plures ſimul in ſynodis congregati, huic à nobis aſſertæ opinioni fidem fecerint, ut è ſequentibus fusè apparebit.

CAPUT IV.

Synopſis.

I. *Synodus* Nicæna *Canones Apoſt. vidit, quod probatur è Can. Nic.* 1. 2. 5. *Nonnullos etiam è Canonibus Apoſt. explicat & confirmat. ut patet è canonibus* Nicænis 9. & 10. *cum* Apoſtolicis 61. & 62. *necnon ex Apoſtolicis* 14. & 15, *cum Nicænis* 15. & 16. *collatis.*

II. *Canones* Antiocheni *eadem præcipiunt quæ Apoſtolici. Eodem etiam ordine plerunque obſervato, ut ex collatione utriuſque collectionis liquet.*

III. *Canones* Antioch. *ex Apoſtolicis formatos eſſe, probatur, primo è ſtylo, qui in Apoſtolicis ſimplex eſt, in* Antiochenis *copioſus & paraphraſticus.*

IV. *Idem probatur è Can. Antioch.* 9. *Primus gentis cujuſque epiſcopus non ante quartum ſeculum dictus eſt Metropolitanus.*

V. *Probatur etiam è Can. Antioch.* 20. *Mendum in dicto canone deprehenditur, & emendatur. Quare Synodus* Antioch. *primam quotannis ſynodum alio peragendam tempore, quam* Nicæna, *decrevit.*

VI. *Idem probatur è duobus ultimis Can.* Antiochenis, *de bonis eccleſiæ. Primitiva eccleſia nullos niſi ex fidelium oblationibus reditus habuit. Latifundia ei non niſi poſt Conſtantinum M. conceſſa.*

VII. *Idem denique probatur ex eo quod Can. Apoſt. aliorum canonum nunquam mentionem faciant;* Antiocheni *ſæpe.*

VIII. *Quo hæc omnia clarius elucefcant, inquiritur in Canonum Ant. occaſionem. Synodus iſta ex Arianis conſtabat.* Baronii *aliorumque error ex* Julii *verbis male intellectis. Paulo ante hanc Synodum* S. Athanaſius *eccleſiæ Alexandrinæ reſtitutus, &* Paulus *C. P. Epiſcopus creatus eſt.*

IX. *Synodus Antioch. canones ſuos contra catholicos deſignavit. Quod ut occultius fieret, antiquos canones renovavit, iiſque novos contra* S. Athanaſium & Paulum *CP. interſeruit, ut ejus reſtitutio & hujus creatio invalida redderetur.*

X. *Hinc tota canonum* Antiochenorum *occaſio & hiſtoria eruitur.*

I. IN graviſſimis Synodorum teſtimoniis ad aſtruendam canonum Apoſtolicorum antiquitatem recitandis, à Nicænâ primâ incipiemus, ut reliquis quibuſcunque ſynodis multis nominibus præferendâ. Prima itaque Synodus Oecumenica Anno Dom. CCCXXV. Conſtan-

Conſtantino M. imperante Nicææ celebrata, in canonibus ſuis conſtituendis aliorum ſæpe canonum mentionem fecit, qui antea ſanciti & eouſque in Eccleſiâ obſervati fuerant: Quod ſi Canones iſtos à Synodo Nicænâ memoratos cum iis conferamus, qui in Canonum Apoſtolicorum collectione hodie circumferuntur, inter hoſce vel cœcus illos videat, quos ſynodus iſta commemoravit. Quod ut omnibus palam fiat, magnam canonum Nicænorum partem percurremus. Primus itaque Synodi Nicænæ Canon de Eunuchis agit, ſtatuitque eos qui à medicis in morbo exciſi vel à barbaris execti ſunt, in clero retinendos eſſe: eos autem qui cum ſani eſſent ſeipſos execuerunt, etiamſi in clero recenſiti fuerant, ceſſare debere, & nullum deinceps talem promovendum eſſe, juxta quæ in canonibus Apoſtolicis XXII. & XXIII. conſtituta ſunt: Et poſtea addit Synodus, *Quemadmodum autem & hoc manifeſtum eſt, quod de iis qui de induſtriâ hoc agunt, & ſeipſos audent excindere dictum eſt,* οὕτως εἴ τινες ὑπὸ βαρβάρων ἢ δεσποτῶν εὐνουχίσθησαν, εὑρίσκοιντο δὲ ἄλλως ἄξιοι, τοὺς τοιούτους εἰς κλῆρον προσίεται ὁ Κανών. *Ita ſi aliqui à barbaris, vel dominis caſtrati ſunt, inveniuntur autem alioqui digni, tales in clerum admittit Canon.* Hinc clariſſimè patet Canonem aliquem in Eccleſiâ tunc temporis obtinuiſſe, quo tales in clerum admiſſi ſunt: qui quidem alius non fuit quam Apoſtolicus XXI. ſic habens. Εὐνοῦχος εἰ μὲν ἐξ ἐπηρείας ἀνθρώπων ἐγένετό τις, ἢ ἐν διωγμῷ ἀφῃρέθη τὰ τῶν ἀνδρῶν, ἢ οὕτως ἔφυ, καὶ ἐστὶν ἄξιος, Ἐπίσκοπος γινέσθω. *Eunuchus ſi quis ex hominum quidem injuriâ factus eſt, vel in perſecutione virilibus privatus, vel ſic natus eſt, & dignus eſt, Epiſcopus fiat.* Si talis autem per hunc canonem epiſcopus fiat, in clerum neceſſario admittatur, quod ibi decretum eſſe Synodus Nicæna indicat. Quæ etiam proximo ſive ſecundo canone affirmat, quòd ſit παρὰ τὸν κανόνα τὸν ἐκκλησιαστικόν, *contra canonem Eccleſiaſticum*, ut qui à vitâ gentili ad fidem nuper acceſſerunt & baptizati ſunt, ad epiſcopatum protinus aut presbyteratum provehantur. Nimirum eſt contra canonem Apoſtolorum LXXX. id diſertè prohibentem his verbis, τὸν ἐξ ἐθνικοῦ βίου προσελθόντα, καὶ βαπτισθέντα, ἢ ἐκ φαύλης διαγωγῆς, οὐ δίκαιόν ἐστι παραυτὰ προχειρίζεσθαι ἐπίσκοπον. *Eum qui ex vitâ gentili acceſſerit & baptizatus fuerit vel ex improbâ vivendi ratione; non eſt æquum protinus epiſcopum fieri.* Quem propterea canonem Eccleſiaſticum Synodo Nicænæ cognitum fuiſſe extra dubium eſt. Adhæc eadem univerſalis ſynodus de iis ſive Clericis ſive Laicis agens qui à communione ſegregantur, canone quinto dicit, Κρατείτω ἡ γνώμη κατὰ τὸν κανόνα τὸν διαγορεύοντα τοὺς ὑφ' ἑτέρων ἀποβλη-

θέντας

θέντες ὑφ' ἑτέρων μὴ προσίεσθαι. *Valeat ſententia juxta canonem qui pronunciat, eos qui ab aliis ejecti ſunt, ab aliis non admittendos eſſe.* Canon qui hoc pronunciat eſt Apoſtolicus XII. his verbis conceptus, Εἴ τις κληρικὸς, ἢ λαϊκὸς ἀφωρισμένος, ἤτοι ἄδεκτος, ἀπελθὼν ἐν ἑτέρᾳ πόλει δεχθῇ ἄνευ γραμμάτων συστατικῶν, ἀφοριζέσθω καὶ ὁ δεξάμενος, καὶ ὁ δεχθείς. *Si quis clericus, vel laicus ſegregatus vel non recipiendus, diſcedens in alterâ urbe receptus fuerit alſque literis commendatiis, ſegregetur, & qui recipit, & qui receptus eſt.* Item canon Apoſtolorum XXXII. ſic habet, εἴ τις πρεσβύτερος, ἢ διάκονος ὑπὸ ἐπισκόπου γένηται ἀφωρισμένος, τοῦτον μὴ ἐξεῖναι παρ' ἑτέρου δεχθῆναι, ἀλλ' ἢ παρὰ τοῦ ἀφορίσαντος αὐτὸν, *Si quis presbyter vel Diaconus ab Epiſcopo ſit ſegregatus, non liceat alii eum ſuſcipere, quam ei qui ipſum ſegregavit:* Hunc itaque cum priori canonem Patres Nicæni non modo citant, ſed & ſuâ, univerſalis nimirum ſynodi autoritate confirmant. Quod in aliis etiam canonibus obſervare eſt: uſque adeo ut Oecumenicum hoc concilium in pleriſque ſtatutis à ſe editis non novos procudiſſe, ſed veteres hoſce ſive Apoſtolicos Canones explicuiſſe potius & confirmâſſe videatur. Quod magis adhuc manifeſtum apparebit, ſi alios canones Apoſtolicos cum Nicænis comparemus, verbi gratiâ. Canon Apoſt. LXI. definit, ut ſi qua adverſus fidelem quempiam accuſatio intendatur, vel fornicationis, vel adulterii, vel alîus cujuſpiam prohibitæ actionis & convictus fuerit, is ad clerum non evehatur: Sed non expreſſè dicit eos, qui convicti fuerint aut crimina ſua confeſſi, in clero non recenſendos eſſe, licet manus iis ab epiſcopo canonis iſtius negligente impoſitæ fuiſſent. Hinc Nicæni patres canonem iſtum ita intelligendum eſſe pronunciant, ut per eum in clerum non admittatur, qui vel per ſuam ipſius confeſſionem, vel aliorum teſtimonia iſtiuſmodi criminibus convictus eſt, etiamſi manuum impoſitionem præter canonis mentem acceperit. Sic enim edicunt. Εἴ τινες ἀνεξετάστως προήχθησαν πρεσβύτεροι, ἢ ἀνακρινόμενοι ὡμολόγησαν τὰ ἁμαρτήματα αὐτῶν, καὶ ὁμολογησάντων αὐτῶν, παρὰ κανόνα κινούμενοι οἱ ἄνθρωποι τοῖς τοιούτοις χεῖρα ἐπιτεθείκασι, τούτους ὁ κανὼν οὐ προσίεται. *Quicunque citra examinationem promoti ſunt presbyteri, vel examinati ſua peccata confeſſi ſunt, eiſque confeſſis præter canonem moti homines manus impoſuerunt, eos Canon non admittit.* Syn. Nic. Can IX. Aliquis ſane canon clariſſime hic explicatur ſimul & confirmatur. Eundem autem Apoſtolicum eſſe ſuperius citatum apparet, primò quòd alius non extet Canon, ad quem iſta ſynodi Nicænæ verba commodè referri poſſunt. Dictus autem Canon Apoſt. eodem haud dubiè

biè ſenſu intelligendus eſt, quo Nicæni patres eum interpretantur. Cùm canon enim præcipiat iſtos, qui criminibus in eo memoratis tenentur, in clerum non evehendos eſſe, is ſane *præter canonem* motus eſt, qui talibus manus imponit; & licet ordinati fuerint, canon eos non admittit, utpote non canonice ſive præter canonem ordinatos. Et præterea ut Canon Apoſt. LXI. à Nicæno IX. ſic etiam Canon Apoſt. LXII. à Nicæno X. explanatur pariter ac conſtabilitur. Enimvero Canon Apoſt. LXII. ſic habet, Εἴ τις κληρικὸς διὰ φόβον ἀνθρώπινον Ἰουδαίου ἢ Ἕλληνος ἢ Αἱρετικοῦ ἀρνήσεται, εἰ μὲν τὸ ὄνομα τοῦ Χριστοῦ, ἀποβαλλέσθω· εἰ δὲ τὸ ὄνομα τοῦ κληρικοῦ, καθαιρείσθω. *Si quis clericus propter metum humanum Judæi, vel Græci vel hæretici negaverit, ſi quidem nomen Chriſti, ejiciatur; ſin nomen clerici, deponatur.* Decernit itàque Canon ut clericus qui lapſus eſt deponatur; ſed de iis qui poſt lapſum ordinati ſunt, nihil expreſſe ſtatuit. Patres autem Nicæni canonem iſtum ita intelligendum eſſe conſentiunt, ut ii etiam, qui prius lapſi ſunt & deinde ordinati, deponantur, adeo ut pœnam ab Eccleſiaſtico iſto canone conſtitutam non effugiant, etiamſi lapſus ordinationem præceſſerit. Sic enim edicunt. Ὅσοι προεχειρίσθησαν τῶν παραπεπτωκότων κατὰ ἄγνοιαν, ἢ καὶ προειδότων τῶν προχειρισαμένων, τοῦτο οὐ προκρίνει τῷ κανόνι τῷ ἐκκλησιαστικῷ, γνωσθέντες γὰρ καθαιροῦνται. *Quicunque ex iis qui lapſi ſunt, vel per ignorantiam, vel ſcientibus iis qui promoverunt, ordinati ſunt, hoc Eccleſiaſtico canoni non præjudicat, ii enim cogniti deponentur.* Syn. Nic. Can. X. Ac ſi dixiſſent, cum Eccleſiaſticus canon jubeat eos qui lapſi ſunt deponi, de iis intelligendus eſt, qui ante ordinationem, æque ac de iis qui poſt lapſi ſunt: adeo ut etiamſi lapſus eorum ordinationem anteceſſerit, hoc nihilominus Eccleſiaſtico iſti canoni non præjudicat: Nam cùm cognitum fuerit eos unquam lapſos fuiſſe, ex canonis iſtius præſcripto deponentur: Hoc qui ſine præjudicio expendit, dubitare nequit quin ſupradictus Canon Apoſtolicus à patribus Nicænis hoc in loco explicetur. Unde conficitur duos canones eccleſiaſticos eodem ordine hic confirmari, quo in noſtrâ canonum Apoſtolicorum ſylloge occurrunt. Nimirum Canon Apoſt. LXI. de clericis aliorum peccatorum reis canone Nicæno IX. & Canon Apoſt. LXII. de clericis qui lapſi ſunt, canone Nicæno X. Quod quidem vix fieri potuit, niſi patres Nicæni dictos canones eodem quo hodie ordine collectos habuiſſent. Idem obſervare licet in canonibus Apoſt. XIV. & XV. qui nonnullis in locis violati à Nicænis XV. & XVI. inſtaurantur. Cautum eſt enim canone Apoſt. XIV. ne epiſcopus ſuâ relictâ parochiâ ad aliam tranſiliat: & canone XV. ut ſi quis presbyter, aut diaconus, vel alius quiſpiam clericus relictâ

ſuâ

ſuâ ad aliam diſceſſerit parochiam, ibique præter ſui epiſcopi ſententiam manſerit, is amplius non celebret, ſive eccleſiaſtico ſuo officio amplius non fungatur. Hinc patres Nicæni primo ajunt, Διὰ τὸν πολὺν τάραχον καὶ τὰς στάσεις τὰς γινομένας, ἔδοξε παντάπασι περιαιρεθῆναι τὴν συνήθειαν τὴν παρὰ τὸν κανόνα εὑρεθεῖσαν ἔν τισι μέρεσιν, ὥστε ἀπὸ πόλεως εἰς πόλιν μὴ μεταβαίνειν μήτε ἐπίσκοπον, μήτε πρεσβύτερον, μήτε Διάκονον. *Propter multum tumultum & ſeditiones quæ fiunt, omnino viſum eſt ut conſuetudo, quæ præter canonem nonnullis in locis invenitur, tollatur, ut à civitate ad civitatem nec epiſcopus, nec presbyter, nec diaconus tranſeat.* Syn. Nic. Can. XV. Et canone ſequenti ſive XVI. iterum de presbyteris & diaconis edicunt. Ὅσοι ῥιψοκινδύνως, μήτε τὸν φόβον θεοῦ πρὸ ὀφθαλμῶν ἔχοντες, μήτε τὸν ἐκκλησιαστικὸν κανόνα εἰδότες, ἀναχωρήσουσι τῆς ἐκκλησίας πρεσβύτεροι ἢ διάκονοι ἢ ὅλως ἐν τῷ κανόνι ἐξεταζόμενοι, οὗτοι οὐδαμῶς δεκτοὶ ὀφείλουσιν εἶναι ἐν ἑτέρᾳ ἐκκλησίᾳ ἀλλὰ πᾶσαν αὐτοῖς ἀνάγκην ἐπάγεσθαι χρὴ, ἀναστρέφειν εἰς τὰς ἑαυτῶν παροικίας, ἢ ἐπιμένοντας ἀκοινωνήτους εἶναι προσήκει. *Quicunque temere & inconſideratè nec Dei timorem præ oculis habentes, nec eccleſiaſticum canonem ſcientes, vel presbyteri vel diaconi, vel quicunque omnino in canone recenſentur, ab Eccleſiis ſeceſſerint, ii in Eccleſiâ alienâ nullo modo recipi debent, ſed omnino cogendi ſunt in ſuas ipſorum Eccleſias redire, vel ſi perſeverent, eos à communione ſeparatos eſſe oportet.* Ubi ἀκοινωνήτους εἶναι idem eſt quod in Canone Apoſt. XV. dicitur μηκέτι λειτουργεῖν, à communione ſcilicet Eccleſiaſticâ ſive ab Eccleſiaſticis quibuſcunque functionibus arceri, ut in Annotationibus ad præſentem Canonem Nic. XVI. obſervatum eſt. Cùm eadem itaque, ut cuivis patet, in duobus hiſce Nicænis canonibus renoventur, quæ in totidem Apoſtolicis ſupra memoratis præſcripta ſunt, cumque Synodus Nicæna utrobique canonis ante conſtituti mentionem fecerit, dictos exinde Canones Apoſtolicos Patribus Nicænis viſos & memoratos fuiſſe jure merito concludamus.

II. Poſt primam illam univerſalem Synodum Nicææ habitam, proximum in hac controverſiâ locum ſynodus Antiochena ſibi vendicat: ſta nimirum quæ An. Dom. CCCXLI. ſive decimo ſexto poſt Nicænam celebrata, canones XXV. in Codicem Canonum Eccleſiæ univerſæ receptos edidit. Hi enim Canones Antiocheni eadem plerunque atque Apoſtolici, necnon iiſdem fere verbis præcipiunt: eodem etiam ordine plurimum obſervato. Quod prius enim in Apoſtolicis, idem & in Antiochenis prius decernitur. Enimvero ſeptimo canone Apoſtolico cavetur, ne quis ſanctæ paſchæ diem ante vernum æqui-

 noctium

noctium cum Judæis celebret. Ab hoc canone à Synodo Nicænâ confirmato, patres Antiocheni ſuam Canonum editionem incipiunt; Et quæ deinceps ſanciunt, cum iis propemodum conveniunt, quæ in Canonum Apoſtolicorum collectione conſequuntur. Si quis enim canones Antiochenos & Apoſtolicos inter ſe componit, eos ſibi invicem hunc in modum reſpondere inveniet.

Canones	
Antiocheni	*Apoſtolici.*
I.	VII.
II.	VIII. IX. X. XI. XII. XIII.
III.	XV. XVI.
IV.	XXVIII.
V.	XXXI.
VI.	XXXII.
VII. VIII.	XXXIII.
IX.	XXXIV.
XIII. XII.	XXXV.
XVII. XVIII.	XXXVI.
XX.	XXXVII.
XXI.	XIV.
XXIII.	LXXVI.
XXIV.	XL.
XXV.	XLI.

Ex hac Antiochenorum canonum cum Apoſtolicis collatione patet, duodeviginti è XXV. canonibus Antiochenis eadem & tractare & præcipere, quæ in Apoſtolicis conſtituta ſunt: Atque etiam eundem fere ordinem utrobique obſervatum eſſe. Demptis enim tribus Canonibus Antiochenis, nimirum XXI. qui Apoſtolico XIV. conſonat, & XXII. qui eadem ſtatuit atque XIII. quo cum propterea ad Can. Apoſt. XXXV. refertur, & denique XXIII. qui Apoſtolico LXXVI. reſpondet, reliqui omnes eodem prorſus ordine, quo pares eorum geminique in Apoſtolicorum canonum collectione, conſtituuntur. Quæ prius enim aut poſterius in Antiochenis, ad eundem modum & in Apoſtolicis decernuntur. Verùm Canones Antiocheni V. VI. VII. VIII. IX. Eadem continuatâ ſerie in Apoſtolicis XXXI. XXXII. XXXIII. XXXIV. digeruntur: & proximi tres Canones Apoſtolici, XXXV. XXXVI. XXXVII. inter Antiochenos ſequentes identidem exhibentur. Duo etiam ultimi Antiocheni XXIV. & XXV. Apoſtolicis XL. & XLI. ad amuſſim quadrant.

III. Qui hanc inter Apoſtolicos & Antiochenos canones conſonan-

tiam

tiam perpendit, dubitare nequit, quin vel Apoſtolici ex Antiochenis, vel Antiocheni è contra ex Apoſtolicis traducti fuerint. Verumenimvero Antiochenos ex Apoſtolicis, & non è contra, formatos fuiſſe multa ſunt quæ ſuadent. Primo enim Canones Apoſtolici ſtylo ſimpliciori & priorum ſeculorum genium magis redolente conſcripti ſunt quam Antiocheni; ac proinde hi illos fuſius explicant, ſuiſque, quarti nimirum ſeculi, moribus ac inſtitutis accommodant. Vix quempiam enim è canonibus Apoſtolicis ab Antiochenis recitatum invenias, qui non planior ſimul atque aliquo modo emendatior ab iis editur. E plurimis quæ adduci poſſunt exemplis, nos unicum ſeligemus. Canon Apoſtol. IX. ſic habet, Πάντας τοὺς εἰσιόντας πιστοὺς, καὶ τῶν γραφῶν ἀκούοντας, μὴ παραμένοντας δὲ τῇ προσευχῇ, καὶ τῇ ἁγίᾳ μεταλήψει, ὡς ἀταξίας ἐμποιοῦντας τῇ ἐκκλησίᾳ, ἀφορίζεσθαι χρή. *Omnes fideles qui ingrediuntur, & ſcripturas audiunt, in precatione autem & ſacrâ communione non permanent, ut Eccleſiæ confuſionem afferentes, ſegregari oportet.* Hunc canonem Patres Antiocheni tantum non verbatim recitant, explicantque hunc in modum, Πάντας τοὺς εἰσιόντας εἰς τὴν ἐκκλησίαν, καὶ τῶν ἱερῶν γραφῶν ἀκούοντας, μὴ κοινωνοῦντας δὲ εὐχῇ ἅμα τῷ λαῷ, ἢ ἀποστρεφομένους τὴν ἁγίαν μετάληψιν τῆς εὐχαριστίας κατά τινα ἀταξίαν, τούτους ἀποβλήτους γίνεσθαι τῆς ἐκκλησίας, ἕως ἂν ἐξομολογησάμενοι καὶ δείξαντες καρποὺς μετανοίας, καὶ παρακαλέσαντες τυχεῖν δυνηθῶσι συγγνώμης. *Omnes qui ingrediuntur Eccleſiam, & ſacras ſcripturas audiunt, orationi autem cum populo non communicant, vel ſanctam Euchariſtiæ participationem propter aliquam inſolentiam averſantur, eos ab Eccleſiâ expelli, donec poſtquam confeſſi fuerint, fructuſque pœnitentiæ oſtenderint, & imploraverint, veniam aſſequi poſſint.* Syn. Antioch. Can. II. Nemo non videt canonem Apoſtolicum, alioquin obſcurum, ita hic interpretatum eſſe, ut nihil in poſterum controverſiæ de ſenſu ejus oriatur. Cum in Apoſtolico enim canone ſimpliciter dicatur, Πάντας τοὺς εἰσιόντας, in Antiocheno ἐξηγητικῶς additur, εἰς τὴν ἐκκλησίαν, & ante γραφῶν præmittitur ἱερῶν, ut ab aliis ſcriptis diſtinguantur. Et verba iſta in Can. Apoſt. μὴ παραμένοντας δὲ τῇ προσευχῇ, Patres Antiocheni explicant per μὴ κοινωνοῦντας δὲ τῇ εὐχῇ ἅμα τῷ λαῷ, quod ſenſum canonis planiorem reddit. Et quod in canone Apoſtolico ſequitur, καὶ τῇ ἁγίᾳ μεταλήψει, cum obſcurum ſit & difficile intellectu, quid hic per *ſacram communionem* intelligendum ſit, & quid ſit *in eâ non permanere*, Patres Antiocheni ita interpretantur, ut per *ſacram communionem* in genere, communio ſive participatio ſanctæ Euchariſtiæ intelligatur,

tellagtur, & iſti *in eâ non permanere* judicentur, qui eam propter aliquam inſolentiam averſantur. Quod denique ad pœnam canonis hujus violatoribus impoſitam ſpectat, Canon Apoſt. eos ſegregandos eſſe decernit, ſed quamdiu huic pœnæ ſubjiciendi ſunt, præciſè non definit: Quapropter canon Antiochenus eos eccleſiâ ejectos fore ſtatuit, uſquedum peccatum confeſſi fuerint, & fructus pœnitentiæ oſtenderint, & veniam implorantes, eam ab Eccleſiâ aſſequi potuerint. Unde conſtat hanc primam canonis hujus Antiocheni partem, nihil aliud eſſe quam paraphraſticam quandam Apoſtolici illius canonis explicationem. Quod fieri non potuit, niſi patres Antiocheni Apoſtolicum iſtum canonem probe nôſſent. Idem videre eſt & in aliis pleriſque canonibus Antiochenis, utpote quibus Apoſtolici non recitantur modo, ſed & dilucide explicantur, ut cuivis eos ulterius comparanti ſolis luce clarius apparebit.

IV. Adhæc Canones Antiochenos ex Apoſtolicis productos fuiſſe è canone nono cum Apoſtolico XXXIV. collato facillimè conficiatur. Canon enim Apoſtolicus hæc habet, τοὺς ἐπισκόπους ἑκάστου ἔθνους εἰδέναι χρὴ τὸν ἐν αὐτοῖς πρῶτον, καὶ ἡγεῖσθαι αὐτὸν ὡς κεφαλὴν, καὶ μηδέν τι πράττειν περιττὸν ἄνευ τῆς ἐκείνου γνώμης, ἐκεῖνα δὲ μόνα πράττειν ἕκαστον, ὅσα τῇ αὐτοῦ παροικίᾳ ἐπιβάλλει, καὶ ταῖς ὑπ' αὐτὴν χώραις· ἀλλὰ μηδὲ ἐκεῖνος ἄνευ τῆς πάντων γνώμης ποιείτω τι. *Epiſcopos uniuſcujuſque gentis noſſe oportet eum qui in eis primus eſt, & exiſtimare eum ut caput, & nihil facere quod magni ſit momenti præter illius ſententiam, ſed ea ſola facere unumquemque, quæ ad ſuam parochiam pertinent, & ad pagos qui ei ſubſunt. Sed nec ille abſque omnium ſententiâ aliquid agat.* Can. Apoſt. XXXIV. Hunc canonem Patres Antiocheni renovant, explicantque his verbis. Τοὺς καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν ἐπισκόπους εἰδέναι χρὴ τὸν ἐν τῇ μητροπόλει προεστῶτα ἐπίσκοπον, καὶ τὴν φροντίδα ἀναδέχεσθαι πάσης τῆς ἐπαρχίας, διὰ τὸ ἐν τῇ μητροπόλει πανταχόθεν συντρέχειν πάντας τοὺς τὰ πράγματα ἔχοντας, ὅθεν ἔδοξε καὶ τῇ τιμῇ προηγεῖσθαι αὐτὸν, μηδέν τε πράττειν περιττὸν τοὺς λοιποὺς ἐπισκόπους ἄνευ αὐτοῦ, κατὰ τὸν ἀρχαιότερον κρατήσαντα ἐκ τῶν πατέρων ἡμῶν κανόνα· ἢ ταῦτα μόνα ὅσα τῇ ἑκάστου ἐπιβάλλει παροικίᾳ, καὶ ταῖς ὑπ' αὐτὴν χώραις· ἕκαστον γὰρ ἐπίσκοπον ἐξουσίαν ἔχειν τῆς ἑαυτοῦ παροικίας, διοικεῖν τε κατὰ τὴν ἑκάστῳ ἐπιβάλλουσαν εὐλάβειαν, καὶ πρόνοιαν ποιεῖσθαι πάσης τῆς χώρας τῆς ὑπὸ τὴν ἑαυτοῦ πόλιν, ὡς καὶ χειροτονεῖν πρεσβυτέρους καὶ διακόνους, καὶ μετὰ κρίσεως ἕκαστα διαλαμβάνειν· περαιτέρω δὲ μηδὲν πράττειν ἐπιχειρεῖν δίχα τοῦ τῆς μητροπόλεως ἐπισκόπου· μηδὲ

αὐτὸν

αὐτὸν ἄνευ τῆς τῶν λοιπῶν γνώμης. *Epiſcopos qui ſunt in unaquâque provinciâ ſcire oportet epiſcopum qui Metropoli præeſt, & curam ſuſcipere totius provinciæ: eo quod in Metropolim undequaque concurrant omnes qui habent negotia: Unde viſum eſt eum quoque honore præcedere: reliquos autem epiſcopos nihil magni momenti aggredi ſine ipſo, juxta antiquiorem, qui à patribus noſtris obtinuit, canonem, vel ea ſola quæ ad uniuſcujuſque parœciam pertinent, & ad regiones quæ ei ſubſunt. Unumquemque enim epiſcopum habere ſuæ parœciæ poteſtatem, & adminiſtrare pro convemente unicuique religione, & totius regionis quæ ſuæ urbi ſubeſt, curam gerere, ut etiam ordinet presbyteros, & diaconos, & unaquæque cum judicio tractet: Et nihil ultra facere aggrediatur ſine epiſcopo Metropolitano: Neque ipſe ſine reliquorum ſententiâ.* Syn. Ant. Can. IX. In hoc Antiocheno canone multa ſunt, quæ iſtum ex Apoſtolico ſupradicto excuſum eſſe evincunt. Primo enim quod de aliis pleriſque canonibus Antiochiæ ſancitis verum eſt ac apertum, de hoc imprimis veriſſimum ſimul & apertiſſimum videtur: iſtum nimirum nihil aliud eſſe quam paraphraſin in Canonem Apoſtolicum. Deinde quem Canon Apoſtolicus ſimpliciter *Epiſcopum primum* vocat, eundem Antiochenus τὸν ἐν τῇ μητροπόλει προεστῶτα ἐπίσκοπον, *Epiſcopum qui Metropoli præeſt* appellat. Neque dubitare licet, quin canon Apoſtolicus iſto ſenſu intelligendus ſit. Ex quo proinde conſtat Apoſtolicum iſtum canonem prius conſtitutum fuiſſe quam Metropolitanorum nomen in Eccleſiam tranſlatum fuerat: hoc eſt ante tertium finitum ſeculum. Tribus enim prioribus æræ Chriſtianæ ſeculis, Metropolis in Eccleſiæ notitiâ *prima Cathedra*, & Metropolitani ſimpliciter *Primi Epiſcopi* appellabantur. Nomen autem Metropolitani quarto demum ſeculo uſurpari cœpit: nec in Eccleſiaſticis antea ſcriptoribus uſpiam invenitur. Quarto autem inchoato ſeculo *primi epiſcopi* appellatio in deſuetudinem abiit, cum Metropolitani nomine commutata. Qui primus enim epiſcopus antea dictus fuerat, in Antiochenis hiſce canonibus ὁ κατὰ τὴν μητρόπολιν, & ὁ κατὰ τὴν μητρόπολιν τῆς ἐπαρχίας ἐπίσκοπος, Can. XI. ὁ τῆς μητροπόλεως ἐπίσκοπος. Can. XIV. Ὁ πεπιστευμένος τὴν μητρόπολιν Can. XX. Ὁ ἐν τῇ μητροπόλει. Can. XIX. & in præſenti canone IX. ὁ ἐν τῇ μητροπόλει προεστώς. Et alibi ὁ μητροπολίτης vocatur. Can. XIII. & XVI. ut etiam in Canonibus Nicænis IV. & VI. ab iſto demum uſque ad hoc præſens ſeculum epiſcopi primarum ſedium *Metropolitani* perpetuo vocati ſunt. Quocirca ſi canones Apoſtolici poſt Antiochenos editi fuiſſent, epiſcopus ille qui aliis præeſt, non *primus Epiſcopus* ſed *Metropolitanus* in iis dictus fuiſſet.

Cum

Cum autem è contrario in canone Apoſt. quem ſub manibus habemus, non *Metropolitanus* ſed ſimpliciter *Primus Epiſcopus* dicatur, perſpicue ex eo liquet hunc Apoſtolicum canonem prius ſancitum fuiſſe, quam epiſcopi aliis præſidentes Metropolitanorum nomine celebrati fuerunt. Quod magis adhuc perſpicuum redditur è ratione iſtâ quam Patres Antiocheni reddunt, quare Metropolitanus totam provinciam & univerſos in eâ epiſcopos ſibi ſubjectos habere debet: διὰ τὸ ἐν τῇ μητροπόλει πανταχόθεν συντρέχειν τοὺς τὰ πράγματα ἔχοντας *eo quod in Metropolim undequaque concurrant omnes qui negotia habent.* Nimirum Canon Apoſtolicus decreverat, ut omnes Epiſcopi cujuſque gentis eum qui inter ipſos primus eſt tanquam caput exiſtiment, eique ſubſint. Patres Antiocheni per primum cujuſque gentis epiſcopum Metropolitanum, ſive epiſcopum qui Metropoli provinciæ præeſt, intelligendum eſſe conſentiunt; ac proinde verba canonis Apoſtolici ad Metropolitanum referunt, hâc ratione inducti, quod in Metropolim undequaque concurrant omnes qui civilia habent negotia, utpote ubi conventus juridici, quibus talia tractantur negotia, à provinciarum præſidibus celebrari ſoliti fuerunt. Hanc autem inſtituti ſui rationem idcirco tantum reddiderunt Patres Antiocheni, ut cuivis conſtet, quare ipſi eadem privilegia Metropolitano cujuſque provinciæ attribuant, quæ antiquitus primo tantum epiſcopo conceſſa fuerant, nimirum quod Metropolitanus ſit propriè primus cujuſque gentis epiſcopus, eo quod ipſe Metropoli præeſt, quâ maximus haberi ſolet hominum concurſus. Denique ſi hæc omnia quæ huc uſque attulimus argumenta nihili habeantur, aliud adhuc reſtat, quo extra omnem dubitationis aleam ponitur, hunc canonem Antiochenum poſt Apoſtolicum divulgatum eſſe. Id enim tantum non diſerte in ipſo canonis corpore affirmatur, quippe quo decretum eſt reliquos omnes epiſcopos nihil quod magni ſit momenti aggredi ſine primo vel Metropolitano epiſcopo, κατὰ τὸν ἀρχαιότερον κρατήσαντα ἐκ τῶν πατέρων ἡμῶν κανόνα, *juxta antiquiorem qui à patribus noſtris obtinuit canonem.* Hic enim antiquior citatur canon, quo hæc antea conſtituta fuerant. Dictus autem canon Apoſtolicus XXXIV. eadem totidem fere verbis conſtituit. Hic enim de primo loquens epiſcopo edicit, reliquos epiſcopos μηδέν τι πράττειν περιττὸν ἄνευ τῆς ἐκείνου γνώμης, ἐκεῖνα δὲ μόνα πράττειν ἕκαστον, ὅσα τῇ αὐτοῦ παροικίᾳ ἐπιβάλλει καὶ ταῖς ὑπ' αὐτὴν χώραις. Quæ verba Canon Antiochenus in hunc modum exſcribit, μηδέν τι πράττειν περιττὸν τοὺς λοιποὺς ἐπισκόπους ἄνευ αὐτοῦ, ἢ ταῦτα μόνα ὅσα τῇ ἑκάστου ἐπιβάλλει παροικίᾳ καὶ ταῖς ὑπ' αὐτὴν χώραις. Quæ cum in Apoſtolico canone ad verbum fere habeantur, & nullus alius ſynodo Antio-

Antiochenâ antiquior canon extet, quo eadem continentur, nemini dubium eſſe poteſt, quin antiquior iſte Canon à Synodo memoratus, ipſiſſimus ſit Apoſtolicus XXXIV.

V. Quo porro opinio hæc quæ Canones Apoſtolicos patribus Antiochenis viſos fuiſſe ſtatuit, firmior adhuc ſtabiliatur, aliud nobis ſuppeditat argumentum cânon Antiochenus XX. Apoſtolico XXXVII. reſpondens, quo ſtatutum eſt, ut bis quotannis concilia epiſcoporum celebrentur, ἅπαξ μὲν τῇ τετάρτῃ ἑβδομάδι τῆς πεντηκοστῆς, δεύτερον δὲ ὑπερβερεταίου δωδεκάτῃ, *Semel quidem quartâ ſeptimanâ pentecoſtes, ſecundo vero duodecimo die Hyperberetæi.* Hunc Apoſtolicum canonem renovantes Patres Antiocheni ſtatuunt, ut *primum quidem concilium fiat* μετὰ τὴν τρίτην ἑβδομάδα τῆς ἑορτῆς τοῦ πάσχα, ὥστε τῇ τετάρτῃ ἑβδομάδι τῆς πεντηκοστῆς ἐπιτελεῖσθαι τὴν σύνοδον, ὑπομιμνήσκοντος τοὺς ἐπαρχιώτας τοῦ ἐν τῇ μητροπόλει· τὴν δὲ δευτέραν σύνοδον γίνεσθαι ἴδοις ὀκτωβρίαις, ἥτις ἐστὶ δεκάτη ὑπερβερεταίου. *Poſt tertiam hebdomadem feſti paſchæ, ut quartâ hebdomade pentecoſtes perficiatur Synodus, Metropolitano provinciales Epiſcopos admonente. Secundam vero Synodum idibus Octobris fieri, qui eſt decimus Hyperberetæi.* Syn. Ant. Can. XX. ubi primo quod in canone Apoſtolico deſideratur, Patres Antiocheni ſupplent, provinciales videlicet epiſcopos ad anniverſarias haſce Synodos per Metropolitanum cujuſque provinciæ convocandos eſſe. Deinde primum Synodo convocandæ tempus in Can. Apoſt. præſtitutum, adhuc obſervandum eſſe decernunt, hâc tantum cautione, vel explicatione potius adhibitâ, ut Synodus proximè poſt tertiam paſchalis feſtivitatis hebdomadem incipiat, & quartâ pentecoſtes hebdomade perficiatur. In ſecundi autem concilii definiendo tempore, aliquantulum ſane ſed perparum à canone Apoſtolico diſcrepantiæ admittunt. Illud enim non duodecimo Hyperberetæi, ſed *idibus Octobris qui eſt decimus Hyperberetæi* peragendum eſſe ſtatuunt. Hic autem, quod obiter obſervare liceat, mendum in Canonis Antiocheni textum irrepſiſſe videtur. Licet enim hæc ſit vulgaris hujus loci lectio, ipſeque vetus interpres Dionyſio exiguo antiquior, ita legerit, quippe qui ſuo more, hoc eſt barbarè & corrupte hunc in modum latinè vertit, *Secundum autem Synodum Idus Octobr. quæ eſt decima Ypirethæi.* Cùm neminem tamen lateat, menſem Hyperberetæum in anno Macedonico & Antiocheno cum Octobri Juliano coincidere, non decimus, ſed decimus quintus Hyperberetæi Idibus Octobris reſpondet. Unde iſta verior hujus loci lectio videtur, quam Chriſtophorus Juſtellus in ſuâ Codicis canonum Eccleſiæ univerſæ editione exhibet, ubi ſic legitur, τὴν δὲ δευτέραν σύνοδον γίνεσθαι ἴδοις Ὀκτωβρίαις,

ἥτις

ἥ τις ἐςὶ πεντεκαιδεκάτη Ὑπερβερεταίου. Sic etiam Dionyſius exiguus legit, vertit enim *Secunda vero Synodus fiat Idus Octobris id eſt quinto decimo die menſis Octobris, quem Hyperberetæon græci cognominant.* Necnon Iſidorus mercator, qui ſic latine reddit, *Secundò autem concilium fieri Idibus octobris, qui dies apud Græcos Hyperberetæi menſis XV. invenitur.* Quod quidem veriſſimum eſt. Cum Hyperberetæus enim unà cum Octobri in anno Juliano ineat, decimus quintus Hyperberetæi cum Idibus Octobris, ſive die XV. iſtius menſis coincidat neceſſe eſt. Unde conſtat patres Antiochenos eadem fere tempora indicendis anniverſariis epiſcoporum ſynodis conſtituiſſe, quæ in Canone Apoſtolico prius conſtituta fuerant. Ut prima nimirum ſynodus quartâ Pentecoſtes hebdomade, altera decimo quinto menſis Hyperberetæi ſive Idibus Octobris habeatur: idque non obſtante quinto concilii Nicæni canone, quo primam ex illis ſynodis ante quadrageſimam, alteram circiter Autumni tempus celebrandam eſſe ſancitum fuerat. De ſecundâ peragendâ Synodo nulla movetur quæſtio, cùm Hyperberetæus in Autumnum incidat. Quænam autem reddi poteſt ratio, quare patres Antiocheni in alterâ celebrandâ ſynodo decreto concilii Oecumenici ſe opponerent? Quarè illi primam ſynodum quartâ pentecoſtes hebdomade convocandam eſſe juberent, cùm Patres Nicæni eandem ante quadrageſimam peragendam eſſe juſſerint? Nemo ſane eos ſine ſummâ ratione, quæcunque demum fuerit, hoc perpetrâſſe opinetur. Quæ tamen nobis alia non videtur, neque major, ut opinor, reddi poteſt, quam quod in antiquis ipſorum canonibus, decretum noverint, ut prima quotannis ſynodus quartâ pentecoſtes hebdomade perageretur: Ac propterea licet alii qui ſtatas has ſynodos celebrare nondum ſoliti, nec Apoſtolicos hoſce canones amplexi fuerant, decreto iſto Nicæno tenerentur, ipſi tamen Antiocheni patres ſibi liberum eſſe autumarunt antiquis ſuis in hâc temporis circumſtantiâ canonibus adhuc inſiſtere, præſertim cum ipſi etiam Nicæni patres ſtatuiſſent, ut in Antiochenâ pariter atque in aliis provinciis, τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω. Can. VI. Alioqui ſi primam in ſingulis annis ſynodum juxta canonem Apoſt. celebrandi conſuetudo in eccleſiâ Antiochenâ antiquitus non obtinuiſſet, Antiocheni ſine dubio patres in hoc ſuo condendo Canone Nicænum potius quam Apoſtolicum ſecuti fuiſſent: & primum Anniverſarium concilium non quartâ pentecoſtes hebdomade, juxta Apoſtolicum, ſed ante quadrageſimam juxta Nicænum canonem habendum eſſe definiiſſent. Cum è contrario autem poſthabito ſynodi Nicænæ decreto, Apoſtolicum potius canonem hâc in re obſervandum eſſe conſenſerint, Canones Apoſtolicos non viſos modo, ſed permagnæ apud eos autoritatis fuiſſe liquet.

VI. Secun-

VI. Secundum hæc inter duos ultimos Antiochenos, & Apoſtolicos canones XL. & XLI. optimè convenit: utrobique enim de rebus ſive bonis Eccleſiæ & iiſdem plerunque verbis agitur. Quæcunque autem ad eccleſiam pertinent in Apoſtolicis canonibus, τὰ τῆς ἐκκλησίας πράγματα, & nonnunquam χρήματα vocantur. Nullam vero redituum vel agrorum ad eccleſiam pertinentium mentionem faciunt. At Canon Antiochenus XXV. τοὺς πόρους τῆς ἐκκλησίας, καὶ τοὺς τῶν ἀγρῶν καρποὺς, *Eccleſiæ reditus & agrorum fructus* commemorat. Hinc conficitur Canones Apoſtolicos iſtis diebus conditos fuiſſe, quibus Eccleſia nullis adhuc latifundiis locupletata, Epiſcopos, Clerum, pauperesſque ſuos è ſolis fidelium oblationibus primitiiſque alebat. Quando, ut ait Tertullianus, *modicam unuſquiſque ſtipem menſtruâ die, vel cum velit, apponebat.* Tertull. Apol. c. XXXIX. Quæ autem tunc dierum erat Chriſtianorum charitas, hujuſmodi eorum ad Eccleſiæ uſus oblationes decimas lege debitas excedebant. Ut ex Irenæo conſtat dicente, *Et propter hoc illi quidem*, viz. Judæi, *decimas ſuorum habebant conſecratas; qui autem perceperunt libertatem*, viz. Chriſtiani, *omnia quæ ſunt ſuorum ad Dominicos decernunt uſus, hilariter & liberè dantes ea, non quæ ſunt minora, ut majorem ſpem habentes.* Iren. lib. IV. cap. XXXIV. Quæ itaque ex liberalibus hiſce fidelium oblationibus collecta ſunt, ea omnia Canon Apoſt. XLI. Epiſcopo cujuſque parœciæ concredenda ſtatuit, ut in ejus ſit poteſtate indigentibus, prout ipſi viſum fuerit, per presbyteros & diaconos ea diſpenſare. Poſtquam autem Conſtantinus M. aliquam ſuorum bonorum partem Clero relinquendi Chriſtianis poteſtatem fecerat, Eccleſiæ protinus per magnificam Chriſtianorum liberalitatem, agris quamplurimis, & latifundiis, eorumque reditibus locupletatæ ſunt. Hinc Synodus epiſcoporum Antiochiæ poſtea congregata, canone ſuo XXV. Apoſtolicum iſtum XLI. renovans, non modo eccleſiæ bona ex oblationibus congeſta, verumetiam reditus, agrorumque, quibus modo ditata eſt, fructus, epiſcoporum poteſtati ſubjicit, ſub eâ tamen conditione, ut in proprios non convertant uſus, ſed ex presbyterorum & diaconorum ſententiâ ea omnia adminiſtrent. Quod illuſtre quidem eſt argumentum, hunc Antiochenum poſt Apoſtolicum canonem publicatum fuiſſe: Alias enim agrorum eccleſiæ datorum mentio in hoc æque ac in iſto procul omni dubio inducta fuiſſet. Et hæc quidem unica nobis videtur ratio, quare patres Antiocheni Apoſtolicum iſtum canonem repararint, & de novo ediderint, quod nimirum bona tantum eccleſiæ, non item reditus agrorumque fructus in eo commemorentur: De quibus tamen, non minus quam de reliquis eccleſiæ bonis, neceſſe erat ut canon ederetur.

VII. Ex iis quæ hactenus commentati ſumus, ſatis ſuperque, ut nobis ſaltem videtur, patet Canones Antiochenos non modo Apoſtolicis poſteriores, verumetiam ex iis cuſos formatoſque fuiſſe. Sed nihilo ſecius, ut extra omnem, quoad fieri poteſt, controverſiam in poſterum ponatur, ultimo obſervetur velim Canones Apoſtolicos nullius præcedentis canonis nec legis cujuslibet Eccleſiaſticæ ante conſtitutæ mentionem uſpiam inferre, ſed omnia nude & ſincere proponere, ut tunc temporis primò Eccleſiaſticâ autoritate definita. At Canones Antiocheni, qui in ordine, ſenſu, & in ipſis plerunque verbis cum Apoſtolicis ſummè conveniunt, alios Eccleſiaſticos canones ut ante editos, & iſtis diebus obſervatos paſſim commemorant; iis præſertim in locis quibus eadem decernunt, quæ in Canonibus Apoſtolicis decreta ſunt. Verbi gratiâ, Secundus Synodi Antiochenæ canon Clericum cum excommunicatis communicantem, communione privat, ὡς συγχέοντα τὸν κανόνα τῆς ἐκκλησίας, *ut Canonem Eccleſiæ confundentem.* Talis autem confundit violatque Can. Apoſt. X. iſtud diſerte prohibentem. Tertius Antiochenus canon Epiſcopum, qui clericum ab alio epiſcopo depoſitum ſuſcipit, à communi Synodo puniendum eſſe definit, ὡς παραλύοντα τοὺς θεσμοὺς τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς, *ut Eccleſiaſtica conſtituta diſſolventem.* Diſſolvit autem canonem Apoſt. XVI. quo talis ſegregatur, non ὡς παραλύσαντα τοὺς θεσμοὺς τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς, quippe qui nulli antea erant, ſed ὡς διδάσκαλος ἀταξίας. Canone Antiocheno XXIII. cautum eſt, ne epiſcopus ſucceſſorem ſibi conſtituat, φυλάττεσθαι δὲ τὸν θεσμὸν τὸν ἐκκλησιαστικὸν, *ſed ſervari ſtatutum Eccleſiaſticum*, quo id nimirum prohibetur. Prohibetur autem illud à Canone Apoſt. LXXVI. Quin nono etiam Canone, ut ante obſervatum eſt, Patres Antiocheni decernunt, reliquos cujuſque provinciæ Epiſcopos nihil magni momenti ſine Metropolitano ſuo agere, κατὰ τὸν ἀρχαιότερον κρατήσαντα ἐκ πατέρων ἡμῶν κανόνα, *juxta antiquiorem, qui à patribus noſtris obtinuit, canonem*, quo non tantum antiquior, ſed & ipſe canon Apoſtolorum XXXIV. apertiſſimè indigitatur. Ad eundem denique modum canone Antiocheno XXI. ſtatutum eſt, ut epiſcopus in eâ maneat, in quam ab initio vocatus eſt, Eccleſiâ, & ab eâ non recedat, κατὰ τὸν ἤδη πρότερον περὶ τούτου ἐξενεχθέντα ὅρον, *juxta decretum antea de eâ re editum*, hoc eſt juxta canonem Apoſtolicum XIV. quo idem prorſus decernitur. Neque enim modo dubitare fas eſt, quin Canones Apoſtolici ante Antiochenos, hique ex iis conſtituti fuerint, cùm antiquiores iſti Canones ab Antiochenis toties commemorati, cum Apoſtolicis politè adeo in omnibus conveniant, præſertim cùm, ut antea probavimus, vel Apoſtolicos ex Antiochenis, vel Antiochenos

ex

ex Apoſtolicis tranſcriptos fuiſſe certiſſimum ſit. Omnimodo autem veriſimilius eſt, canones iſtos, qui de canonibus ante editis paſſim meminerunt, ex aliis formatos fuiſſe, quam eos qui nullam omnino aliorum canonum mentionem faciunt. Apoſtolici vero, ut cuivis perlegenti patebit, nullos alios ante ſe conſtitutos agnoſcunt: Patres autem Antiocheni ſe ſuos ex aliis ante ſancitis canonibus divulgare ſæpe innuunt, quoſque ipſi indigitant canones inter Apoſtolicos etiamnum inveniuntur. Ac propterea canones Apoſtolicos Antiochenis antiquiores, adeoque ante An. Dom. CCCXLI. editos fuiſſe, nemo inficias ire poteſt, quin ſimul ſe nimio partium ſtudio occæcatum prodat.

VIII. Ne mirum autem cuipiam videatur, qua ratione inducti Patres Antiocheni veteres hoſce renovarint canones, novoſque iis ſubinde inſeruerint, Paucula hic in tranſcurſu de Synodo Antiochenâ obſervare viſum eſt, è quibus totius hujuſce canonum Antiochenorum ſylloges occaſio patehat. Primo inter omnes convenit, Epiſcopos in hâc Synodo congregatos Arianâ hæreſi infectos fuiſſe, licet palam & aperte eam haud profeſſi fuerint. Cum enim Conſtantius Auguſtus celeberrimam illam Eccleſiam *Dominicam auream* dictam, à patre ſuo Canſtantino M. edificari cœptam Antiochiæ abſolviſſet, Euſebiani, qui ſe quidem Catholicos profitebantur, ſed occulte Arianis favebant, numero plus minus nonaginta Antiochiam ſe conferebant, prætextu quidem dedicandæ ejuſdem Eccleſiæ, reverà autem ut fidem à concilio Nicæno ſtabilitam everterent. Hoc Eccleſiaſtici hiſtorici diſerte affirmant, *Socrat. Hiſt. Eccleſ. lib.* XI. *cap.* VIII. *Sozom. lib.* III. *cap.* V. Non me fugit communem inter doctos opinionem prævaluiſſe, ſex & triginta ſolos è patribus Antiochenis Arianæ hæreſi emancipatos fuiſſe. Hæc autem opinio è perperam intellectis Julii papæ verbis in Epiſtolâ ad orientales epiſcopos, originem traxit, ubi nimirum ait, Σκοπεῖτε οὖν τίνες εἰσὶν οἱ παρὰ κανόνας πράξαντες; ἡμεῖς οἱ μετὰ τοσαύτην ἀπόδειξιν τὸν ἄνδρα δεξάμενοι, ἢ οἱ ἀπὸ τεσσαράκοντα καὶ ἓξ μονῶν ἐν Ἀντιοχείᾳ ὀνομάσαντές τινα ὡς ἐπίσκοπον ξένον, καὶ ἀποστείλαντες εἰς Ἀλεξάνδρειαν μετὰ στρατιωτικῆς ἐξουσίας; Ex his verbis Baronius aliique poſt eum collegerunt, triginta ſex ſolos Epiſcopos in ſynodo Antiochenâ Gregorium in ſedem Alexandrinam ad Athanaſium jure pertinentem ordinâſſe, atque ideo totidem in iſtâ ſynodo ſolos Arianos fuiſſe, nimirum ac ſi legeretur οἱ ἀπὸ τεσσαράκοντα καὶ ἓξ μόνοι, viz. ἐπισκόπων· Præterquam autem quod ſenſus iſthoc modo ſummè eſſet perturbatus, non μόνοι ibi legitur, ſed μονῶν, ut verba latine ſic ſonent, *Videte igitur quinam ſunt qui contra canones agunt? noſtrę qui tantu*

tis rerum documentis virum recepimus, an qui à triginta ſex manſionibus Antiochiæ quendam velut Epiſcopum, externum hominem ſalutarunt, iſtumque militari manu ſtipatum Alexandriam miſerunt? Nimirum Julius Gregorii ordinationem reprehendit, eumque contra canones Eccleſiaſticos creatum eſſe Alexandriæ epiſcopum affirmat, qüippe qui non in ipſâ urbe Alexandrinâ ordinatus eſſet, ſed in urbe Antiochiâ ἀπὸ τριάκοντα καὶ ἓξ μονῶν, hoc eſt quæ triginta ſex manſionibus, ſive triginta ſex dierum itinere ab urbe Alexandriâ diſtat. Iſtâ igitur meritò exploſâ opinione, fides Eccleſiaſticis potius hiſtoricis habenda eſt, omnes, vel ſaltem multo maximam eorum partem qui hanc Synodum celebrabant, Euſebianos fuiſſe aſſerentibus. Sic enim Sozomenus de Euſebianis loquens, οἱ δὲ τότε καὶ ἕτεροι τῶν τὰ αὐτὰ φρονούντων αὐτοῖς εἰς ἐνενήκοντα καὶ ἑπτὰ τελοῦντες ἐπισκόπους πολλαχόθεν εἰς Ἀντιόχειαν συνῆλθον, *Iſti igitur cum aliis ejuſdem opinionis fautoribus, ſimul omnes ſeptem & nonaginta epiſcopi variis è locis Antiochiam tunc temporis conveniebant.* Soz. lib. III. cap. V. Hinc cum unus ex hujus concilii canonibus adverſus D. Chryſoſtomum objectus eſſet, ille conſtanter reſpondebat iſtum eſſe ἑτεροδόξων νόμον, *ibid. lib.* VIII. *cap.* XX. Quo etiam nomine Innocentius papa Canones ab hac Synodo promulgatos repudiavit, *ibid. cap.* XXVI. Secundùm hæc obſervetur etiam S. Athanaſium, quem à concilio Tyrio condemnatum, & ſede Alexandrinâ depoſitum Conſtantinus M. in urbem Galliæ Treveros dictam relegaverat, paulo ante convocatum hoc concilium, ſolius Imperatoris Conſtantini junioris literis, citra majoris concilii ſententiam ac decretum, ab exilio revocatum fuiſſe, & priſtinæ ſuæ ſedi Alexandrinæ reſtitutum. Hoc Euſebiani, aliique omnes Arianicæ factionis ſectatores ægerrimè ferebant, & nullum non movebant lapidem, quo Athanaſius acerrimus peſtiferæ iſtius hæreſeos oppugnator, ſede ſuâ iterum expelleretur. *Soz. lib.* III. *cap.* II. Quin iſtis etiam diebus Paulus, Catholicus Nicænæ fidei aſſertor, Epiſcopus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ in Alexandri denati locum creatus eſt, rejecto Macedonio, quem Ariani ad iſtam promovere ſedem obnixè contendebant. *Ibid. cap.* III. IV.

IX. Hiſce præcognitis, vera canonum Antiochenorum hiſtoria facillimè eruatur. Cum epiſcopi enim in iſto concilio congregati, Arianicam hæreſim intus complexi ſint, & tamen Catholicam præ ſe doctrinam ferre ſtuduerint, neceſſarium iis viſum eſt decreta quædam Eccleſiaſtica tanto artificio edere, ut Athanaſium quidem alioſque Catholicos ferirent, & ipſi nihilominus, eorum fabricatores, Nicænæ ſynodo adhærere viderentur. Quamobrem Canones ſuos à concilii Nicæni decreto de paſchali feſtivitate auſpicantur. Cum idem autem & in

in ſeptimo Apoſtolorum canone de iſtâ celebritate decretum fuiſſet, ab eo demum patres Antiocheni incipientes, octo ſequentibus à ſe editis canonibus totidem circiter ex Apoſtolicis ordine redintegrarunt, ac ſi nihil de novo in Eccleſiam introducere, ſed veteres tantum & ab Eccleſiâ receptos canones renovare & explicare ſibi propoſitum fuiſſet. Poſt decimum autem canonem de Chorepiſcopis, quem tanquam appendicem nono de Metropolitanis & epiſcopis agenti ſubjunxerunt, duos protinus contra Athanaſium ſubdolè fabricati ſunt, eoſque antiquis à ſe renovatis canonibus ita interſeruerunt, ut ipſi etiam inter antiquos haberentur. Hi ſunt canones undecimus & duodecimus: quorum prior epiſcopos ſine Metropolitani & comprovincialium Epiſcoporum literis ad Imperatorem adire vetans, viam poſteriori condendo ſtravit, quo decretum eſt, ut presbyter vel diaconus à proprio Epiſcopo, aut Epiſcopus à Synodo depoſitus, non ad Imperatorem ſed ad majus Epiſcoporum concilium ſe convertat, ejuſdemque judicio ſubjiciatur. Quod ſi quis ad Imperatorem confugerit, is nullâ veniâ dignus habeatur. Verba Canonis ſic habent. Εἴ τις ὑπὸ τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου καθαιρεθεὶς πρεσβύτερος ἢ διάκονος, ἢ καὶ ἐπίσκοπος ὑπὸ συνόδου, ἐνοχλῆσαι τολμήσειε τὰς βασιλικὰς ἀκοὰς, δέον ἐπὶ μείζονα ἐπισκόπων σύνοδον τρέπεσθαι, καὶ ἃ νομίζει δίκαια ἔχειν προσαναφέρειν πλείοσιν ἐπισκόποις, καὶ τὴν παρ' αὐτῶν ἐξέτασίν τε καὶ ἐπίκρισιν ἐκδέχεσθαι· εἰ δὲ τούτων ὀλιγωρήσας ἐνοχλήσειεν τῷ βασιλεῖ, καὶ τοῦτον μηδεμιᾶς συγγνώμης ἀξιοῦσθαι, μηδὲ χώραν ἀπολογίας ἔχειν, μηδὲ ἐλπίδα μελλούσης ἀποκαταστάσεως προσδοκᾷν. *Syn. Antioch. Can. XII.* Nihil dubii eſſe poteſt, quin hic canon contra S. Athanaſium per literas Imperatorias ſine ſynodali decreto ſedi ſuæ Alexandrinæ reſtitutum, conditus fuerit. Euſebiani enim in hâc Synodo congregati eum calumniabantur, ὡς παρὰ κανόνα πράξαντα, ὃν αὐτοὶ ἄρτι ὥρισαν, ὅτι μὴ γνώμῃ κοινοῦ συνεδρίου τῶν ἐπισκόπων τὴν τάξιν τῆς ἱερωσύνης ἀνέλαβεν, *quod contra canonem, quem ipſi primum conſtituerunt, epiſcopatus ſui locum abſque decreto communis Epiſcoporum concilii recuperâſſet*, ut ait Socrates lib. II. cap. VIII. conſentiente Sozomeno, lib. III. cap. V. Quinetiam ex hoc canone à ſe conſtituto, epiſcopi Antiocheni non modo S. Athanaſii reſtitutionem pronunciabant irritam, verum & alium ejus loco Alexandrinæ Eccleſiæ epiſcopum deſignabant, primo quidem Euſebium Emiſenum, qui cum Alexandriam ire detrectaret, Gregorium iſtius Eccleſiæ Epiſcopum crearunt. *Socrat. lib.* II. *cap.* X. Hinc cum D. Chryſoſtomo vitio verteretur, quod poſt depoſitionem abſque majoris ſynodi autoritate ſuo ipſius arbitrio in Epiſcopalem ſedem invaſiſſet, contra ac Antio-

cheno-

cheno hoc canone ſtatutum fuerat, reſpondit ille, iſtum non Eccleſiæ Catholicæ ſed Arianorum eſſe canonem, οἱ γὰρ, inquit, ἐν τῇ Ἀντιοχείᾳ συνελθόντες ἐπὶ τῇ καθαιρέσει τῆς ὁμουσίου πίστεως, ἀπεχθείᾳ τῇ πρὸς Ἀθανάσιον τὸν κανόνα ἐξέθεντο, *Epiſcopi enim Antiochiæ congregati ad evertendam Conſubſtantialis fidem, præ odio quo adverſus Athanaſium flagrabant, iſtum canonem condiderunt.* Socrat. lib. VI. cap. XVIII. Nec duodecimus ſolus cum undecimo, è canonibus Antiochenis, verumetiam XIV. & XV. contra S. Athanaſium conſtituti ſunt. Et hi enim ambo de Epiſcopis judicandis agunt: & illo quidem ſive XIV. cautum eſt, ut ſi epiſcopi comprovinciales de judicio contra epiſcopum quempiam proferendo diſſenſerint, Metropolitanus Epiſcopus è viciná provinciâ judices alios convocet, qui controverſiam tollent. Quod Epiſcopi Antiocheni idcirco tunc temporis decernebant, ut ſententia à ſe vicinæ provinciæ epiſcopis contra Athanaſium prolata, valida haberetur. Altero autem, nempe XV. canone ſtatutum eſt, ut ſi epiſcopus ab omnibus ejuſdem provinciæ epiſcopis condemnatus fuerit, is apud alios nullo modo judicetur, ſed firma concordantium provinciæ epiſcoporum ſententia maneat. Quod haud dubie idcirco ab iis conſtitutum eſt, ut omnis ad aliam Synodum Appellatio S. Athanaſio adimeretur: & præſertim ut invalida, quantum fieri potuit, cenſerentur Romanæ, aliarumque ſynodorum decreta, quibus S. Athanaſius à calumniis in eum confictis vindicatus eſt, & juſtus innocenſque pronunciatus.

Quod denique ad reliquos duos in ſyllóge Antiochenâ canones de novo conditos, & Apoſtolicis in eâ confirmatis ſuperadditos ſpectat, decimum ſextum ſcilicet atque undeviceſimum, iſto decernitur Epiſcopum qui Eccleſiam vacantem abſque integro, cui Metropolitanus intereſt, concilio invadit, abjiciendum eſſe, licet cunctus populus eum delegerit: hoc autem ſive XIX. cautum eſt, ut epiſcopus ſine ſynodo & præſentiâ Metropolitani non ordinetur: utque ordinatio aliter celebrata nullas habeat vires. Palam eſt, ambos hoſce Canones contra Paulum deſignatos eſſe, qui ad thronum Conſtantinopolitanum refragantibus Arianis promotus fuerat. Ariani enim & Macedoniani aſſerebant eum ſedem iſtum ſibi comparâſſe præter ſententiam Euſebii Nicomedienſis & Theodori Heracleæ, quæ in Thraciâ eſt, Epiſcopi, ad quos utpote finitimos ordinatio pertinebat. Sic enim Sozomenus de eodem loquens ait, ὡς μὲν λέγουσι οἱ τὰ Ἀρείου καὶ Μακεδονίου φρονοῦντες, ἑαυτῷ ταύτην πραγματευσάμενος παρὰ γνώμην Εὐσεβίου τοῦ Νικομηδείας ἐπισκόπου καὶ Θεοδώρου τοῦ ἐν Θρᾴκῃ Ἡρακλείας, οἷς ὡς γείτοσι ἡ χειροτονία διέφερε. *Soz. lib. 3. cap. 3.* Quâ ratione Euſebius Nicomedienſis cum

Theodoro Heracleenſi hoc in loco conjungatur, non video, niſi forſitan quod ille etiam vicinus eſſet epiſcopus. Heracleenſi autem Epiſcopo ut Metropolitano ſuo thronus Conſtantinopolitanus iſtis temporibus ſubjectus erat, & poſtea etiam uſque dum ad Patriarchalem dignitatem evectus eſſet. Cum Paulus igitur ad iſtam ſedem ſine Metropolitano Heracleenſi & Synodo ab eo convocatâ promotus fuiſſet, ut Ariani & Macedoniani aſſerebant, hinc iidem in Synodo Antiochenâ congregati, duos iſtos ſupradictos canones edebant, quibus ordinatio ejus irrita judicaretur, ipſeque throno CP. dejiceretur. Et quidem eum iſto ſæpe throno ab iis expulſum fuiſſe, hiſtoriæ Eccleſiaſticæ fidem faciunt. Adeo ut iſtos canones contra ipſum definitos fuiſſe, pro certo & explorato habeamus.

X. E præmiſſis videre eſt, quid Synodus Antiochena in nonnullis renovandis, aliiſque de novo conſtituendis canonibus ſibi propoſuerit. Cum hoc enim ante omnia in animo habuerint epiſcopi ibi congregati, ut Athanaſium Alexandrinum & Paulum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, acerrimos Catholicæ fidei aſſertores, ſedibus ſuis propulſarent, & propulſatos detinerent, ſiquidem Canones ante conſtituti rem haudquaquam effectam darent, novos excogitare coacti ſunt, qui Conſtantii Imperatoris ſynodo præſentis favore & autoritate muniti, omnia perficerent, quæ ipſi adverſus ſuos, ut viſi ſunt, adverſarios tantopere exoptabant. Verum ne in novis hujuſmodi fingendis canonibus Arianorum hæreſi pariter & factioni patrocinari viderentur, eos non ſeorſim, ſed antiquis Eccleſiæ canonibus à ſe explicatis interjectos ediderunt. Quo pacto incautis faciliime perſuaderent, ſe nihil novi machinatos eſſe, ſed antiqua tantummodo patrum decreta explicuiſſe & confirmâſſe. Et quidem certe ſuos Apoſtolicis canonibus ſcitè adeo interſeruerunt, ut omnes ab ipſis editi Canones in Codicem Canonum Eccleſiæ univerſæ poſtea recepti fuerint. Verum, quod ad rem noſtram ſpectat, cum exceptis iis qui contra Catholicæ doctrinæ propugnatores fabricati ſunt, reliqui omnes Canones ab hoc concilio divulgati, è canonum Apoſtolicorum ſylloge ſelecti ſint, ut ante oſtendimus, non eſt quod ſuſpenſi dubiique ulterius pendeamus, quin tota iſta canonum, qui Apoſtolicorum vulgo appellantur, collectio diu ante concilium iſtud Antiochiæ celebratum obtinuerit.

CAP.

C A P U T V.

Synopſis.

I. *Synodus* Gangrena *Eccleſiaſticos canones ab Euſtathianis violatos aſſerit: quos eoſdem eſſe atque Apoſtolicos probatur.*

II. *Synodum* CP. *An. Dom.* 382. *habitam Canones Apoſt. vidiſſe, & citâſſe oſtenditur.*

III. *Eoſdem à Synodo* Carthaginienſi *iiſdem fere diebus celebratâ laudatos eſſe probatur.*

IV. *Canones Apoſtolici præcipiunt Epiſcopum tertio citandum eſſe, priuſquam à ſynodo judicetur. Hinc probatur dictos canones tertio generali concilio cognitos fuiſſe, utpote à quo* Neſtorius *tertio citatus eſt: & canones Eccleſiaſtici id præcepiſſe ab eodem perhibentur.*

V. *Eodem argumento probatur hoſce canones notos fuiſſe Synodo* CP. Eutychen, *& quartæ generali* Dioſcorum *tertio citanti.*

VI. *Aliis argumentis hos canones Synodo* Chalcedonenſi *viſos & confirmatos eſſe demonſtratur.*

I. IIſdem circiter temporibus quibus Antiochena, Gangrena etiam Synodus celebrata fuit, & luculentum pariter Apoſtolicis canonibus teſtimonium perhibuit. Patres enim in urbe Gangrâ, Metropoli in Paphlagoniâ, congregati, poſtquam viginti contra Euſtathium & Gregales ejus Canones edidiſſent, viceſimo demum primo, quo mentem ſuam in aliis canonibus conſtituendis explicant, hæc habent, ταῦτα δὲ γράφομεν, οὐκ ἐκκόπτοντες τοὺς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ θεοῦ κατὰ τὰς γραφὰς ἀσκεῖσθαι βουλομένους, ἀλλὰ τοὺς λαμβάνοντας τὴν ὑπόθεσιν τῆς ἀσκήσεως εἰς ὑπερηφανίαν, κατὰ τῶν ἀφελέστερον βιούντων ἐπαιρομένους τε καὶ παρὰ τὰς γραφὰς, καὶ τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς κανόνας καινισμοὺς εἰσάγοντας. *Hæc autem ſcribimus, non eos abſcindentes qui in Dei Eccleſiâ volunt ſecundum ſcripturas in pietate exerceri, ſed eos qui prætextum exercitationis ad arrogantiam aſſumunt, adverſus eos qui ſimplicius vivunt ſe efferentes, & præter ſcripturas & Eccleſiaſticos canones novitatem inducunt.* Hic primo obſervare licet Eccleſiaſticos quoſdam à patribus Gangrenis commemorari canones ut ab Euſtathianis violatos. Quod ſi Euſtathianorum mores & dogmata in Gangrenis canonibus & in præfatione ad eoſdem recenſita & condemnata perluſtremus, eos canonibus Apoſtolicis, iiſque quos ſcimus,

ſolis

ſolis ante hanc ſynodum divulgatis adverſari patebit. Adeo ut alia quidem ab Euſtathianis præter ſcripturas, alia autem præter canones Apoſtolicos introducta fuiſſe conſtet. Ex. gr. Euſtathiani à nuptiis & carnibus tanquam illicitis ab omnibus qui cœlorum regnum ingredi cupiunt, neceſſario abſtinendum eſſe docuerant. *Syn. Gang. Can.* I. II. contra ac decretum eſt canone Apoſtolico LI. quo deponitur Clericus, & excommunicatur Laicus, qui à nuptiis carnibus & vino, non propter exercitationem, ſed propter abominationem abſtinet. Euſtathiani conciones privatim habere, & ſeparata celebrare conventicula ſoliti fuerunt, ut è præfatione ad omnes canones Gangrenſes, & è Can. VI. liquet; hoc autem in Canone Apoſt. XXXI. diſerte prohibitum eſt. Adhæc Canones Apoſtolici præcipiunt, ut Epiſcopus primitias fructuum & omnes oblationes accipiat, & per presbyteros & diaconos indigentibus diſpenſet, Can. Apoſt. IV. XLI. At Euſtathiani omnes fructuum primitias ac oblationes ſibimet & ſuis præter Epiſcopi ſententiam diſpenſandas eſſe vendicarunt, præfat. ad Syn. Gangr. & Can. VII. VIII. Euſtathiani jejunia die Dominico peragere conſueti ſunt, præf. & can. XVIII. contra canonem Apoſt. LXVI. Sed jejunia Eccleſiæ antiquitus tradita, quadrageſimam nimirum, feriam quartam & paraſceven, contemptui, neglectuique habuerunt, Syn. Gangr. præf. & Can. XIX. ac propterea canonem Apoſt. LXIX. apertiſſime violarunt. Cùm conſtet itaque Euſtathianos contra Apoſtolicos docuiſſe pariter atque egiſſe canones, & patres Gangreni aſſerant novitates quaſdam præter *Eccleſiaſticos canones* ab iis inductas eſſe, reliquum eſt, ut *Eccleſiaſtici* ab illis memorati *Canones* iidem fuerint, quos hodie S. Apoſtolorum nomine indigitamus. Neque enim aliam quamlibet habemus collectionem canonum, ad quam referantur iſta Synodi Gangrenæ verba, vel etiam hæc Sozomeni, qui de eodem Euſtathio loquens ait, λέγεται δὲ ἀπὸ πολλῆς ἀκριβείας εἰς παραλόγους ἐπιτηρήσεις ἐκπεσεῖν, παντελῶς ἀπᾳδούσας τῶν ἐκκλησιαστικῶν νόμων, *præ nimiâ autem ſeveritate ad abſurdas quaſdam obſervationes prolapſus eſſe dicitur, ab Eccleſiaſticis legibus plurimum diſcrepantes.* Sozom. Hiſt. Eccleſ. lib. III. cap. XIV.

II. Porro An. Dom. CCCLXXXI. Secunda generalis Synodus Conſtantinopoli celebrata fuit, quæ inter alia, Nectarium in Conſtantinopolitanum, & Flavianum in Antiochenum Epiſcopatum ordinavit. Quas ordinationes cum Occidentales Epiſcopi improbarint, plerique epiſcoporum, qui ſecundam iſtam univerſalem ſynodum celebraverant, æſtate ſequenti Conſtantinopolim iterum convenientes, Synodicam Epiſtolam ad Damaſum, Ambroſium, alioſque in ſynodo Romanâ tunc congregatos, miſerunt: quæ etiamnum extat, in Theodoret, Hiſt. Ec-

 cleſ.

cleſ. lib. v. cap. IX. In hâc Epiſtolâ Patres Conſtantinopolitani, poſtquam orthodoxam ſuam fidem à concilio Nicæno ſtabilitam profeſſi ſunt, ad ſupradictas tandem ordinationes orationem ſuam convertunt, eamque his verbis ingrediuntur. Περὶ δὲ τῶν οἰκονομιῶν τῶν κατὰ μέρος ἐν ταῖς ἐκκλησίαις, παλαιός τε, ὡς ἴστε, θεσμὸς κεκράτηκε, καὶ τῶν ἁγίων ἐν Νικαίᾳ πατέρων ὅρος, καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν τοὺς τῆς ἐπαρχίας, καὶ εἴπερ ἐκεῖνοι βούλοιντο, σὺν αὐτοῖς τοὺς ὁμόρους πρὸς τὸ συμφέρον ποιεῖσθαι τὰς χειροτονίας. *De particulari autem adminiſtratione ſingularium Eccleſiarum, antiqua, ut probe noſtis, obtinuit ſanctio, & ſanctorum in Nicæâ patrum regula, ut in ſingulis provinciis epiſcopi iſtius provinciæ, & ſi illis placuerit, unà cum ipſis finitimi, prout utile judicaverint, ordinationes faciant.* Hic duo apertè indigitantur Canones quibus hæc decreta fuerant: Unus quidem Nicænus, alter longe antiquior, quem diu antea obtinuiſſe occidentales æque ac orientales epiſcopi probe nôrunt. Nicænus hic indicatus, alius eſſe nequit quam quartus iſtius concilii Canon, quo ſtatutum eſt, ut epiſcopus ab omnibus, ſi fieri poteſt, qui ſunt in provinciâ ejus epiſcopis ordinetur; ita tamen ut confirmatio cujuſque ordinationis per ſingulas provincias ad Metropolitanum pertineat. De finitimis autem epiſcopis ad ordinationes epiſcopales ullâ ratione ab aliâ provinciâ convocandis aut admittendis hic nulla habetur mentio. Atque ideo hic Nicænus canon eo tantum nomine laudari potuit, quod eo cautum ſit, ut in ſingulis provinciis epiſcopi illius provinciæ ordinationes faciant. Verum Patres CP. demonſtrare imprimis voluerunt, licitum ſibi fuiſſe ex canonibus Eccleſiaſticis epiſcopum Conſtantinopolitanum & Antiochenum ordinare, etiamſi nonnulli ex ipſis non iſtarum ſed aliarum provinciarum eſſent. Hoc ex iis patet, quæ ipſi proximè poſt verba ſuperius laudata aſſerunt. Aſſerunt enim ex legum iſtarum quas citant præſcripto, tum reliquas in Oriente Eccleſias adminiſtratas fuiſſe, tum Nobiliſſimarum etiam Eccleſiarum epiſcopos renunciatos, ac propterea ſe Nectarium Conſtantinopolitanorum Epiſcopum in univerſali concilio communi omnium conſenſu ordinâſſe: Flavianum autem Antiochenſium epiſcopum, tum ab illius provinciæ tum ab Orientalis diœceſeos Epiſcopis in unum congregatis, ordinatum fuiſſe, ac proinde ipſum univerſale concilium ordinationem iſtam tanquam legitimam ſuſcepiſſe. Et deinde indicant Cyrillum, de cujus etiam ordinatione, ut videtur, quæſtio mota erat, Hieroſolymorum epiſcopum ab iſtius provinciæ epiſcopis Canonicè olim conſtitutum fuiſſe. Hujus etiam ordinationem legitimam fuiſſe ex eo probant Patres Conſtantinopolitani, quod à provinciæ iſtius epiſcopis celebrata fuerat. Ut vero comprobent Nectarii etiam & Floriani ordinationes canonicè factas fuiſſe, licet à finitimis

timis ſimul ac à ſuæ provinciæ epiſcopis ordinati fuiſſent, non modo ad Nicænum, verumetiam ad alium antiquiorem canonem appellant, propterea ſcilicet quod Nicænus Canon omnes epiſcoporum ordinationes à ſolis comprovincialibus celebrandas eſſe decernit, nullâ finitimorum vel aliorum quorumcunque mentione factâ. Adeo ut ex Nicæni hujus canonis præſcripto, Epiſcopus CP. non ab omnibus qui tunc temporis congregati erant, quippe qui plerique aliarum provinciarum eſſent, ſed à ſolis iſtius provinciæ epiſcopis ordinandus eſſet: Neque orientalis diœceſis epiſcopi, ſed ii ſoli qui Antiochenæ erant provinciæ, Flavianum ad thronum Antiochenum promovere debuerint. Reſtat itaque ut antiquum iſtum, qui diu ante hanc ſynodum obtinuerat, canonem alibi inveſtigemus, quo ſcilicet Finitimis quibuſcunque Epiſcopis in alienâ provinciâ ordinationes facere permiſſum eſt, ſi ab ejuſdem provinciæ epiſcopis vocati fuerint. Talem autem canonem fruſtra inquiremus, præterquam inter Apoſtolicos. Quorum XXXIV. eadem fere præcipit quæ Nicænus ſupradictus, ut primus ſcilicet in unâquaque gente, & comprovinciales epiſcopi omnia quæ magni ſunt momenti, inter quæ ordinatio Epiſcoporum merito recenſeatur, inter ſe peragant. At canon proximus ſive XXXV. ſic habet. Ἐπίσκοποι μὴ τολμᾶν ἔξω τῶν αὐτοῦ ὅρων χειροτονίας ποιεῖσθαι εἰς τὰς μὴ ὑποκειμένας αὐτῷ πόλεις καὶ χώρας· εἰ δὲ ἐλεγχθείη τοῦτο πεποιηκὼς παρὰ τὴν τῶν κατεχόντων τὰς πόλεις ἐκείνας ἢ τὰς χώρας γνώμην, καθαιρείσθω καὶ αὐτὸς καὶ οὓς ἐχειροτόνησεν. *Epiſcopus ne audeat extra ſuos fines ordinationes facere in urbibus & pagis ei non ſubjectis. Sin autem hoc feciſſe convictus fuerit præter eorum ſententiam qui urbes illas aut pagos tenent, deponatur & ipſe & ii quos ordinavit.* Hic, ut videre eſt, cavetur ne epiſcopi in alienis provinciis ordinationes faciant præter eorum ſententiam qui iſtas provinciâs tenent. Si cujuſvis itaque provinciæ epiſcopi conſenſerint, ut finitimi ipſis epiſcopi in ſuâ ipſorum provinciâ ordinationibus aſſiſtant, tales ordinationes legitimæ ac canonicæ habentur. Hoc autem idem eſt quod in Synodicâ patrum CP. epiſtolâ de antiquo canone ibi commemorato dicitur, ſanciente nimirum, ut in ſingulis provinciis Epiſcopi illius provinciæ, καὶ εἴπερ ἐκεῖνοι βούλοιντο, *& ſi ipſi voluerint*, unà cum iis finitimi, prout utile judicaverint, ordinationes faciant Unde conficitur Canonem iſtum Apoſtolicum à Patribus CP. ſub *antiquæ ſanctionis* titulo hic indigitari. Cùm talis enim antiquus canon à Patribus Conſtantinopolitanis hic citetur, quo finitimi epiſcopi in alienâ provinciâ, ſi epiſcopi ejuſdem voluerint, ordinationes celebrent, hoc autem inter omnia antiquitatis monumenta ante hanc ſynodum ſolùm ab Apoſtolico iſto canone

G 2 permiſ-

permiſſum legatur, ſatis exinde conſtat, Patres CP. ad hunc ipſum canonem reſpectum habuiſſe, ubi παλαιὸν θεσμὸν de hâc re commemorarunt.

III. Haud multis poſt ſecundam univerſalem Synodum annis, concilium Carthaginienſe nomine quidem Tertium, ſed ordine temporis inter ea quæ poſt Nicænum extant, Secundum celebratum fuit: quo Honoratus & Urbanus conqueſti ſunt duos Numidiæ Epiſcopos præſumpſiſſe Pontificem ſive Epiſcopum ordinare, atque ideo poſtularunt ut decerneretur epiſcoporum ordinationes non niſi à duodecim in poſterum Epiſcopis celebrandas eſſe. Sed Aurelius Epiſcopus dixit, *Forma antiqua ſervabitur, ut non minus quam tres ſufficiant qui fuerint deſtinati ad Epiſcopum ordinandum.* Syn. Carthag. III. Can. XXXIX. qui in Codice Græco canonum Eccleſiæ Africanæ eſt canon LIII. ubi Græcè ſic legitur, ὁ ἀρχαῖος τύπος φυλαχθήσεται, ἵνα μὴ ἧττονες τειῶν τῶν ὁρισθέντων εἰς χειροτονίαν Ἐπισκόπων ἀρέσκωσιν. Ex his verbis liquet, Primum Apoſtolorum canonem ſub *antiqui typi* ſive Canonis, ut Balſamon interpretatur, nomine indicatum, iſtis diebus in Carthaginienſi Eccleſiâ obtinuiſſe, utpote quo ſic ſtatutum eſt, Ἐπίσκοπος χειροτονείσθω ὑπὸ ἐπισκόπων δύο ἢ τειῶν. Quod ita intelligendum eſt, ut epiſcopi ordinatio non niſi urgente neceſſitate à duobus, alias à tribus perpetuo epiſcopis peragatur. Unde Alexius Ariſtenus ad iſtum Canonem Apoſt. dicit, τρεῖς δὲ ἐξάπαντος ὀφείλουσι ψηφίζεσθαι ἐπίσκοποι, καὶ μὴ ἥττονες τούτων. *Tres omnino debent ordinare Epiſcopum, & non pauciores illis.* Hinc Patres Carthaginienſes, licet ratam habuerint epiſcopi ordinationem à duobus Numidiæ epiſcopis celebratam, ſtatuunt nihilominus, ut antiquus iſte canon accuratius in poſterum ſervetur, ut non minus quam tres epiſcopi ad Epiſcoporum ordinationem conveniant. Cum hanc autem ordinandi formam *antiquam* vocent, & nullum alium hujus concilii reſpectu *antiquum* habeamus canonem iſtud ſtatuentem, dempto unico iſto Apoſtolico ante citato, nihil obſtat quo minus dicta Aurelii verba à toto concilio approbata de iſto imprimis canone intelligamus.

IV. Aliud prætereà, illudque nobiliſſimum adſtruendæ Canonum Apoſtolicorum antiquitati argumentum petatur è LXXIV. iſtius ſylloges canone ſic habente. Ἐπίσκοπον κατηγορηθέντα ἐπί τινι παρὰ ἀξιοπίστων ἀνθρώπων, καλεῖσθαι αὐτὸν ἀναγκαῖον ὑπὸ τῶν ἐπισκόπων· κἂν μὲν ἀπαντήσῃ καὶ ὁμολογήσῃ ἢ ἐλεγχθείη, ὁρίζεσθαι τὸ ἐπιτίμιον· ἐὰν δὲ καλούμενος μὴ ὑπακούσῃ, καλείσθω καὶ δεύτερον, ἀποστελλομένων ἐπ᾽ αὐτὸν δύο ἐπισκόπων· ἐὰν δὲ καὶ οὕτω μὴ ὑπακούσῃ, καλείσθω καὶ τρίτον, δύο πάλιν ἐπισκόπων ἀπο-

στελλομένων

σελλομένων πρὸς αὐτόν· ἐὰν δὲ καὶ οὕτως καταφρονήσας μὴ ἀπαντήσῃ, ἡ σύνοδος ἀποφαινέσθω κατ᾽ αὐτοῦ τὰ δοκοῦντα, ὅπως μὴ δόξῃ κερδαίνειν φυγοδικῶν. *Epiſcopum à viris fide dignis ob aliquid accuſatum, ab epiſcopis vocari neceſſe eſt : & ſi ſe quidem ſtiterit, & confeſſus vel convictus fuerit, ſtatuatur pœna : ſi autem vocatus non paruerit, ſecundo etiam vocetur, miſſis ad eum epiſcopis duobus : Si autem etiam ſic non obedierit, vocetur & tertio miſſis ad eum rurſus duobus epiſcopis : ſi autem & ſic aſpernans contumaxque ſe non ſtiterit, Synodus ea quæ videntur adverſus eum pronunciet, ne lucrifacere videatur, dum judicium ſubterfugit.* In omnibus antiquis Eccleſiæ Primitivæ monumentis, alius, excepto hoc unico Apoſtolico, nuſquam invenitur canon Eccleſiaſticus, quo ſtatutum eſt, ut epiſcopus de crimine quovis accuſatus, non prius ab Epiſcoporum ſynodo judicetur, quam per epiſcopos ab eâdem miſſos, tertio vocatus aut citatus fuerit, ut ſe ſynodo ſiſtat, & de crimine ipſi illato purget. Verumenimvero Acta tertii univerſalis concilii ſive Epheſini Anno Dom. CCCCXXXI. habiti, fidem pleniſſimam faciunt Eccleſiaſticos iſtos canones, quibus hoc decretum eſt, iſtis diebus non modo cognitos fuiſſe, verumetiam religioſiſſime obſervatos. Ubi enim Neſtorius læſæ orthodoxæ fidei coram Synodo teneretur, Synodus, juxta quod in dicto canone Apoſtolico præſcriptum eſt, eum per epiſcopos ad ipſum miſſos, primo, ſecundo, & demum tertio citabat, ſeque ſynodo ſiſtere admonebat, hâc adhibitâ ratione, quod Canones Eccleſiaſtici id imperarent. Cum enim bis eum ante citaviſſet, tertio eum citabat, miſſis iterum epiſcopis qui has ſecum literas citatorias ferebant, τρίτῃ ταύτῃ κλήσει τὴν εὐλάβειάν σου συγκαλεῖ ἡ ἁγιωτάτη σύνοδος, τοῖς κανόσιν ὑποταττομένη, καὶ νέμουσά σοι τὴν ἀνοχὴν καὶ μακροθυμίαν, καταξίωσον κἂν νῦν γοῦν ἀπαντήσας ἀπολογήσασθαι περὶ ὧν φασί σε εἰρηκέναι ἐπ᾽ ἐκκλησίας αἱρετικῶν δογμάτων ἐπὶ τοῦ κοινοῦ τῆς ἐκκλησίας· εἰδὼς ὅτι εἰ μὴ ἀπαντήσας σὺ στῇς πρὸς τὰ ἀγράφως, καὶ ἐγγράφως κατά σου λεγόμενα, ἀνάγκην ἕξει ἡ ἁγιωτάτη σύνοδος τὰ δοκοῦντα τοῖς τῶν ἁγίων πατέρων κανόσιν ἐπὶ σοὶ ὁρίσαι. Quæ verba in veteri Actorum hujus concilii tranſlatione latinè ſic redduntur. *Sancta Synodus Canonibus obtemperans, teque leni patientique animo hactenus ferens, en tertio ad ſuum conſeſſum te invitat. Digneris itaque vel nunc tandem huic te adjungere, eorumque dogmatum quæ hæreticè pro concione diſſemināſſe diceris, in communi Eccleſiæ conventu rationem reddere. Quod niſi coram de omnibus, ſive ea ſcripto contra te allata fuerint, ſive citra ſcriptum, te expurgaveris, Sanctiſſimam Synodum neceſſitate compulſam juxta Sanctorum patrum ſanctiones ſententiam adverſus te pronunciaturam eſſe, nihil quicquam dubites.* Acta concil. Epheſ.

pheſ. part. 2. Act. 1. Cum legati autem, quos Synodus ad Neſtorium cum tertiâ hâc citatione miſerat, reverſi ſynodum certiorem feciſſent, Neſtorium nec tertiæ huic citationi obtemperaturum eſſe, nec Synodo adfuturum, Juvenalis Epiſcopus Hieroſolymitanus dixit, quod Eccleſiaſticæ ſanctiones ſat eſſe ſtatuunt, ſi rei ad diluenda objecta crimina tertio citentur. Τῶν ἐκκλησιαστικῶν, inquit, θεσμῶν ἀρκεῖσθαι κελευόντων τῇ τρίτῃ κλήσει εἰς ἀπολογίαν τοὺς καλουμένους περὶ ὧν ἂν ἐγκαλοῖντο. Ibid. Quinetiam in epiſtolâ ſive relatione, quam Synodus ad Imperatores Theodoſium & Valentinianum de Neſtorii depoſitione miſerunt, hæc habemus, τῶν δὲ κανόνων παρακελευομένων τῇ τρίτῃ κλήσει παρακαλεῖσθαι τὸν ἀπειθοῦντα, ἀποστείλαντες πρὸς αὐτὸν αὖθις ἑτέρους ἐπισκόπους ἀπειθοῦντα εὕρομεν. Ibid. E quibus omnibus manifeſtum efficitur nonnullos Eccleſiaſticos canones ſive quandam canonum collectionem iſtis temporibus obtinuiſſe, quibus præſcriptum erat, ut epiſcopus de hæreſi vel alio quovis crimine accuſatus, ad epiſcoporum ſynodum, per epiſcopos ad ipſum miſſos, ter vocetur, priuſquam ſententia contra eum canonice ferri potuit. Cum nulla autem alia detur canonum Eccleſiaſticorum, quibus hoc decretum erat, collectio, præter eam cui S. Apoſtolorum nomen vulgo inſcribitur, ſummo contra eam præjudicio laboret neceſſe eſt, quicunque hanc canonum Eccleſiaſticorum ſyllogen patribus Epheſinis incognitam eſſe ſuſpicetur.

V. Hoc argumentum fortius adhuc ac dilucidius evadet, ſi obſervemus inſuper alia præter Epheſinum concilia iſthoc ſeculo celebrata, epiſcopos accuſatos tertio ad ſe vocare ſolita fuiſſe, idque propterea quod in ſacris canonibus ubique tunc temporis receptis, hoc iis præceptum erat. Ut omittam enim Eutychen à concilio provinciali CP. ter citatum ut ſynodo occurreret: Quartum Oecumenicum concilium Chalcedone celebratum, Dioſcorum epiſcopum Alexandrinum multis obnoxium criminibus, tertio ad ſe vocavit, miſſis ad eum Francione, Luciano, & Joanne Epiſcopis, cum literis itidem ad ipſum directis, quibus Patres in ſynodo congregati eum certiorem faciunt, quod ſi poſt tertiam hanc canonicam citationem ad veniendum diſtulerit, ſynodus pœnam à canonibus contra contumaces præſtitutam ab ipſo petet. Cùm Dioſcorus autem tertio vocatus ſe ſiſtere recuſarit, ſynodus protinus depoſitionis ſententiam contra eum pronunciabat, cui omnes epiſcopi præſentes ſubſcripſerunt, & plerique eorum in ſubſcriptionibus ſuis hoc inter alia ei objecta crimina recenſuerunt, quod contemptis Eccleſiaſticis canonibus etiam tertio vocatus ſe coram ſynodo exhibere noluit; Ut videre eſt in concilii iſtius Actione tertiâ. Et in ipſâ damnatione quam ſynodus Dioſcoro miſit, hoc inprimis ei objicitur

objicitur, quod cum ſynodus κατὰ τοὺς θεὺς, ut ait, κανόνας tertio eum vocâſſet, ſe ſiſtere noluit. Adhæc in epiſtolis ſynodicis ad Imperatores & ad Clerum Alexandrinum, Dioſcorum etiam poſt tertiam vocationem juxta divinos canones ei concellam, non occurriſſe, ac propterea eum canonice depoſitum eſſe affirmant. Quid autem in cauſâ fuit, quod tertiæ vocationis in ſacris Canonibus conſtitutæ & à Dioſcoro contemptæ toties mentionem fecerint, niſi ut ſe juxta canones, qui tunc dierum in eccleſiâ obtinebant, egiſſe oſtenderent? Quinam autem erant hi ſacri, eccleſiaſtici, & diuini canones, hâc in re ab univerſali concilio toties commemorati? Sane in Codice canonum eccleſiæ univerſæ, quem, uti mox videbimus, hæc ſynodus confirmavit, nec volam nec veſtigium hujuſmodi canonis ſive decreti invenire eſt, nec ullibi occurrit talis canon præterquam inter Apoſtolicos, quos proinde Synodo Chalcedonenſi & cognitos fuiſſe & laudatos extra dubium eſt: præſertim cum iſta univerſalis ſynodus non ſolum ipſum canonem quo hoc conſtituitur, verum & totam illam canonum ſeriem ſive conſequentiam, quâ dictus canon invenitur, memorarit. Nam Francion epiſcopus Philippopolitanus cum aliis epiſcopis ad Dioſcorum ultimo miſſis eum ſic alloquitur, Ἡ ἁγιωτάτη καὶ οἰκουμενικὴ σύνοδος, ἡ συνεδρεύουσα ἐν τῷ ἁγίῳ μαρτυρίῳ τῆς ἁγίας Εὐφημίας, ἀπέστειλε πρὸς τὴν σὴν θεοσέβειαν τὴν ἡμετέραν εὐτέλειαν, τρίτην ἤδη κλῆσιν ταύτην ποιουμένη κατὰ τὴν ἀκολουθίαν τῶν ἁγίων κανόνων. *Sancta & Univerſalis ſynodus congregata in baſilicâ S. Martyris Euphemiæ noſtram humilitatem ad tuam religioſitatem deſtinavit, tertiam jam hanc citationem faciens, ſecundum conſequentiam ſanctorum canonum.* Concil. Chalced. Act. III. ubi & paulo poſt Dioſcorus egiſſe dicitur κατὰ τῆς τῶν κανόνων τάξεως, καὶ τῆς ἐκκλησιαστικῆς καταστάσεως, *Contra canonum ordinem & Eccleſiaſticam diſciplinam.* Hæc autem conſequentia ſive ordo canonum (quo etiam nomine codex canonum Eccleſiæ univerſæ ſæpe appellatus eſt) alium præter canonum Apoſtolicorum Codicem hic ſignificare nequit, quippe quo ſolo laudatus iſte de trinâ citatione canon habetur.

VI. Cum Chalcedonenſem verò Synodum præ oculis modo habeamus, de eâ præterea obſervare licet, quod in primo hujus ſynodi canone, canones quidam Eccleſiaſtici, quos antegreſſæ ediderant ſynodi, confirmati ſunt his verbis, τοὺς παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων καθ' ἑκάστην σύνοδον ἄχρι τοῦ νῦν ἐκτεθέντας κανόνας, κρατεῖν ἐδικαιώσαμεν, *Qui à ſanctis patribus in unaquaque ſynodo hucuſque expoſiti fuerunt canones, obſervari æquum cenſuimus.* Quin inter omnes etiam conſtat Canones hic confirmatos eſſe Nicænos, Ancyranos, Neocæſarienſes, Gangrenſes, Antiochenos, & Laodicenos, in unum iſtis etiam diebus codi-

codicem collectos, ex quo nonnulli eorum in Actionibus Chalcedonenſibus relecti & laudati ſunt. Cæterum, præter Synodicos hoſce canones ab ipſis confirmatos, Patres Chalcedonenſes aliorum ſubinde canonum mentionem faciunt, eoſque firmitatem ſuam adhuc retinere ſtatuunt. Quinto enim ipſorum canone ſic ajunt, Περὶ τῶν μεταβαινόντων ἀπὸ πόλεως εἰς πόλιν ἐπισκόπων ἢ κληρικῶν, ἔδοξε τοὺς περὶ τούτων τεθέντας κανόνας παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων ἔχειν τὴν ἰσχύν. *De epiſcopis vel clericis qui a civitate ad civitatem tranſeunt, placuit eos qui editi ſunt à ſanctis patribus canones vires obtinere.* Non quidem diffiteor quin concilia Nicænum & Antiochenum canones de hâc re ediderint; verum ſi ii ſoli ab iſtis ſynodis conditi hic intelligerentur canones, Patres hoc in loco actum agerent, eoſdem canones & in primo & in quinto ipſorum canone confirmantes. Quod cum nefas ſit de tot tantiſque patribus affirmare, Canones potius Apoſtolici XIV. & XV. hic intelligendi ſunt, quos, æque ac Synodicos de hac re editos, Synodus Oecumenica propterea confirmat, quod aliquid amplius in iis quam in Synodicis ante confirmatis ſtatutum ſit: Nimirum ut epiſcopo à civitate ad civitatem vel à parochiâ ad parochiam tranſire liceat, ſi cauſa aliqua rationi conſentanea hoc eum facere cogat, & multi epiſcopi certatim eum tranſire exhortentur. Quod licet rationi ſummè congruum, in aliis tamen Synodorum canonibus penitus omiſſum eſt; Quibus propterea Synodus Apoſtolicos canones hoc continentes ſubjungere neceſſarium duxit. Et quidem Nilus Theſſalonicenſis Canones Apoſtolicos hic intelligendos eſſe uſque adeo perſuaſum habuit, ut ipſam vocem Ἀποστόλων corpori canonis, ſi non inſertam invenerit, ipſe ſaltem inſeruerit. Hunc enim canonem Chalcedonenſem his verbis exhibet, Περὶ τῶν μεταβαινόντων ἀπὸ πόλεως εἰς πόλιν ἐπισκόπων ἢ κληρικῶν, ἔδοξε τοὺς περὶ τούτων τεθέντας κανόνας παρὰ τῶν ἁγίων Ἀποστόλων καὶ πατέρων ἔχειν τὴν ἰσχύν. Nilus de primat. pap. l. 2. Idem de canone Chalcedonenſi XXII. dicendum eſt, præcipiente, non licere Clericis poſt mortem ſui epiſcopi res, quæ ad ipſum pertinent, rapere, καθὼς καὶ τοῖς πάλαι κανόσιν (ſic enim legendum eſſe, non τοῖς παραλαμβάνουσιν in Annotat. oſtendimus) ἀπηγόρευται, *quemadmodum & antiquis canonibus prohibitum eſt.* Etiamſi enim idem fere præcipiatur canone Antiocheno XXIV. cum is tamen inter Synodicos ante confirmatus fuiſſet, per *Canones Antiquos* hoc in loco commemoratos, Apoſtolici potius intelligendi ſunt, quorum canone quadrageſimo hoc decretum habetur: quem Patres Chalcedonenſes Antiocheno prius confirmato propterea addidiſſe videntur, quo majores huic Eccleſiaſticæ Sanctioni vires conciliarent, utpote quæ non modo

à Sy-

à Synodicis, verum à longe etiam antiquioribus Canonibus edita fuerit.

Aliud denique haud obſcurum veræ canonum Apoſtolicorum antiquitati confirmandæ argumentum nobis ſubminiſtrat ejuſdem univerſalis ſynodi Canon XIV. ſic incipiens, Ἐπειδὴ ἔν τισιν ἐπαρχίαις συγκεχώρηται τοῖς ἀναγνώσταις καὶ ψάλταις γαμεῖν, ὥρισεν ἡ ἁγία σύνοδος μὴ ἐξεῖναί τινι αὐτῶν ἑτερόδοξον γυναῖκα λαμβάνειν. *Quoniam in nonnullis provinciis conceſſum eſt lectoribus & Cantoribus uxores ducere, decrevit Sancta Synodus nulli eorum licere diverſæ à rectâ opinionis uxorem ducere.* Hinc enim liquet hoc in nonnullis provinciis diu obtinuiſſe, ut è Clericis Lectores & Cantores ſoli uxores ducerent. Hoc autem nullibi obtinere potuit, niſi à Synodis earum provinciarum Eccleſiaſticâ autoritate conſtitutum fuiſſet. Hujuſmodi vero Eccleſiaſtica conſtitutio nullibi extat, præterquam inter Apoſtolicos: quorum viceſimus ſextus ſic ſe habet. Τῶν εἰς κλῆρον προσελθόντων ἀγάμων, κελεύομεν βουλομένους γαμεῖν, ἀναγνώστας καὶ ψάλτας μόνοι. *Ex iis qui non ductâ uxore ad clerum promoti ſunt, jubemus ſi velint, uxores ducere lectores & cantores ſolos.* Ac proinde nullus dubito, quin hic canon Apoſtolicus longe prius divulgatus, quam quarta ſynodus Oecumenica Chalcedone celebrata fuerit.

CAPUT VI.

Synopſis.

I. *Canones* Apoſtolicos *eoſdem eſſe atque* Eccleſiaſticos *à Patribus citatos è ſummâ inter eos convenientiâ ſatis conſtat.*

II. *Canones hi nonnunquam ſub ipſo* Apoſtolorum & Apoſtolicorum *nomine laudati ſunt. Quod probatur primo* Alexandri Alexandrini *teſtimonio.*

III. Conſtantinus M. Imp. *canonem Apoſtolicum ab Euſebio ſervatum laudat, eundemque & à mandatis Dei & à canonibus Eccleſiaſticis diſtinguit.*

IV. Julius P. R. *canones Apoſtolorum in Gregorii ordinatione in ſedem Alexandrinam violatos aſſeruit.*

V. *Canones Apoſtolici à concilio* Conſtantinopoli *A. D.* 394. *habito, verbis conceptis laudati ſunt.*

VI. *Iidem in Actis concilii* Epheſini *Apoſtolici etiam diſertè vocantur.*

VII. *Egregium* Theodoſii *Imp. hiſce canonibus, Apoſtolicis ab eo dictis, redditum teſtimonium.*

I. HUcuſque ea attulimus veterum teſtimonia, quibus Canones Apoſtolici ſub Eccleſiaſticorum vel antiquorum canonum titulo citati ſunt. Quæ quidem noſtram de horum canonum antiquitate opinionem uſque adeo confirmant, ut aliis ei probandæ non opus ſit argumentis. Cùm enim non ſolum SS. Patres Athanaſius & Baſilius M. ſed & ipſa concilia Oecumenica quarto quintoque ſeculo celebrata, Nicænum dico, Epheſinum, & Chalcedonenſe, unà cum provincialibus Antiocheno, Gangrenſi, Conſtantinopolitano & Carthaginienſi, Canones Eccleſiaſticos toties commemorarint, qui omnes alibi fruſtra quæſiti inter Apoſtolicos ſolos inveniuntur, canones Apoſtolorum vulgo dictos iſtis ſeculis & paſſim cognitos, & in uſum publicum receptos fuiſſe, pro certiſſimo habeamus neceſſe eſt. Præſertim cum ſynodi patreſque ſupradicti non unum alterumve canonem, ſed plurimos ex iis vel citarint diſertè, vel clariſſime indigitarint. Quod nos quidem latet, quo demum pacto fieri potuit, niſi tota hæc canonum collectio iis probe nota fuiſſet. Neque enim credibile eſt, ut tot canones Eccleſiaſtici, quot à S. Patribus Synodiſque citati ſunt, cum Apoſtolicis hodie vulgatis per omnia ita convenirent, niſi iidem prorſus atque illi eſſent, quos etiam eccleſiaſticos æque ac Apoſtolicos

licos olim dictos fuiſſe, & nos ante probavimus, & ipſi eorum tituli fidem faciunt. In nonnullis enim Codicibus tam impreſſis quam MSS. Κανόνες ἐκκλησιαστικοὶ τῶν ἁγίων Ἀποστόλων, in aliis ſimpliciter Κανόνες ἐκκλησιαστικοὶ inſcripti ſunt.

II. Sed quandoquidem ab aliquot retro ſeculis uſu venit, ut hi primitivæ Eccleſiæ canones, non Eccleſiaſtici, ſed tantum *Apoſtolici* ſive *S. Apoſtolorum* canones vulgo nuncupati eſſent; nonnulli forſitan majorem fidem iſtiuſmodi habebunt teſtimoniis, quibus hi canones ſub Apoſtolorum titulo laudati ſunt. Quapropter licet quæ hactenus adduximus, ſententiam noſtram, nobis ſaltem, clare ſatis demonſtrare videantur; eorum tamen, qui iſtiuſmodi poſtulant argumenta, curioſitati ſatisfacere non pigebit. Eccleſiaſtici enim, de quibus agimus, Canones ob venerandam eorum antiquitatem, etiam quarto, quintoque à Chriſti nativitate ſeculo, Apoſtolorum nomine inſigniri meruerunt. Ac proinde Patres doctique viri, qui iſtis claruerunt ſeculis, eos non modo ſub *Eccleſiaſticorum*, verumetiam ſub *Apoſtolicorum* titulo conceptis verbis frequenter laudarunt. Quod ſi probatum dederimus, nihil ulterius confirmandæ eorum antiquitati à nobis aſſertæ deſiderari poteſt. Primo itaque Alexander Eccleſiæ Alexandrinæ epiſcopus, in Epiſtolâ ad Alexandrum CP. ante Synodum Nicænam ſcriptâ, illum certiorem facit, Arium ejuſque fautores à ſe Alexandriæ excommunicatos, ab aliis epiſcopis in Eccleſiam receptos eſſe, contra ac canone Apoſtolico eâ de re lato ſtatutum fuerat. Fraudulentis enim Arianorum ſermonibus, fictiſque literis prius commemoratis, hæc protinus addit, ὅθεν καὶ συμβαίνει τινὰς τοῖς γράμμασιν αὐτῶν ὑπογράφοντας εἰς ἐκκλησίαν εἰσδέχεσθαι· μεγίστης, ὡς οἶμαι, διαβολῆς ἐπικειμένης τοῖς τοῦτο τολμᾶσι συλλειτουργοῖς, τῷ μήτε τὸν Ἀποστολικὸν κανόνα τοῦτο συγχωρεῖν. *Unde fit ut nonnulli literis eorum ſubſcribentes, in Eccleſiam eos recipiant, cum tamen comminiſtris noſtris, qui hoc auſi ſunt, graviſſima, ut opinor, reprehenſioni immineat infamia, eo quod nec Apoſtolicus canon id permittit.* Apud Theodoret. hiſt. Eccl. lib. I. cap. IV. Quibus verbis apertiſſime citatur canon Apoſtolicus XII. ſic habens, Εἴ τις κληρικὸς ἢ λαϊκὸς ἀφωρισμένος, ἤτοι ἄδεκτος, ἀπελθὼν ἐν ἑτέρᾳ πόλει δεχθῇ ἄνευ γραμμάτων συστατικῶν, ἀφοριζέσθω καὶ ὁ δεξάμενος καὶ ὁ δεχθείς. *Si quis Clericus vel laicus ſegregatus vel non recipiendus, diſcedens in alterâ urbe receptus fuerit abſque literis commendatitiis, ſegregetur & qui recepit, & qui receptus eſt.* Hic eſt Apoſtolicus ille canon ab Alexandro laudatus, qui non modo non permittit, ut qui ab aliis ſegregantur, ab aliis recipiantur, ſed & graviſſimam reprehenſionis infamiam iis inurit, qui tales recipere auſi ſunt; eos enim

ſegregationis pœnæ ſubjicit. Adeo ut me prorſus fugiat, quâ ratione quivis uſpiam canon diſertius citari poſſit, quam Apoſtolicus ille hoc in loco citari deprehenditur.

III. Iiſdem diebus ſede Antiochenâ vacante, Euſebius Eccleſiæ Cæſarienſis epiſcopus, communibus cleri populique Antiocheni ſuffragiis in eam electus eſt. Is autem eccleſiam ſibi prius concreditam relinquere & ad aliam tranſilire conſtanter recuſavit. Quamobrem Conſtantinus M. Imperator literas ad eum miſit, quibus prudentiam ejus ac pietatem ſummopere commendavit, inter alia hæc habens. Ἀλλ' ἡ σὴ σύνεσις ἥγε τάς τε ἐντολὰς τοῦ θεοῦ, καὶ τὸν Ἀποστολικὸν κανόνα, καὶ τὸν ἐκκλησίας φυλάττειν ἔγνωκεν, ὑπέρευγε πεποίηκε, παραιτησαμένη τὴν ἐπισκοπίαν τῆς κατὰ τὴν Αντιόχειαν ἐκκλησίας, ἐν ταύτῃ δὲ διαμεῖναι σπουδάζουσα, εἰς ἣν ἐκ πρώτης θεοῦ βουλήσει τὴν ἐπισκοπίαν ὑπεδέξατο. *Verum rectiſſime fecit prudentia tua, quæ & mandata Dei, & Apoſtolicum canonem, & Eccleſiaſticum cuſtodire ſtatuit Epiſcopatum Antiochenſis Eccleſiæ repudians, & in eo potius permanere deſiderans, quem Dei voluntate ab initio ſuſcepiſſet.* Euſeb. de vitâ Conſtant. lib. 3. cap. 61. Hic primo videre eſt *Canonem Apoſtolicum*, quem Euſebius obſervarat, diſertè commemoratum, & deinde eundem non tantum à mandatis Dei, verum & ab Eccleſiaſtico quovis canone diſtinctum. Per κανόνα τῆς ἐκκλησίας Synodi Nicæni canon XV. paucis ante annis editus indicari videtur. Apoſtolicum autem canonem ab eo aperte diſcernit, & ab alio quovis Eccleſiaſtico canone nuper conſtituto, ac propterea indigno qui Apoſtolorum nomine decoretur, quod iſtis ſolis competit canonibus, qui à viris Apoſtolicis multis ante annis divulgati fuerant. Quâ etiam de causâ licet omnes Apoſtolici canones & ſint, & ſæpe dicti fuerint Eccleſiaſtici, ut ab Eccleſiâ conſtituti; omnes tamen Eccleſiaſtici canones nec ſunt, nec dicti unquam fuerunt Apoſtolici, ſed ii ſoli qui ab Apoſtolicis temporibus in eccleſiâ obtinuerunt, quique omnes in iſtâ, quam ſub manibus habemus, canonum collectione comprehenduntur. Hinc forſitan eſt, quod Canon Apoſtolicus ab Auguſtiſſimo Imperatore hic laudatus, medio inter Dei mandata in SS. ſcripturis promulgata & leges Eccleſiaſticas poſtea ſancitas collocetur, propterea nimirum quod poſt illa & ante haſce conſtitutus fuerat. Primo enim ponit τὰς ἐντολὰς τοῦ θεοῦ, deinde τὸν Ἀποστολικὸν κανόνα, & poſtremo τῆς ἐκκλησίας, viz. κανόνα. Canon autem Apoſtolicus Imperiali autoritate hic munitus, in noſtrâ canonum Apoſtolicorum Sylloge eſt decimus quartus, ſtatuens, Ἐπίσκοπον μὴ ἐξεῖναι καταλείψαντα τὴν ἑαυτοῦ παροικίαν ἑτέρᾳ ἐπιπηδᾶν, κἂν ὑπὸ πλειό-

νων

ται ἀναγκάζηται, *Epiſcopo non licere, ſuâ relictâ parochiâ, ad aliam tranſilire, etiamſi a pluribus cogatur.* Et hic quidem unicus eſt canon de hâc re editus, qui *Apoſtolicus* unquam appellatus fuit: ac proinde cùm Conſtantinus M. Euſebium commendet, quod *Apoſtolico canoni* religioſe inſiſtens, à ſede Cæſarienſi, quâ primâ conſtitutus eſt, ad Antiochenam tranſilire renuit, de alio intelligi nequit quam de præſenti canone, cùm alius nuſquam detur canon cui nomen iſtud impoſitum fuit. Inter omnes autem conſtat hunc ex eorum eſſe numero, qui *Apoſtolici* & *Apoſtolorum Canones* multis retro ſeculis nuncupati fuerunt.

IV. Porro Conſtantio Conſtantini M. filio orientale ſceptrum tenente, S. Athanaſius ab Arianâ factione in concilio congregatâ depoſitus eſt, & Gregorius quidam ejus loco in ſedem Alexandrinam præter canones ordinatus. Sed Julius Papa Romanus, re cognitâ, in ſynodo ſub ſe habitâ, S. Athanaſium injuſtè depoſitum eſſe judicavit, eumque propterea Romæ in communionem recepit, & Orientales Epiſcopos, qui eum depoſuerant, ad Synodum Romæ celebrandam vocavit. Quod iſti ægrè ferentes, literas multis querelis plenas ex urbe Antiochiâ, ubi conveniebant, ad Julium miſerunt. Hic autem aliam in cauſâ Athanaſii epiſtolam ad eos reſcripſit, quæ inter Epiſtolas ejus in conciliorum tomis, alibique latinè, & in ſecundâ S. Athanaſii Apologiâ græcè, etiamnum extat. In hâc epiſtolâ Julius canonum Apoſtolicorum expreſſè meminit, dicens, *In rebus enim Eccleſiaſticis non ſpecimen eloquentiæ, ſed Canones Apoſtolici requiruntur.* Quâ autem occaſione illorum hic meminerit, ex iis quæ ſequuntur, clarius eluceſcet. Cùm injurias enim S. Athanaſio oblatas enarraverat, omniaque refellerat quæ contra eum objecta erant, hæc tandem habet, ut in latinâ ejuſdem epiſtolæ editione leguntur. *Si enim poſt Synodum in culpâ fuiſſet deprehenſus Athanaſius, non tamen oportuit creationem novi Epiſcopi ita illegaliter & præter canonem Eccleſiaſticum fieri, ſed in ipſâ eccleſiâ, & ex ipſo Sacerdotali ordine, & ex ipſo clero ejus provinciæ epiſcopos conſtitui, & nequaquam ex illis qui nunc Apoſtolorum canones violant.* In ſecundâ fateor S. Athanaſii Apologiâ, ubi tota Epiſtola recitatur, hæc verba græce paulo aliter leguntur, in hunc modum, Εἰ γὰρ καὶ μετὰ τὴν σύνοδον ὑπεύθυνος ἦν εὑρεθεὶς ὁ Ἀθανάσιος, οὐκ ἔδει τὴν κατάστασιν οὕτως παρανόμως, καὶ παρὰ τὸν ἐκκλησιαστικὸν κανόνα γενέσθαι, ἀλλ' ὑπ' αὐτῆς τῆς ἐκκλησίας, ἀπ' αὐτοῦ τοῦ ἱερατείου, ἀπ' αὐτοῦ τοῦ κλήρου τοὺς ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ ἐπισκόπους καταστῆσαι, καὶ μὴ νῦν τοὺς ἀπὸ τῶν Ἀποστόλων κανόνας παραλύεσθαι. Illic oportere ait, ut epiſcopi nequaquam ex iis conſtituantur qui *canones Apoſtolorum* violant: hic, ut

ut in epiſcopi creatione *Canones Apoſtolorum* non violentur. Sed quod ad rem noſtram ſpectat, eodem redit: utrobique enim *Canones Apoſtolorum* memorantur, utrobique Gregorium, qui in S. Athanaſii locum ſuffectus eſt, eos violâſſe, ejuſque ordinationem contra eos factam fuiſſe aſſeritur. Quo quidem nihil verius eſſe potuit. Multi enim è canonibus Apoſtolorum à Gregorio in ipſius ordinatione violati ſunt. Primo enim is principum ſecularium ope nomen & dignitatem Epiſcopalem adeptus eſt. Unde S. Athanaſius eum vocat Γρηγόριον τὸν ἀπὸ βασιλέως ἀποςαλέντα, *Gregorium per Imperatorem miſſum*, viz. Alexandriam. Athan. ep. ad ſolit. vit. agentes. Et paulo poſt de eodem verba faciens, eum affirmat neque ſecundum *Eccleſiaſticum canonem* creatum fuiſſe, neque pro *Apoſtolicâ traditione* nomen epiſcopi obtinuiſſe, ſed ex palatio cum militari manu, & magnificâ pompâ miſſum eſſe, non aliter quam ſi ſecularis magiſtratus ei demandatus fuiſſet. Hâc autem ratione Canones Apoſtolorum peſſimè violati ſunt; ut quorum triceſimus aperte vetat, ne quis epiſcopus κοσμικοῖς ἄρχουσι χρησάμενος δι' αὐτῶν ἐγκρατὴς ἐκκλησίας γίνεται, *ſecularibus principibus uſus per eos Eccleſiam adipiſcatur*: eumque qui tali modo factus eſt Epiſcopus, unà cum omnibus, qui illi communicant, depoſitioni pariter atque excommunicationi ſubjicit. Præterea Canones Apoſtolorum præcipiunt, ne epiſcopi ſuos extra fines, aut in locis ſibi non ſubjectis ordinationes faciant; ideoque ut omnes ordinationes eo loci, vel iſtos intra fines celebrentur, ubi ordinati munera ſua obire debent. Can. Apoſt. XXXV. At Gregorius non in urbe Alexandriâ, cujus Epiſcopatum invaſit, ſed in urbe Antiochenâ triginta ſex manſionibus ab Alexandriâ diſtante, & in alienâ conſtitutâ diœceſi creatus eſt, Ut ipſe Julius in epiſtolâ ſuperius laudatâ ſæpe affirmat: Ac proinde ordinatio ejus contra canones Apoſtolorum facta eſt. Quinetiam Julius verbis ſupra allatis Gregorium non è Sacerdotali ordine electum eſſe, ſed priuſquam in quovis Sacerdotii gradu ſpecimen ſui ediderat, ad epiſcopalem dignitatem evectum queritur. Quod diſerte prohibetur canone Apoſt. LXXX. hâc etiam adhibitâ ratione, quod ἄδικόν ἐστι τὸν μηδέπω πεῖραν ἐνδειξάμενον, ἑτέρων εἶναι διδάσκαλον, *iniquum eſt ut qui ſui nondum experimentum oſtenderit, aliorum magiſter fiat*. Unde patet Julium non ſine cauſâ conqueſtum eſſe, canones Apoſtolorum in Gregorii ordinatione violatos fuiſſe. Ubi etiam obſervetur velim, hos canones non modo *Apoſtolicos*, ſed & *Apoſtolorum* hic à Julio vocatos eſſe, quo quidem nomine nulli unquam canones dignati ſunt, præter eos ſolos de quibus modo agimus.

V. Adhæc quarto æræ Chriſtianæ ſeculo nondum elapſo, anno ſcilicet Dom. CCCXCIV. concilium provinciale Conſtantinopoli celebratum

tum eſt, ad dijudicandam cauſam inter Bagadium & Agapium controverſam, utroque Epiſcopatum Boſtræ ſibi vindicante. Nimirum Bagadius Boſtrenſis epiſcopus, ob neſcio quas cauſas, à duobus epiſcopis paulo ante depoſitus fuerat, & Agapius in Epiſcopatum ejus ordinatus. Bagadius itaque cauſam ſuam ad concilium Conſtantinopolitanum refert: ubi quæſitum eſt ab Arabiano Ancyræ epiſcopo, utrum epiſcopus de criminibus quibuſvis accuſatus à duobus epiſcopis jure deponatur; Hac quæſtione paucis agitatâ, à Nectario epiſcopo CP. & à ſynodo tunc temporis ſub eo habitâ decretum eſt, μὴ χρῆναι πρὸς τὸ ἑξῆς μηδὲ παρὰ τειῶν, μήτοιγε παρὰ δύο τὸν ὑπεύθυνον δοκιμαζόμενον καθαιρεῖσθαι, ἀλλὰ γὰρ πλείονος συνόδου ψήφῳ, καὶ τῶν τῆς ἐπαρχίας, καθὼς καὶ οἱ Ἀποστολικοὶ κανόνες διωρίσαντο. *Non licere in poſterum nec a tribus, nedum à duobus, eum qui reus examinatur deponi, ſed majoris ſynodi & provinciæ epiſcoporum ſententiâ, ſicut etiam Apoſtolici canones definierunt.* Extant Acta hujus concilii in Pandectis canonum, ad calcem tomi primi, ſtatim poſt canones concilii Carthaginienſis. Ubi etiam obſervandum eſt, Arabianum Ancyræ Epiſcopum primo propoſuiſſe, ut à ſynodo ediceretur, non licere epiſcopum à duobus vel ordinari vel deponi ἀκολούθως τῇ ἐν Νικαίᾳ συνόδῳ, *juxta Nicænam ſynodum.* Sed Theophilus Alexandrinus in eâ potius fuit ſententiâ, ut epiſcopus non niſi ab omnibus comprovincialibus deponatur. Huic itaque opinioni ſuffragatus eſt Nectarius CP. eamque canonum Apoſtolicorum autoritate confirmat, καθὼς, inquit, καὶ οἱ Ἀποστολικοὶ κανόνες διωρίσαντο. Ac tota deinde ſynodus in hanc ſententiam conſenſit, ut epiſcopus ſcilicet non niſi à provincialium epiſcoporum ſynodo deponatur, juxta quod *in Canonibus Apoſtolicis* definitum eſt. Unde conſequitur & Nectario & toti ſynodo ſub eo habitæ cognitam fuiſſe iſtam canonum Apoſtolicorum ſyllogen, quâ hoc definitum fuit. Neque enim unum aliquem citant canonem, ſed *Canones Apoſtolicos* in genere, ac proinde totam illam collectionem, quâ canones ita vocati continentur. Quod autem in Canonibus Apoſtolicis hic definitum dicitur, in ſeptuageſimo quarto noſtrorum canonum habetur, quo cautum eſt, ut epiſcopus à viris fide dignis ob aliquid accuſatus, ab epiſcopis, provinciæ ſcilicet, vocetur: & ſi vocatus non paruerit, ſecundo atque etiam tertio citetur, miſſis ad eum duobus epiſcopis: Si autem & poſt tertiam citationem ſe contumax non ſtiterit, ſynodus ea quæ ipſi videntur, adverſus eum pronunciet, ἐὰν δὲ καὶ οὕτως, inquit canon, καταφρονήσας μὴ ἀπαντήσῃ, ἡ σύνοδος ἀποφαινέσθω κατ᾽ αὐτοῦ τὰ δοκοῦντα. Cum hoc itaque Apoſtolico canone aperte adeo decernatur, epiſcopum à viris fide dignis accuſatum à Synodo epiſco-

epiſcoporum judicandum eſſe, & ſi ipſis ita viſum fuerit, deponendum, nihil dubii eſſe poteſt, quin Synodus Conſtantinopolitana ad ipſummet reſpexerit, ubi idem decernens, addit, καθὼς καὶ οἱ Ἀποστολικοὶ κανόνες διωρίσαντο. Unde etiam ſatis ſuperque conſtat, totam hanc canonum Apoſtolicorum ſyllogen, cujus ad calcem penè hic citatus collocatur, omnibus tunc temporis in ſynodo iſtâ congregatis epiſcopis innotuiſſe. Quanti etiam quamque celebres doctique viri ſynodum iſtam celebrabant? Nectarius CP. Theophilus Alexandrinus, Flavianus Antiochenus, Palladius Cæſareæ Cappadociæ, Gelaſius Cæſareæ Paleſtinæ, Gregorius Nyſſenus, Amphilochius Iconii, aliique complures celeberrimique epiſcopi ex toto oriente in ſynodo illâ conveniebant. Ut nullum unquam provinciale concilium à pluribus illuſtrioribuſve viris celebratum videatur. His tamen omnibus *Canones Apoſtolici* non modo noti, verumetiam tantæ apud eos autoritatis fuerunt, ut decretum à ſe editum ex ipſis confirmarint, ipſique epiſcopum non niſi à ſynodo Epiſcoporum deponendum eſſe ſtatuerint, eo quod in *Canonibus Apoſtolicis* ita definitum eſſet. Quod quidem ſummam horum canonum antiquitatem pariter atque autoritatem egregie evincit.

VI. Verum ne hic Codex canonum eccleſiæ primitivæ Oecumenici concilii autoritate deſtitutus videatur, concilium Epheſinum, ex Oecumenicis tertium An. Dom. CCCCXXXI. habitum, ſuum illi teſtimonium tribuit. Septimâ enim Actione iſtius concilii Rheginus epiſcopus Eccleſiæ apud Conſtantiam Cypri, reliquorum iſtius inſulæ Epiſcoporum nomine, libellum patribus in ſynodo congregatis obtulit, quo conqueſtus eſt, epiſcopum clerumque Antiochenum voluiſſe *vi cogere & ſubjicere ſibi epiſcopos inſulæ Cypri, contra Apoſtolicos canones, & definitiones ſanctiſſimæ Nicænæ ſynodi.* Enimvero Inſula Cyprus Eccleſiæ Antiochenæ nunquam antea ſubjecta fuerat: Iſtis autem diebus Epiſcopus Antiochenus epiſcopos in iſtâ inſulâ ordinandi poteſtatem ſibi vendicabat. Hoc Rheginus, reliquique cum eo Cypri epiſcopi & contra *Canones Apoſtolicos*, & contra definitiones ſynodi Nicænæ eſſe affirmabant: Canonibus Apoſtolicis, ut videre eſt, ante Nicænos memoratis: Quod quidem haud feciſſent, niſi eos ante hoſce conditos editoſque fuiſſe perſuaſum habuiſſent. Hanc porro rationem ab iis adhibitam ſynodus non tantum approbavit, ſed & ſingulare eorum gratiâ decretum edidit, ſic incipiens, Πρᾶγμα παρὰ τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς θεσμοὺς καὶ κανόνας τῶν ἁγίων πατέρων καινοτομούμενον, καὶ τῆς πάντων ἐλευθερίας ἁπτόμενον, προσήγγειλεν ὁ θεοφιλέστατος συνεπίσκοπος Ῥηγῖνος, *Rem præter Eccleſiaſticas conſtitutiones, & ſanctorum patrum Canones innovatam, & omnium libertatem attingentem, annunciavit piiſſimus Coepiſcopus Rheginus.* Sic in vulgato decreti hujus textu legitur.

tur. Sed ad marginem græcæ cujuſque editionis pro πατέρων notatur ἀποστόλων legendum eſſe, ad hunc modum, Πρᾶγμα παρὰ τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς θεσμοὺς καὶ κανόνας τῶν ἁγίων Ἀποστόλων. Sic etiam in omnibus tam Zonaræ quam Balſamonis codicibus ſeorſim editis legitur, necnon in editione canonum ab Eliâ Ehingero Auguſtano elaboratâ. Ut nihil dubii eſſe poſſit, quin nonnulli Codices MSS. ita legerint. Sed communior, &, ut mihi quidem videtur, verior hujus loci lectio eſt illa quam primam exhibuimus. Hoc enim decretum libello ab Epiſcopis Cypriis oblato, qui ei condendo materiam dedit, haud dubie accommodatum eſt. Quod autem in decreto contra Eccleſiaſticas conſtitutiones & canones S. patrum innovatum dicitur, idem in libello contra Apoſtolicos canones, & definitiones Synodi Nicænæ fuiſſe aſſeritur. Quocirca ut per canones S. Patrum definitiones ſynodi Nicænæ, ſic per Eccleſiaſticas conſtitutiones canones Apoſtolici intelligendi ſunt, quos Eccleſiaſticos æque ac Apoſtolicos vocitari ante obſervatum eſt. Quorſum etiam Eccleſiaſticæ conſtitutiones canonibus S. Patrum, Nicænorum videlicet, hic præponerentur, niſi iidem eſſent atque Apoſtolici canones longe ante Nicænos conſtituti? Quod autem hoc in loco contra Apoſtolicos canones, ſive Eccleſiaſticas conſtitutiones innovari dicitur, idem diſerte prohibetur canone Apoſt. XXXV. cavente, ne epiſcopus extra ſuos fines, in urbibus aut pagis ſibi non ſubjectis ordinationes celebrare audeat. Verba canonis ſunt, Ἐπίσκοπον μὴ τολμᾶν ἔξω τῶν αὐτοῦ ὅρων χειροτονίας ποιεῖσθαι εἰς τὰς μὴ ὑποκειμένας αὐτῷ πόλεις ἢ χώρας. Eos inſuper qui hanc conſtitutionem violant, deponi jubet. Quapropter cùm epiſcopus Antiochenus epiſcopales in inſulâ Cypro ſibi non ſubjectâ ordinationes facere attentârat, Hoc epiſcopi illius inſulæ Synodùſque univerſalis contra canonem iſtum Apoſtolicum eſſe rectiſſime judicarùnt, atque ita luculentiſſimum hiſce canonibus teſtimonium perhibuerunt.

VII. His denique è patribus conciliiſque petitis pro canonum Apoſtolicorum vetuſtate teſtimoniis, aliud adhuc advocare licet, omni, reliquorum ad inſtar, exceptione majus: Theodoſii nimirum Imperatoris, qui quinto nondum adulto ſeculo legem adverſus Neſtorianos aliosque tulit, cujus meminit partimque recitat Euagrius Hiſt. Eccleſ. lib. 1. cap. 12. totaque à Juſtiniano in primum Codicis titulum referri meruit. In hac autem lege Imperator hæc habet, *ut autem omnes reipſâ diſcant, quantum noſtra divinitas averſetur eos qui impiam Neſtorii fidem adſectant, præcipimus Irenæum dudum ob hancce cauſam noſtræ indignationi ſuppoſitum, & poſtea, neſcimus quomodo, poſt binas nuptias ut didicimus, præter Apoſtolicos canones, Tyriorum civitatis Epiſcopum factum, ex Tyriorum quidem Eccleſiâ dejici.* L. 3. C. de

ſummâ Trinitate. In hiſce verbis nemo non videt, primo *Canones Apoſtolicos* verbis conceptis memoratos, deinde Imperatorem aſſeverantem Irenæum præter iſtos canones creatum fuiſſe epiſcopum, eò quod binis nuptiis implicitus fuiſſet, & poſtremo eum propterea epiſcopatu dejectum eſſe : ac proinde hos canones tantæ iſtis diebus autoritatis fuiſſe, ut Eccleſia per eos adminiſtrata, & ipſi epiſcopi iis ſubjecti eſſent. Imperator autem ſingularem aliquem canonem, nequaquam citat, ſed generatim *Canones Apoſtolicos* ſive totam iſtorum qui *Apoſtolici* antiquitùs dicti fuerunt, canonum collectionem. Quorum ſcilicet decimus ſeptimus hæc totidem verbis habet, ὁ δυσὶ γάμοις συμπλακεὶς μετὰ τὸ βάπτισμα, ἢ παλλακὴν κτησάμενος, οὐ δύναται εἶναι ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ὅλως τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ. *Qui duobus poſt baptiſmum conjugiis implicitus fuerit, vel habuerit concubinam, non poteſt eſſe epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, vel omnino ex numero Sacerdotali.* Ad hunc itaque canonem Imperator in iſtâ lege procul omni dubio reſpexit, cum Irenæum poſt binas nuptias præter Canones Apoſtolicos factum fuiſſe epiſcopum affirmavit, quemadmodum & Dionyſius Gothofredus J. C. in notis ad hanc legem Theodoſianam in Codicem relatam rectè obſervavit. Neque enim alii præter eos, quos hodie ſub eo nomine vulgatos habemus, *Apoſtolici* unquam dicti fuerunt Canones. Et idcirco quicunque hoſce canones Imperatori Theodoſio & Eccleſiæ tunc temporis in oriente militanti incognitos eſſe opinatus fuerit, is legem iſtam è Codice prius expungat neceſſe eſt, quam nos, vel alium quemlibet ad ſuam opinionem trahat. Quamdiu enim hæc lex à Theodoſio lata, in Codice Juſtiniani lecta fuerit, nemini dubium erit, quin *Canones Apoſtolici* diſerte adeo in eâ laudati, iſtis diebus, hoc eſt ante quintum adultum ſeculum, in Eccleſiâ, orientali ſaltem, obtinuerint.

CAPUT

CAPUT VII.

Synopſis.

I. *Teſtimonia hactenus allata canonum Apoſt. antiquitatem ſatis probant: utpote quibus nihil deſideratur. Etiamſi unus & alter ſufficerent, nos multos teſtes adduximus.*

II. *Teſtes à nobis adducti non obſcuri fuerunt viri, ſed celeberrimi ex Imperatoribus, patribus & conciliis.*

III. *Omnia ex iis recitata de antiquis Canonibus teſtimonia, in Apoſtolicis unà perſpicue inveniuntur.*

IV. *Nonnulli ex antiquis à nobis adductis teſtibus canones hoſce* Apoſtolicos & Apoſtolorum *diſertè vocarunt. Quod ſummam eorum antiquitatem evincit.*

I QUI ea quæ hactenus de canonum Apoſtolicorum antiquitate adduximus veterum teſtimonia, eâ, quâ par eſt, animi libertate expendit, nullus dubitare poteſt, quin Canones iſti longe ante An. Dom. CCCCLI. & ſanciti fuerint & publicati, contra ac Cl. V. Joannes Dallæus opinatus eſt. Hoc enim è teſtimoniis à nobis allatis luculentè conſtat, utpote quibus nihil deſideratur, quod in quibuſvis exigi poteſt teſtimoniis, ut fidem pleniſſimam faciant: ſive numerum ſive autoritatem teſtium, ſive ipſorum denique teſtimoniorum perſpicuitatem ſpectemus. Primo enim etiamſi juxta leges tam ſacras quam civiles, rei cuilibet comprobandæ duo teſtes ſufficiant, nos tamen quam plurimos adhibuimus, qui quarto quintoque nondum adultò ſeculo ſuum dictis canonibus teſtimonium tribuerunt, eos nunc ſub *Eccleſiaſticorum*, alias ſub *Apoſtolicorum* nomine laudantes, & in definiendâ veteris eccleſiæ diſciplinâ conſtanter uſitantes, & aliarum ſubinde ſynodorum autoritate confirmantes.. Uſque adeo ut nullus unquam tam brevis curtuſque libellus tot teſtes habuerit, ac laudatores; parum enim abeſt, quin dimidia pars canonum in iſtum collectorum, ab antiquis iſtis patribus, quorum verba à nobis recitata ſunt, vel expreſſè laudata fuerit, vel dilucidè indicata. Quod ſi omnia quæ iſtis ſcripta ſunt ſeculis commentaria hodie extarent, noſque, qui veremur ne ex iis etiam quæ extant, multa omiſerimus, ex iis omnibus omnia colligere poſſemus teſtimonia, quæ canonum horum antiquitati lucem ferrent, numero eorum à nobis hic congeſto, longe major haud dubie acceſſio fieret. Sed ipſe ſane non video quid pluribus opus ſit:

I 2 cum

cum noſtræ hâc in controverſiâ opinionis veritas abunde ſatis compareat, ſi vel unum è plurimis iſtis quæ citavimus teſtimonium admittatur. Si Canones enim Apoſtolici ante quintum adultum ſeculum vel ſemel citati ſint, hoc eos ante tempus ſanctioni eorum à Dallæo aſſignatum, ſancitos fuiſſe perſpicuè ſatis demonſtraret. E præmiſſis autem patet eos non ſemel, ſed ſæpiſſime, nec à ſingularibus modo patribus, verumetiam à numeroſis eorum cohortibus in unum congregatis ante iſtud tempus laudatos fuiſſe, adeo ut infinitus penè ſit eorum numerus, qui vel ſeorſim, vel in conciliis canonibus hiſce atteſtati ſunt.

II. Verum quantus quantus ſit eorum numerus, quos teſtes hâc in re adduximus, ſingulorum autoritas haud minor cenſenda eſt. Neque enim tenebrionis cujuſlibet, vel nullius aut obſcuræ famæ ſcriptoris teſtimonia collegimus, ſed eorum duntaxat, qui ſummi nominis ac dignitatis in eccleſiâ ſemper fuerunt. Quinam enim celebriores unquam præſederunt patres, quam Alexander Alexandrinus, Athanaſius, Baſilius M. & Julius P.R? Quinam Auguſtiores unquam rerum potiti ſunt Imperatores, quam Conſtantinus Magnus & Theodoſius Secundus? Quænam concilia Oecumenica illuſtrioribus unquam celebrata fuerunt laudibus, quam Nicænum primum, Epheſinum & Chalcedonenſe? Quod ſi de provincialibus loquamur conciliis, Gangrenſe, Antiochenum, Carthaginienſe & Conſtantipolitanum, à nobis laudata, cum quibuſvis aliis alibi celebratis de autoritate contendent. Verum illi tam patres quam Imperatores, unà cum conciliis Oecumenicis pariter atque provincialibus à nobis memoratis, ubi occaſio id poſtulabat, omnes de hiſce canonibus meminerunt. Atqui nec eos omnes, nec quempiam eorum latere potuit, quinam in Eccleſiâ canones, ſuis cujuſque diebus, obtinerent. Per eos enim Eccleſias ſibi commiſſas adminiſtrarunt. Proinde quos illi Eccleſiaſticos citarunt canones, eo ipſo nomine & extitiſſe, & ab Eccleſiâ tunc temporis receptos fuiſſe certum eſt. Adeo ut in controverſiæ cujuſvis naturam nequaquam cadat, ut per magis idoneos, aut fide digniores teſtes determinetur, quam quales à nobis in hâc diſputatione ad partes noſtras vocati ſunt.

III. Quod denique ad ipſa ſpectat teſtimonia à nobis allata, ea etiam adeo perſpicua ſunt, & cauſæ, quam agimus, probandæ appoſita, ut ampliora neutiquam deſiderari poſſint. Hoc in ſingulis recitandis ſatis manifeſtum fecimus, ut non opus ſit iis ſigillatim hic immoremur. De omnibus autem obſervare licet, Canones quam plurimos in iis commemoratos eſſe, qui ad nullum omnino præterquam ad Apoſtolicorum Codicem referri poſſunt, ac propterea ex eo iſtos omnes laudatos fuiſſe pro certiſſimo habeamus. Omnem enim excedit fidem, ut tot canones eccleſiaſtici ab antiquis iſtis patribus, Imperatoribus,

ſyno-

ſynodiſque citati in uno illo Codice etiamnum invenirentur, niſi ex eodem prius citati fuiſſent. Et præterea, Teſtimonia à nobis allata canones tantum in genere vel canones Eccleſiaſticos aut Apoſtolicos ubique laudant, nullâ ſynodi cujuſvis aut patris, à quo conditi fuerunt, inductâ mentione, quæ quidem haud omiſſa fuiſſet, ſi conſtitiſſet unde canones iſti originem traxerint. Ut ſi à concilio quovis poſt hominum memoriam celebrato ſanciti fuiſſent, iſtud haud dubie concilium alicubi ſaltem nominatum eſſet, quemadmodum in Nicænis, aliarumque ſynodorum canonibus citandis, ut cuique notum eſt, uſu venit. Hic autem contrarium prorſus videre eſt. Nullo enim indicato concilio, canones tantum antiqui, Eccleſiaſtici, aut Apoſtolici laudantur: non ſecus ac in Codice canonum Eccleſiæ univerſæ à ſynodo Chalcedonenſi recitando. Cum omnes enim diverſarum ſynodorum canones in unum iſtum Codicem compacti fuiſſent, tum demum non particularis cujuſvis ſynodi, ſed Codicis duntaxat illius canones à dicto univerſali concilio generatim citatos legimus. Ad eundem modum cum hic codex canonum Eccleſiæ primitivæ ex multis anteactarum ſynodorum canonibus compoſitus, editusque eſſet, prætermiſſis, vel potius oblivione obrutis, antiquis iſtis, à quibus conſtituti fuerant, conciliis, qui poſtea vixerunt, canones hoſce ſub generalibus tantum nominibus citare conſueti ſunt. Hoc autem ex eo tantum uſu venire potuit, quod hi canones multis ante annis non modo conditi, ſed & in unum corpus collecti fuerant: quod quidem totum intelligendum eſt, ubi non ſingularis aliquis canon, ſed numero plurali *Canones* commemorantur. Iſta enim loquendi formula corpus aliquod vel collectionem canonum ubique ſignificat: ac iſtis propterea veterum teſtimoniis ad hanc à nobis dirimendam controverſiam adductis, quibus plurimi citantur canones, qui omnes in Apoſtolicorum Codice, eoque ſolo unà inveniuntur, totus hic Codex canonum Eccleſiæ primitivæ clariſſimè demonſtratur.

IV. Quin hiſce etiam addi poteſt, quod in teſtimoniis ſuperius recitatis Canones iſti, quorum partes hic ſuſtinemus, non modo Eccleſiaſtici, quo nomine eos antiquitus nuncupatos fuiſſe ante oſtendimus, verum & diſertis verbis *Apoſtolici* & *Apoſtolorum* canones vocitentur. Iſto autem nomine nullos unquam canones notatos legimus, præter eos qui hodie iſtud præ ſe ferunt. Quos propterea ſolos intelligamus neceſſe eſt, ubicunque Canones *Apoſtolorum* laudati ſunt. Quoſdam autem canones ab antiquis, qui ante An. Dom. CCCCLI. claruerunt, patribus ſub iſto nomine laudatos eſſe, eoſdemque cum noſtris ad amuſſim convenire, fuſius à nobis ante demonſtratum eſt. Unde validiſſimum exurgit argumentum, hos canones non modo iſtis cognitos fuiſſe patribus, ſed & multis ante annis conſtitutos, eo quod iſtis etiam diebus vetuſti

adeo

adeo habiti eſſent, ut S. Apoſtolorum nomen ſibi inſcriptum habere mererentur. Nihil enim magis incredibile eſſe poteſt, quam ut Canones Eccleſiaſtici eodem ſeculo & conſtituti eſſent, & à tot eruditis viris S. Apoſtolorum titulo ſimul inſigniti. Quin potius ex eo quod hi canones quarto quintoque poſt Chriſti nativitatem ſeculo Apoſtolici & Apoſtolorum dicti fuerunt, ſummâ quiſpiam ratione inferat, eos aliquot retro ſeculis conditos fuiſſe, & Apoſtolorum nomine propterea donatos, quod à viris Apoſtolicis traditi crederentur. Quæ cum ita ſint, jure meritiſſimo concludamus, nullum Eccleſiæ primitivæ monumentum gravioribus inniti teſtimoniis quam hunc canonum Apoſtolicorum codicem; adeo ut qui iſtos quarti quintive ſeculi patribus cognitos fuiſſe neget, idem eodem halitu, nec minori affirmet ratione, nihil ab iſtorum ſeculorum patribus, ſynodiſve laudatum, ipſis cognitum fuiſſe, à quibus diſerte laudatum eſt.

CAP.

CAPUT VIII.

Synopſis.

I. *Canones Apoſt. ſexto ineunte ſeculo vulgo noti erant.*

II. Dionyſius exiguus *initio iſtius ſeculi L. priores Apoſt. canones latine reddidit, ſuumque de iis teſtimonium dedit.*

III. *Iiſdem diebus* Joh. Antiochenus *hos canones & ſuæ canonum collectioni & nomocanoni inſeruit, eoſque reliquis antepoſuit. Hinc probatur hos canones codici canonum Eccleſiæ orientalis tunc temporis præfixos fuiſſe, & quidem ſub Apoſtolorum nomine.*

IV. *Codex canonum Eccleſiæ orientalis canonibus Apoſt. longe ante* Joh. Antiochenum *præmunitus fuit: quod ex ipſius verbis oſtenditur.*

V. *Eodem tempore ipſe* Juſtinianus *Imperator horum ut ab Apoſtolis traditorum canonum meminit, eoſque confirmavit.*

VI. *Ex ejuſdem Imperatoris verbis hos canones longe ante iſtud ſeculum conditos fuiſſe evincitur.*

VII. *Ab iſtis demum temporibus canones Apoſt. unum cum ſynodalibus Codicem conſtituerunt, à Synodo* Trullanâ *confirmatum, & ab eo uſque in oriente obtinentem.*

VIII. *Secunda* Nicæna *Synodus, & Eccleſia orientalis ſynodum iſtam* Trullanam, *à quâ confirmati ſunt hi canones, univerſalem eſſe judicavit.*

I. UT probatum omnibus daremus, canones Apoſtolorum ſancitos, divulgatos, vulgoque cognitos fuiſſe ante quintum adultum ſeculum, eorum tantum teſtimonia hucuſque adhibuimus, qui ante An. Dom. CCCCLI. in Eccleſiâ claruerunt: E quibus, ut oſtendimus, dictos canones iſtis etiam diebus ſæpe laudatos fuiſſe, ac proinde plurimis in notitiam veniſſe, ſatis ſuperque conſtat. Quod ſi demonſtremus inſuper hoſce canones proximo poſt ſeculo, ſexto videlicet ineunte, eodem ordine ac numero quo hodie circumferuntur, editos fuiſſe & divulgatos, nihil prorſus ad pleniſſimam opinioni noſtræ fidem faciendam ſupereſſe poteſt. Si ipſe enim canonum Apoſtolicorum codex, quem hic tuemur, mox poſt quinti ſeculi exitum doctorum manibus paſſim tritus fuerit, quis in poſterum dubitabit, quin quinto currente ſeculo extiterit, canoneſque à Patribus laudati, ex eodem, quo ſolo inveniuntur, Codice citati fuerint?

II. Ut

II. Ut hoc autem probatum eamus, in mentem primo revocemus oportet, Dionyſium cognomento Exiguum, re vera autem magnum, doctiſſimumque virum, æræ Chriſtianæ conditorem, Codicem Canonum Eccleſiæ univerſæ de Græco in Latinum ſermonem eleganter tranſtuliſſe anno æræ à ſe excogitatæ plus minus quingenteſimo. Hic autem Codici iſti majorem etiam canonum Apoſt. partem, quinquaginta ſcilicet, latine itidem à ſe redditos, ac eodem ordine quo hodie digeſtos præfixit. Et in epiſtolâ ad Stephanum epiſcopum Salonitanum, omnibus à ſe tranſlatis canonibus præmiſſâ, *hæc de Apoſtolicis præfatus eſt. *In principio itaque Canones, qui dicuntur Apoſtolorum, de Græco tranſtulimus, quibus quia plurimi conſenſum non præbuere facilem, hoc ipſum veſtram noluimus ignorare ſanctitatem. Quamvis poſtea quædam conſtituta pontificum ex ipſis canonibus adſumpta eſſe videantur.* E quibus verbis multa opinioni noſtræ dilucidandæ obſervare licet. Primo enim hinc patet hos canones græcè extitiſſe, & S. Apoſtolorum nomine decoratos eſſe ante Dionyſii ætatem, ſive ante An. Dom. D. & tantæ inſuper apud ipſum Dionyſium autoritatis fuiſſe, ut eoſdem non modo in Latium unà cum Synodorum canonibus transferret, verum & aliis omnibus anteponeret. Quod quidem haud feciſſet, niſi eos ante Nicænos reliquoſque Eccleſiæ univerſæ canones conſtitutos judicâſſet. Sed *plurimi* inquit, *conſenſum iis non præbuere facilem*, hoc eſt non facile crediderunt, eos ab ipſis Apoſtolis, quorum nomen præferebant, ſancitos eſſe. Nonnulli itaque tantæ eos iſtis etiam diebus antiquitatis fuiſſe opinati ſunt, ut Apoſtolicæ inſtitutioni adſcribendos eſſe cenſerent. Quibus quidem alii conſenſum non præbuere facilem, quoniam idonea non ſuppeterent argumenta, quibus in iſtam opinionem ducerentur. Nulli autem eos nudiuſtertius editos credebant. Si qui tales enim extitiſſent, hoc etiam Dionyſius Stephanum haud dubie admonuiſſet. Is autem neminem indigitat, qui hos canones ab ipſis Apoſtolis conditos fuiſſe diſerte negabat, nedum qui eos (cum Dallæo) ante An. Dom CCCCLI. hoc eſt ante hominum tunc viventium memoriam non extitiſſe affirmare audebat. A quâ quidem opinione ipſe Dionyſius uſque adeo abhorruit, ut in eorum potius numero eſſe videatur, qui facilem iis conſenſum præbuerunt. Ipſi enim quædam Pontificum Romanorum conſtituta ex iis adſumpta fuiſſe videntur. Quod clariſſimè ſaltem evincit Dionyſium in eâ fuiſſe ſententiâ, quod Canones Apoſtolici tantæ vetuſtatis pariter atque autoritatis in Eccleſiâ fuerant, ut Romani ſuperiorum ſeculorum pontifices ſua ex ipſis decreta adſumere potuiſſent. Quod quidem fieri non potuit, ſi nondum extarent, nec licuit, ſi nullius in Eccleſiâ momenti eſſent. Quantum itaque ad L. priores è canonibus Apoſtolorum ſpectat, ipſum Dionyſium Exiguum nobis habemus ſuffragantem,

eos

eos longe ante ipſius ætatem, ideoque ante An. Dom. CCCCLI. conditos fuiſſe & collectos. Neque enim credibile eſt tantum, tamque eruditum virum in iſtis latine vertendis laborare voluiſſe, niſi eoſdem multis ante annis conſtitutos fuiſſe, & paſſim in Eccleſiâ obtinuiſſe pro certiſſimo habuiſſet. Quare autem ſolos L. priores & non item reliquos latine reddiderit, incertum eſt. Nobis ſanè mutilum eorum exemplar nactus videtur. Omnes enim LXXXV. ejus ætate græcè extitiſſe æque certum eſt ac L. ab illo latinè tranſlatos fuiſſe, ut modo oſtenſuri ſumus.

III. Juſtiniano enim, ſub quo Dionyſius Exiguus claruit, & cyclum paſchalem compoſuit, imperante, Johannes cognomento Scholaſticus ad thronum CP. Eutychio expulſo, promotus eſt: qui Antiochiâ oriundus, Antiochenus propterea dictus fuit, ut Scholaſticus, quod in foro cauſarum advocatus eſſet, cujus meminit Euagrius, hiſt. Eccl. lib. 4. cap. 38. Hic itaque in cauſis Eccleſiaſticis pariter ac civilibus agendis exercitatus, ut ſuæ aliorumque memoriæ ſubſidium pararet, omnes Canones Eccleſiaſticos, qui tunc temporis in Eccleſiâ orientali obtinebant, in quinquaginta titulos diſtribuit, cuique titulo eos aſſignans canones, qui de eâdem vel ſimili re ſanciti fuerant. Priuſquam autem opus aggreſſus eſt, numerum recenſet canonum, quos iſthoc modo diſtribuere ſuſceperat. Primo autem loco canones Apoſtolorum LXXXV. ponit, his verbis, οἱ μὲν ἅγιοι τοῦ κυρίου μαθηταὶ καὶ ἀπόστολοι ὀγδοήκοντα πέντε διὰ Κλήμεντος κανόνας ἐξέθεντο, *Sancti quidem Domini diſcipuli & Apoſtoli octoginta quinq; canones per Clementem ediderunt.* Deinde numerat ſynodi Nicænæ canones XX. Antiochenæ XXV. Laodicenſis LIX. Sardicenſis XXI. Gangrenſis XX. Ancyranæ XXV. Neocæſarienſis XIV. Conſtantinopolitanæ VI. Epheſinæ VII. Chalcedonenſis XXVII. & S. Baſilii LXVIII. Ex his itaque canonibus codex canonum Eccleſiæ orientalis iſtis temporibus procul omni dubio conſtabat. Alioquin enim fruſtrà collecti fuiſſent. Tantum autem cauſarum patronum latere non potuit, quinam canones in deſuetudinem abiiſſent, & quinam vim ſuam ac vigorem adhuc retinerent, utpote qui in iis recitandis quotidie occupatus eſſet. Ac proinde quos ille collegit canones Eccleſiaſticos in Eccleſiâ tunc dierum obtinuiſſe, extra dubium eſt. Verumenimvero in ordine canonum quos ille collegit, Apoſtolici non modo recenſentur, ſed & primum locum tenent. Quid ita, niſi quod hi ante Nicænæ reliquarumque ſynodorum canones editi crederentur? Quinetiam in ipſâ canonum collectione omnes canones Apoſtolici uſque ad ipſum LXXXV. unà cum ſynodalibus commiſcentur, indicato inſuper ordine ac numero quem ſinguli in Codice horum Eccleſiæ primitivæ canonum etiamnum obtinent. Unde firmiſſimum extruitur argumentum,

gumentum, quo opinio noſtra de hiſce canonibus omni exceptione ſuperior ſtabiliatur. Hinc enim conſtat omnes hoſce LXXXV. canones, qui S. Apoſtolorum nomen hodie ſibi inſcriptum habent, eodem pluſquam mille abhinc annis titulo inſignitos fuiſſe, & tanti præterea ſexto currente ſeculo in Eccleſiâ orientali habitos, ut ipſi Codici canonum Eccleſiæ univerſæ, non annecti ſolummodo, ſed præponi etiam mererentur: adeo ut novus iſte codex canonum iſtis diebus hoc veteri auctus fuerit & præmunitus. Hoc enim ex eo conficitur, quod Johannes cum adhuc Antiochenus & Scholaſticus dicebatur, adeoque priuſquam Patriarcha Conſtantinopolitanas à Juſtiniano renunciatus eſt, cum omnes canones, qui tunc dierum in foro Eccleſiaſtico obtinebant, ad L. titulos reducere ſuſcepiſſet, omnes hoſce S. Apoſtolorum canones in collectione ſuâ inter alios à ſynodis recentioribus ſancitos interſeruit, atque etiam in præfatione, ubi totum codicem canonum tunc obtinentem deſcribit, hoſce Apoſtolicos aliis quibuſcunque antepoſuit. Eo nimirum quod in iſtis, quibus ille uſus eſt, codicibus ita diſpoſitos invenit. Neque enim ille codicem, cujus canones diſtribuit, primus compoſuiſſe, vel quoſvis ei canones addidiſſe cenſeatur. Hoc nec ſingulari cuilibet judici, nedum Scholaſtico, ſive advocato, licuit. Proinde quos ille in L. titulos diſtribuit canones in Codice longe antea compactos fuiſſe, eodemque quem ille deſcribit ordine digeſtos, extra controverſiam eſt. Is autem, ut ante obſervatum eſt, Juſtiniano imperante ad ſedem CP. evectus eſt, longo poſt tempore quam canonum collectionem compoſuerat. Juſtinianus imperare cœpit anno æræ Chriſtianæ DXXVI. Ergo iſtis circiter temporibus hanc canonum collectionem in lucem prodiiſſe certum eſt. Codex autem canonum multis ante annis proculdubio conſtitutus fuit, quam à Johanne Antiocheno in iſthanc formam diſtributus. Nihil autem veri diſſimilius eſſe poteſt, quam ut canones quivis, & quidem ſub S. Apoſtolorum nomine, in codicem canonum eccleſiæ univerſæ reciperentur, niſi inter omnes conſtitiſſet eos ab Eccleſiâ ſub iſthoc nomine perdiu receptos fuiſſe. Quapropter cùm hi canones, ut patet, diu ante An. Dom. DXXVI. ipſi etiam codici canonum ab eccleſiâ receptorum, non tantum inſerti ſed prætexti fuerint, nihil dubii ſupereſſe poteſt, quin aliquot ante ſeculis vulgo cogniti, & ab omnibus approbati fuiſſent. Eos autem adhuc cenſere, non ante An. Dom. CCCCLI. publicatos fuiſſe, uſque adeo abſurdum eſt, ut qui illud credat, non ratione ſed præſumptâ ſui opinione ducatur neceſſe eſt.

IV. Verum Johannes Antiochenus aliud adhuc, illudque invictiſſimum nobis ſuppeditat argumentum, quo canones Apoſtolicos longe ante ipſius ætatem ab eccleſiâ celebratos, & codici canonum Eccleſiæ univerſæ connexos fuiſſe demonſtremus. Enimvero is in præfatione

ad

ad ſuam canonum collectionem, poſtquam lectorem certiorem fecit quidnam in iſto concinnando opere ſibi propoſuerat, addit ſubinde ſe nec ſolum fuiſſe nec primum hujuſmodi operis conditorem, ſed alios inveniſſe, qui canonibus Eccleſiaſticis eandem fere in formam colligengis operam impenderant. Verba ejus digniſſima ſunt quæ obſerventur. Sic ergo habent. Οὐχ αὐτοὶ τοῦτο μόνοι καὶ πρῶτοι τῶν ἄλλων ποιῆσαι ὁρμήσαντες, ἀλλ᾽ ἑτέρους εὑρόντες ταῦτα διελόντας εἰς τίτλους ἑξήκοντα, καὶ μήτε τοὺς τοῦ Ἁγίου Βασιλείου κανόνας τοῖς ἄλλοις ἐπισυνάψαντας, μήτε δὲ ὅμοια τοῖς ὁμοίοις, ὡς ἔδει, πράγματα συναρμόσαντας. *Cum non ipſi ſoli & primi inter cæteros ad hoc faciendum incitati fuerimus, ſed alios compeririremus ea in titulos ſexaginta diſtribuiſſe, ac neque S. Baſilii canones cum aliis conjunxiſſe, neque res ſimiles cum ſimilibus, ut oportebat, compoſuiſſe.* Hinc liquet alias canonum in varios titulos diſtributorum collectiones, ante eam quam Johannes Antiochenus concinnavit, editas fuiſſe, & omnes etiam canones, quos Joh. Antiochenus collegit, in eaſdem adſumptos eſſe, præter eos quos S. Baſilius ſanxerat: ut quos ſolos hic exceptos habemus. Et in prioribus igitur canonum collectionibus ante Joh. Antiocheni ætatem elaboratis, canones Apoſtolici inter alios collecti ſunt. Alioquin enim & illos æque ac S. Baſilii canones in iis omiſſos eſſe lectorem admonuiſſet. Quantum temporis inter eas condendas canonum collectiones, quas Joh. Antiochenus hic commemorat, & eam quam ipſe elucubravit, interfuerit, certè determinari nequit. Ex eo autem quod S. Baſilii canones in iis prætermiſſos eſſe notetur, ſummâ ratione colligere eſt, haud exiguum inter eas temporis ſpatium interjectum fuiſſe. Etenim ſi S. Baſilii canones in codicem recepti fuiſſent, cùm iſtæ collectiones edebantur, illi cum aliis haud dubie in iis compacti eſſent. Doctiſſimi autem Patris illius canones in codicem longe prius, quam in Joh. Antiocheni collectionem admiſſos fuiſſe, nemo dubitare poteſt. Ipſi enim alios colligere canones, quam qui in codicem canonum eccleſiæ univerſæ ante recepti fuerant, & nefas eſſet, & abſurdum. Quinetiam de iis hic canonibus, non ut nuper in Codicem receptis meminit, ſed pro conceſſo ſumit, codicem jamdudum iis adauctum fuiſſe, ac proinde priores collectiones mancas & imperfectas eſſe, eo quod S. Baſilii canones in eis deſiderarentur. Nemini ergo dubium eſſe poteſt, quin ſanctiſſimi illius viri canones cum Apoſtolicis & Synodalibus in unum Codicem diu ante conjuncti fuerint, quam à Joh. Antiocheno inter eos collecti ſunt. Sed priores iſtæ collectiones ab eo memoratæ etiam ante S. Baſilii canones in codicem receptos editæ fuerunt, ac propterea multo ante collectionem à Joh. Antiocheno publicatam. Veruntamen non hic modo, ſed & majores ejus, qui canones in LX. titulos diſtribuerunt,

runt, Apoſtolicos inter alios ſynodorum canones collegerunt. Sed nec illi etiam, qui ſi non longe ante, quinto ſaltem labente ſeculo vixiſſe videntur, Apoſtolicos hoſce canones in collectiones ſuas inter alios diſtribuere voluerunt, vel debuerunt, niſi in corpus canonum ab eccleſiâ prius recepti fuiſſent. Quibus omnibus diligenter penſiculatis, nos in eam potius inclinamus ſententiam, quæ omnes hoſce S. Apoſtolorum canones non modo non incognitos fuiſſe ante An. Dom. CCCCL. ſed & iis circiter diebus Codici canonum eccleſiæ univerſæ annexos eſſe judicat. Adeo ut ambo codices canonum Eccleſiæ, hic primitivæ & alter univerſæ, in uno quaſi volumine iſtis temporibus compingi ſolerent, eâ tamen lege ut non confunderentur, ſed uterque Canones ſibi peculiares numeris ſuis adhuc diſtinctos haberet. Hoc ſaltem extra dubium eſt, Canones hoſce Apoſtolicos ob venerandam eorum antiquitatem & immemorabilem inſtitutionem tanti iſtis diebus æſtimatos fuiſſe, ut cum Canones Eccleſiæ in titulos aut certa quædam capita diſtribui cœperint, hi ſub ipſorum Apoſtolorum nomine inter alios collecti fuerint, & familiam duxerint. Quod quidem patres iſtius ſeculi nequicquam admiſiſſent, niſi hoſce canones aliquot ante ſeculis conſtitutos, & à majoribus ſibi ſub iſthoc nomine traditos fuiſſe perſuaſiſſimum habuiſſent, nedum ſi eos cum Dallæo non ante An.Dom. CCCCLI. à neſcio quo tenebrione confictos opinati eſſent.

V. E præmiſſis patet, canones Apoſtolicos nomocanoni (quo nomine codicem canonum eccleſiæ univerſæ appellari uſu venit) annexos, vel præfixos potius fuiſſe ante An. Dom. DXXVI. quo Juſtinianus imperare cœpit: qui propterea honorificam eorum mentionem fecit, ubi ad Epiphanium Patriarcham Conſtantinopolitanum de concordiâ inter Eccleſiam & imperium conſtituendâ & proſperitate utriuque conciliandâ ſcribens ait, τοῦτο δὲ ἔσεσθαι πιστεύομεν, εἴπερ ἡ τῶν ἱερῶν κανόνων παρατήρησις φυλάττοιτο, ἣν οἵ τε δικαίως ὑμνούμενοι καὶ προσκυνητοὶ καὶ αὐτόπται τοῦ θεοῦ λόγου παραδεδώκασιν Ἀπόστολοι, καὶ Ἅγιοι πατέρες ἐφύλαξάν τε καὶ ὑφηγήσαντο. *Hoc autem futurum eſſe credimus, ſi ſacrorum canonum obſervatio cuſtodiatur, quam juſte laudati, & adorandi, & ipſius Dei verbi inſpectores tradiderunt Apoſtoli, & ſancti patres cuſtodierunt, & explanaverunt.* Juſtin. novel. VI. Apoſtolicos illos quos hodie habemus canones, hic intelligendos, ac propterea eoſdem prolixè hic commendatos eſſe, tanquam ab ipſis Chriſti Apoſtolis traditos, ipſum Dallæum habemus confitentem, de pſeudepigr. lib. 3. cap. 2. Quoniam nimirum diffiteri non potuit. Ut miſſum enim in præſenti faciamus. Arabicum iſtum Nomocanonem in Bibliothecâ Oxonienſi reſervatum, qui ab ipſo Juſtiniano confirmatus, & Epiphanio Patriarchæ CP.commendatus dicitur, quo omnes Apoſtolorum LXXXV.

inter

inter alios colliguntur canones: Johannis Antiocheni collectio illud luculente evincit. Cùm canones enim, quos ille ſub S. Apoſtolorum nomine collegit, iidem prorſus ſint, qui ſub eodem nunc dierum nomine circumferuntur, nihil dubii eſſe poteſt, quin Juſtinianus, qui verba ſuperius laudata iiſdem diebus ſcripſit, eoſdem quos Joh. Antiochenus canones Apoſtolorum intellexerit. Neque enim ea ætas, nec ulla omnino antiquitas alios quam iſtos Apoſtolicæ traditioni canones unquam acceptos retulit. Quibus ipſius Joh. Antiocheni teſtimonium accedit. Is enim in præfatione ad nomocanonem hæc ipſa Juſtiniani verba recitat, ut canones Apoſtolicos à ſe collectos comprobantia. In dictâ enim præfatione iſtiuſmodi civiles ſanctiones recenſet, quibus canones Eccleſiaſtici confirmati ſunt. Et primo pro Apoſtolicis, illa Juſtiniani verba ex epiſtolâ ad Epiphanium tranſcribit. Pro ſynodorum autem canonibus Imperiali autoritate confirmatis, notiſſima illa novellæ CXXXI. verba laudat, quibus idem Imperator canones à quatuor Oecumenicis conciliis, Nicæno, Conſtantinopolitano, Epheſino & Chalcedonenſi conſtitutos, legum vicem obtinere ſancivit. Nemini autem in hujuſmodi rebus potius quam Joh. Scholaſtico credendum eſt, quippe qui in omnibus legibus & Conſtitutionibus tam Eccleſiſticis quam civilibus, multo magis in iis quæ ipſius ætate promulgatæ ſunt, verſatiſſimus fuit.

VI. Cùm canones igitur Apoſtolici, de quibus hic diſputamus, in ſupra laudatis Juſtiniani verbis deſignati ſint, ex iiſdem videre licet, quantâ eorum opinione Auguſtiſſimus ille Imperator ductus fuit, quidque communis illius ætatis fama de iis cenſuerit. Imperator enim non ſuam privatam de iis ſententiam protulit, ſed eam quam à doctiſſimis, quos ab omnibus Imperii partibus convocaverat, juriſconſultis edoctus fuerat. Hic autem, ut primo intuitu patet, canones hoſce ab ipſis adorandis Apoſtolis, qui ipſum Deum in carne viderunt, Eccleſiæ traditos fuiſſe, verbis diſertiſſimis affirmavit. Unde manifeſtum redditur, doctos quoſcunque iſtius ætatis viros, in oriente ſaltem, in eâ fuiſſe ſententiâ, quòd hi canones non præcedente ſeculo, nedum adulto, ab impoſtore aliquo conſarcinati, ſed tantæ antiquitatis eſſent, ut ipſis Domini Apoſtolis merito adſcriberentur. Adhæc Imperator hos canones à patribus cuſtoditos fuiſſe & explanatos aſſerit, quod tamen fieri nequaquam potuit, niſi longe ante tempus eorum editioni à Dallæo aſſignatum extitiſſent, & vulgo noti fuiſſent. Cuinam autem obſecro major habenda eſt fides, ei qui mille poſt annos natus, & multo majori eorum, quæ à primitivâ Eccleſiâ ſcripta ſunt, parte deſtitutus eſt, an illuſtriſſimo pariter atque eruditiſſimo Imperatori Juſtiniano, qui ſexto claruit poſt Chriſtum incarnatum ſeculo, & vetuſtiſſima Eccleſiæ monumenta, quorum plurima nunc interciderunt,

ciderunt, penes ſe habuit, & doctos undequaque viros eo tantum nomine congregavit, ut ipſum de moribus ac inſtitutis tam Eccleſiæ quam imperii certiorem facerent? Nullus dubito quin, ipſo etiam adverſario judice, palma Imperatori deferetur. Hic autem patres, eos ſcilicet qui longe ante ipſius ætatem in Eccleſiâ præſederant, Apoſtolicos hoſce canones & cuſtodiiſſe & explanâſſe aſſeverat. Quod ſi ab ipſis Juſtiniani, ætatis reſpectu, patribus ſive majoribus obſervati fuerint, eos aliquot ſaltem ante ejus ætatem ſeculis conſtitutos fuiſſe neceſſe eſt. Adeo ut quicquid hæc infima noſtra, & antiquitati nimis invida ætas de canonibus Apoſtolorum ſentiat, fœlicior illa puriorque, quæ noſtram mille præceſſit annis, eos à viris ſaltem Apoſtolicis ſancitos, & à primitivæ eccleſiæ patribus laudatos fuiſſe & cuſtoditos nobiſcum conſenſit.

VII. Cum itaque Codex canonum Eccleſiæ primitivæ cum altero Eccleſiæ univerſæ ſynodali haud dubie conſtitutione ita coaluerit, & cum eodem poſtea Imperiali autoritate confirmatus fuerit, ab iſthoc demum tempore ambo unum illum codicem Eccleſiæ orientalis conſtituerunt; quippe quem poſt iſthæc tempora ex ambobus compoſitum fuiſſe certiſſimum eſt. A ſexto enim, eoque ineunte ſeculo nullum invenire eſt Codicem canonum Eccleſiæ orientalis Apoſtolicis non præmunitum. Quo evenit, ut proximo ſive ſeptimo labente ſeculo, Synodus Trullana dicta, ut in Trullo palatii Conſtantinopolitani habita, totum codicem Canonum ab Eccleſiâ orientali receptorum confirmans, omneſque in eundem collectos canones recenſens, Apoſtolicos primo in loco memorat, ut aliis ſemper præponi ſolitos: ſecundus etenim ab iſtâ ſynodo conſtitutus canon ſic incipit. Ἔδοξε δὲ καὶ τοῦτο τῇ ἁγίᾳ ταύτῃ συνόδῳ κάλλιστά τε καὶ σπουδαιότατα, ὥστε μένειν καὶ ἀπὸ τοῦ νῦν βεβαίους καὶ ἀσφαλεῖς πρὸς ψυχῶν θεραπείαν, καὶ ἰατρείαν παθῶν, τοὺς ἀπὸ τῶν πρὸ ἡμῶν ἁγίων καὶ μακαρίων πατέρων δεχθέντας, καὶ κυρωθέντας, ἀλλὰ μὴν καὶ παραδοθέντας ἡμῖν ὀνόματι τῶν ἁγίων καὶ ἐνδόξων Ἀποστόλων ὀγδοήκοντα πέντε κανόνας. *Hoc quoque huic ſanctæ ſynodo pulcherrimè & honeſtiſſime placuit, ut ab hoc nunc tempore deinceps ad animarum medelam, & perturbationum curationem, firmi ſtabileſque maneant, qui à ſanctis & beatis patribus, qui nos præceſſerunt, ſuſcepti & confirmati ſunt, atque adeo nobis etiam traditi ſanctorum & glorioſorum Apoſtolorum nomine, octoginta quinque canones.* Ita enim legendum eſſe hunc locum, in Annotationibus ad eundem è MSS. codicibus oſtendimus. Ubi primo videre eſt, ut hæc magna ſanè, ſi non Oecumenica, ſynodus omnes hoſce LXXXV. canones à ſanctis beatiſque qui præceſſerant patribus & receptos fuiſſe & confirmatos definitè aſſeruerit:

ruerit: ut nemo dubius hæſitet, quin ſynodali autoritate multis ante hanc ſynodum annis muniti fuiſſent. Obſervetur inſuper velim, hoſce canones hoc in loco nec Ἀποστολικοὺς, nec τῶν ἁγίων Ἀποστόλων appellari, ſed tantum παραδοθέντας ἡμῖν ὀνόματι τῶν ἁγίων καὶ ἐνδόξων Ἀποστόλων. Unde conſtat plurimos illos, qui in hâc ſynodo congregati ſunt, patres eandem de his canonibus ſententiam tenuiſſe, quam nos amplexi ſumus & defendimus, eos nimirum à primitivâ Eccleſiâ ſancitos, ab antiquis ejuſdem patribus receptos, laudatos, & confirmatos fuiſſe, ſed nihilominus non ab ipſis Chriſti Apoſtolis conſtitutos editoſve, ſed eorum tantum nomine poſteritati traditos. Adeo ut licet S. Apoſtolorum nomen hujus etiam concilii diebus hiſce canonibus inſcriptum eſſet, ſynodus tamen non ab iis quorum nomen præferebant, ſed ab antiquis Eccleſiæ patribus, viris Apoſtolicis conditos, & S. Apoſtolorum, ut quorum doctrinæ & traditionibus conſentanei viſi ſint, nomine publicatos. arbitrata ſit. Quod quidem nobis veriſſimum videtur.

VIII. Poſt ſynodum iſtam in Trullo celebratam, Eccleſia orientalis pro horum canonum autoritate acerrimè contendit. Etiamſi enim nonnulli, quos inter Photius Patriarcha CP. recenſeatur, dubitaverint nonnunquam an ab ipſis Apoſtolis ſanciti fuerint, nemo tamen ſummam eorum in Eccleſiaſticis cauſis dijudicandis autoritatem negare auſus eſt. Sed hi, æque ac reliqui à ſynodis conſtituti, canones firmi ſtabileſque ab iſtis uſque temporibus perpetuo permanſerunt: à nemine unquam in controverſiam vocati, propterea quod ab univerſali concilio, ut ipſis viſum eſt, confirmati ſunt. Quamcunque enim ſupremæ Romani præſulis authoritatis aſſertores de illhâc ſynodo opinionem imbiberunt, Eccleſia orientalis eam pro Oecumenica ſemper habuit: eo quod ſeipſam οἰκουμενικὴν σύνοδον canone tertio alibique appellet, quodque omnes Patriarchæ vel per ſe vel per legatos ſuos eidem interfuerint, ut in Annotationibus fuſius oſtendimus. Quibus etiam invictiſſimum, ad hominem ſaltem, argumentum è ſecundo Nicæno concilio adjiciatur. Ipſi enim qui iſtum Trullanæ ſynodo honorem denegant, Nicænam ſecundam univerſalem fuiſſe ſynodum omni aſſeveratione affirmant, & pro ſummâ ejus in Eccleſiâ autoritate tanquam pro aris & focis dimicant. Verumenimvero eadem iſta Nicææ ſecundò coacta ſynodus, canones à Trullanâ tanquam ab univerſali ſynodo definitos approbat. Hæc enim in primo iſtius concilii canone habemus. Ἀσμένως τοὺς θείους κανόνας ἐνστερνιζόμεθα, καὶ ὁλόκληρον τὴν αὐτῶν διαταγὴν καὶ ἀσάλευτον κρατύνομεν, τῶν ἐκτεθέντων ὑπὸ τῶν ἁγίων σαλπίγγων τοῦ πνεύματος, τῶν πανευφήμων Ἀποστόλων, τῶν τε ἓξ ἁγίων οἰκουμενικῶν συνόδων, καὶ τῶν τοπικῶς συναθροισθεισῶν ἐπὶ ἐκδόσει τοιούτων διαταγμάτων, καὶ τῶν ἁγίων πα-

τέρων ἡμῶν. *Divinos canones lubenter amplectimur, eorumque conſtitutionem integram & illabefactam confirmamus, qui editi fuerunt à ſanctis ſpiritus tubis ſummâ laude celebrandis Apoſtolis, & à ſex ſanctis univerſalibus ſynodis, iiſque quæ ad ejuſmodi decretorum editionem localiter coactæ fuerunt, & a noſtris ſanctis patribus.* Syn. Nic. II. can. I. Hic canones à ſex univerſalibus conciliis editi aſſeruntur pariter & confirmantur. Neminem vero fugit quintam ſextamque ſynodum nullos edidiſſe canones, niſi Trullani iis adſcribantur. Cùm autem Patres Nicæni hoc in loco canones à ſex Oecumenicis conciliis editos diſertè confirment, neceſſario exinde conficitur, hujus Nicænæ ſynodi & tempore & judicio Trullanam πενθέκτην habitam fuiſſe, cujus nimirum ſanctiones ad utramque, quintam & ſextam, referantur, ut eadem huic atque illis utriſque ſynodis autoritas aſſeratur. Nihil ſaltem apertius eſſe poteſt, quam canones Trullanos hoc in loco confirmatos eſſe, quorum propterea octogeſimum ſecundum Taraſius Patriarcha Conſtantinopolitanus, in ipſâ hâc Nicænâ ſynodo laudavit, eundemque à ſextâ univerſali ſynodo conſtitutum eſſe probavit, ut in Annotationibus ad dictum canonem demonſtravimus. Ac proinde mirum nemini eſſe debet, quod canones Apoſtolici tantâ apud Eccleſiam orientalem autoritate donati ſint, cum ipſi à canonibus Trullanis, & Trullani canones à Nicænâ ſecundâ, univerſali judicatâ ſynodo, confirmati fuerint. Præcipue cum hi canones etiam nominatim, & ſeorſim ab aliis, à Nicænâ iſtâ æque ac à Trullanâ ſynodo ſtabiliantur: ut ſatis mirari nequeam, quâ tandem fronte quiſpiam Nicænam iſtam ſynodum approbet, & tamen canones Apoſtolorum ab eâ diſertè confirmatos rejiciat. Si quid enim aliud ab eâ conſtitutum, primus haud dubie, quo Apoſtolici confirmantur, canon valere debet.

CAPUT

CAPUT IX.

Synopſis.

I. Ἀνακεφαλαίωσις *argumentorum, quibus noſtra de canonum Apoſt. antiquitate ſententia innititur.*

II. *Adverſariorum de eà re ſententia* Gelaſii *P. R. decreto præcipue fundatur.*

III. *Nihil certi ex iſto decreto inferri poteſt. Non liquet ſaltem canones Apoſt in eo antiquitus memoratos fuiſſe.* Hincmarus Remenſis *contrarium aſſeruit.*

IV. *Dallæana verbi* miſit *cum omiſit in Hincmaro commutatio, quam abſurda ſit, & fruſtranea.*

V. *Aliis contra* Hincmari *verba exceptionibus reſpondetur.*

VI. *Ut obſervator particulam* nec *in iiſdem* Hincmari *verbis tranſpoſuit, quo ad ſuas eas partes trahat, quod abſurdiſſimum eſſe oſtenditur.*

VII. *Etſi demus* Gelaſium *canones Apoſt. inter Apocryphos rejeciſſe, nihil ex eo contra noſtram de iis ſententiam concludi poteſt.*

I. HÆC ſunt illa veterum teſtimonia, hæcque argumenta ex iis petita, quibus inducti ſumus, ut canones Apoſtolorum vulgo dictos non quinto tantum eoque adulto, ut opinatus eſt Dallæus, ſed ſecundo vel tertio ſaltem poſt Chriſtum cœlitus nobis dimiſſum ſeculo, ſancitos editoſque fuiſſe firmiter credamus, & publice profiteamur. Cum quarto enim currente, quintoque ineunte ſeculo hi canones à doctiſſimis Eccleſiæ patribus ſynodiſque tam Oecumenicis quam provincialibus, nunc ſub Eccleſiaſticorum, nunc ſub antiquorum, nunc etiam ſub ipſo Apoſtolorum nomine commemorentur, & laudentur: Cùm canones ab ipſis commemorati & laudati exeunte quinto, vel ineunte ſexto ſeculo, inter alios à ſynodis divulgatos canones totidem verbis collecti fuerint, & ab Eccleſiâ orientali in uſum publicum recepti: Cùm eodem currente ſeculo à peritiſſimo omnium tam Eccleſiaſticarum quam civilium legum Imperatore Juſtiniano rati habeantur: Cum magna deinde & à multis approbata concilia Trullanum & Nicænum II. eoſdem ſuâ etiam autoritate confirmarint: Cum hæc, inquam, ita ſe habeant, quis in poſterum ſuſpicari poteſt, hos canones quinto tantum inclinato ſeculo primùm extitiſſe, aut publicari cœpiſſe? Quis ſibi perſuadeat hanc non antiquiſſimam eſſe canonum collectionem, quæ poſt S. Apoſtolos in Eccleſiâ Chriſtianâ unquam obtinuit?

Quis potius pro certo non habeat, Apoſtolicos hoſce canones longe prius conditos quam laudatos fuiſſe, ac propterea tertio ſaltem currente, ſi non ſecundo labente ſeculo in lucem prodiiſſe, & idcirco S. Apoſtolorum nomine inſignitos, quod à viris Apoſtolicis ſanciti, ac proinde adeo antiqui fuerint, ut ab ipſis Chriſti Apoſtolis vel à proximis eorum in Eccleſiæ adminiſtratione ſucceſſoribus traditi videantur? Si quis ſane adhuc argumenta deſiderat, quibus ad noſtram de horum canonum antiquitate ſententiam perducatur, idem omnem omnibus veteris Eccleſiæ monumentis fidem demat, vel omnia ſaltem ad præconceptam ſuam opinionem ſummâ injuriâ pariter ac violentiâ torqueat & pervertat, neceſſe eſt.

II. Sed aliter opinatus eſt vir Cl. Joh. Dallæus, aliter etiam Anonymus obſervator. Is enim hos canones non ante An. Dom. CCCCLI. confictos fuiſſe editoſque contendit: & alter propterea, ejuſdem veſtigiis inſiſtens, eandem opinionem tueri ac defendere conatus eſt. Videamus igitur quid uterque contra teſtimonia a nobis allata, vel potius contra nonnulla eorum (omnia enim non viderunt, ſaltem non conſiderarunt) vel excogitarint, vel ſibi excogitaſſe viſi ſint. Primo autem V. Cl. Dallæus unum Gelaſii pontificis Romani decretum à ſynodo LXX. epiſcoporum Anno Dom. CCCCXCIV. ſub eo Romæ habitâ publicatum, omnibus, quæcunque pro canonum Apoſtolicorum antiquitate afferri poſſunt, argumentis præponderare arbitratus eſt. De pſeudep. lib. 3. cap. 3. 4. nimirum Gelaſius P. R. Anno Domini ſupradicto concilium celebraſſe, & in eo decretum de libris Eccleſiaſticis recipiendis & non recipiendis ediđiſſe perhibetur. In hoc decreto poſt recenſitos veteris novique Teſtamenti libros canonicos, nonnulla ex antiquis Eccleſiæ primitivæ monumentis commemorantur, ut ſynodorum Nicænæ, Conſtantinopolitanæ, Epheſinæ, Chalcedonenſis, item S. Patrum Cypriani, Athanaſii, Gregorii Nazianzeni, Baſilii Cappadociæ, & aliorum complurium, quæ ſancta, ut in decreti initio dicitur, Romana Eccleſia ſuſcipi non prohibet. Poſthæc ad notitiam pergit librorum Apocryphorum, qui non recipiantur. *Cæterum*, inquit, *quæ ab hæreticis ſive ſchiſmaticis conſcripta vel prædicata ſunt, nullatenus recipit Catholica & Apoſtolica Eccleſia Romana; E quibus pauca, quæ ad memoriam venerunt, & a Catholicis vitanda ſunt, credimus eſſe ſubdenda.* Inter hæc autem ſcripta ab Eccleſiâ Romanâ repudiata, ac Apocrypha idcirco dicta, Canones Apoſtolorum numerantur his verbis, *Liber Canonum Apoſtolorum Apocryphus.* Hinc itaque colligit vir doctiſſimus hunc canonum Apoſtolorum librum ab hæretico aliquo tenebrione, & impoſtore confictum eſſe, idque paucis ante illud tempus annis. Dall. de pſeud lib. 3. cap. 21.

III. Sed contra hoc palmarium ejus & ubique jactitatum argumentum

tum quamplurima occurrunt, quæ reponi poſſunt. Primo enim incertum eſt, utrum talis unquam ſynodus ſub Gelaſio habita fuerit. Sane doctiſſimus vir, Joh. Pearſonius epiſcopus Ceſtrenſis, contrarium veri multo ſimilius reddidit. In Vindic. Epiſt. Ignat. lib. 1. cap. 4. Incertum etiam, an tale unquam à Gelaſio editum ſit decretum, cùm nemo iſtius meminerit ante trecenteſimum poſt Gelaſii obitum annum. Et ſi demus Gelaſium de libris recipiendis & non recipiendis decretum aliquod edidiſſe, incertum tamen eſt, utrum iſta verba, *Liber canonum Apoſtolorum Apocryphus*, eidem ab eo inſerta fuerint. In Juſtelli enim aliiſque codicibus MSS. deſiderantur. Quinetiam Hincmarus Remenſis, qui primus (vel ſaltem è primis) fuit, qui Gelaſiani hujus decreti mentionem fecit, canones Apoſtolorum in eo non memoratos fuiſſe aſſerit. Verba ejus, quoniam mirum in modum ab adverſariis urgentur, & pervertuntur, tranſcribere non pigebit *Sed & Beatus*, inquit, *Gelaſius, in Catalogo, qui libri ab Eccleſiâ Catholicâ recipiantur, deſcripto, authenticis ſcripturis & Nicænæ, Conſtantinopolitanæ, ac Epheſinæ, Chalcedonenſis quoque ſynodi, & aliis conciliis à ſanctis patribus inſtitutis, & orthodoxorum opuſculis, atque decretalibus Epiſtolis Apoſtolicæ ſedis pontificum, aliiſque ſcripturis diſcretè commemoratis, de his Apoſtolorum canonibus penitus tacuit, ſed nec inter Apocrypha eos miſit.* Hincm. Rem. adv. Hincm. Laud. opuſc. cap. 24. Qui hæc verba legit, primo intuitu videat, Hincmarum in Gelaſii decreto duas obſervaſſe librorum claſſes, quarum primâ authenticæ ſcripturæ, conciliorum Acta, patrum orthodoxorum opuſcula & Pontificum Romanorum decreta ab Eccleſiâ recepta commemorentur, in alterâ autem Apocrypha, ſive libri ab Eccleſiâ Romanâ non recepti. In neutrâ autem claſſe canones Apoſtolorum à Gelaſio memoratos ſcribit, non in primâ, ut ubi, *de his*, inquit, *Apoſtolorum canonibus penitus tacuit*, nec in ſecundâ, addit enim, *ſed nec inter Apocrypha eos miſit*. Quibus Gelaſii verbis nihil planius, nihil diſertius efferri poteſt. Iis enim, canones Apoſtolorum nec inter orthodoxa, nec inter Apocrypha ſcripta à Gelaſio recenſitos eſſe, clariſſime aſſeritur.

IV. Sed quomodocunque hæc verba Hincmari ſonent, neceſſarium adverſariis noſtris viſum eſt, ut is Canones Apoſtolorum à Gelaſio damnatos legerit, idque hoc in loco affirmarit, ne aliter unicum totius diſputationis fundamentum corrueret. At verba, ut ab ipſo Hincmaro prolata, & in omnibus Codicibus conſtanter lecta, contrarium prorſus enunciant. Quid itaque faciendum eſt? Sane cauſa ab iis ſuſcepta neceſſario flagitat, ut verba illa vel commutentur, vel tranſponantur. Tranſpoſitio obſervatori, ſed Joh. Dallæo commutatio magis arriſit: hic enim verbum *miſit* cum *omiſit*, album ſcilicet cum nigro, ca-

lidum cum frigido, verum cum falſo commutandum cenſuit. Sic enim ille poſt recitata hæc Hincmari verba, *Hactenus Hincmarus, cujus ultima illa verba* ſed nec inter Apocryphos eos miſit, *vel memoriæ lapſu imprudenti exciderunt, vel certe mendoſa ſunt, & reſtituto verbo* omiſit, *pro eo quod in Codicibus vulgatis legitur* miſit, *corrigenda, ut ita ſcripſerit Hincmarus*, ſed nec inter Apocrypha eos omiſit. Dall. de pſeud. lib. 3. cap. 3. Verum ſi quod veteres dixerunt, memoriæ lapſu iis imprudentibus excidiſſe admittamus, vel verba ab ipſis uſitata obliterare, aliaque eorum loco pro ſuo cujuſque arbitrio hunc in modum ſubſtituere liceat, ſuperfluum foret opus ab eodem autore editum, *De vero uſu patrum*, nulli enim uſui eſſet. Et præterea non animadvertit doctiſſimus vir, ut ſenſus ejus ex iſtis verbis extorqueatur, non modo verbum, *miſit* in *omiſit*, ſed & particulam *nec* in *non* neceſſario immutandam eſſe, ut ſic ſcriberetur, *De his Apoſtolorum canonibus penitus tacuit, ſed non inter Apocrypha eos omiſit.* Nam particula *nec* hæc ultima cum præcedentibus verbis connectit, ſignificatque Gelaſium nec inter Catholica nec inter Apocrypha ſcripta canones Apoſtolorum miſiſſe, ſive commemoràſſe. Quin proxima etiam Hincmari verba liquidò demonſtrant, eum Canones Apoſtolorum inter Apocrypha à Gelaſio damnatos non legiſſe, poſt illa enim verba, *ſed nec inter Apocrypha eos miſit*, proximè ſubdit, *Quapropter in lectione illorum canonum, ſequenda eſt cautela ab eodem B. Gelaſio præmonita, cum hæc, inquit, ad Catholicorum manus advenerint, Beati Pauli Apoſtoli præcedat ſententia, quâ dicit*, Omnia probate, quod bonum eſt tenete. Hæc enim verba à Gelaſio adhibentur non de Apocryphis, ſed de nonnullis ex orthodoxis iſtis ſcriptis, quæ Eccleſia Catholica recepit, inter quæ recenſet ſcripta de inventione S. crucis Dominicæ, & alia ſcripta de inventione capitis B. Johannis Baptiſtæ, quas quidem novellas Revelationes vocat, ſed nonnullos eas Catholicos legere affirmat, & tunc cautelam iſtam adhibet, *ſed cum hæc ad Catholicorum manus pervenerint*, &c. Eos autem quos Apocryphos vocat libros, nullatenus recipiendos, ſed omnimodo ſine ullâ cautelâ aut exceptione Eccleſiâ eliminandos, ac à nemine propterea legendos eſſe pronunciat. Cùm igitur Hincmarus iſta Gelaſii verba de canonibus Apoſtolorum adhibeat, tantum abeſt ut eos inter Apocrypha à Gelaſio damnatos invenerit, ut eos, ſi ullibi, inter ſcripta Catholica à Gelaſio numerandos eſſe judicarit, ubi ſcilicet iſtam adhibet cautelam, ut cum ad Catholicorum manus advenerint, B. Pauli præcedat ſententia, *omnia probate, quod bonum eſt tenete.* Unde ſimul conficitur Hincmarum in eâ fuiſſe ſententiâ, quod hi canones non inter Apocryphos ſive non recipiendos, ſed inter orthodoxos & ab Eccleſiâ receptos libros recenſeantur, & ab omnibus Catholicis legantur

legantur cum cautelâ iſtâ ante dictâ, utpote in quibus, ut paulo ante ipſe dixerat Hincmarus, *Quædam receptibilia, quædam vero ſunt non ſervanda.*

V. Cùm itaque adeo certum & cuique obvium ſit, Hincmarum Remenſem canones Apoſtolorum in Gelaſii decreto non legiſſe, nedum rejectos & damnatos inveniſſe, mirum cuipiam videatur, quâ ratione doctiſſimus vir Joh. Dallæus inductus fuerit, ut diſertiſſima illa Hincmari verba tam violentâ correctione, vel ſubverſione potius, immutanda eſſe cenſeret. Eam autem qualis qualis eſt, ipſe ſtatim ut vim iſtam ſancto doctoque Remenſi Archiepiſcopo intulerat, his verbis conceptam exhibet, *Nam* inquit, *Gelaſius quidem, quin eos canones inter Apocrypha miſerit, hoc eſt, relegarit, vel rejecerit, vel ex illius ſeculi idiotiſmo poſuerit, ac collocaverit, nemo dubitare poteſt, qui nuper à nobis recitatum Gelaſii decretum legerit.* Nimirum ſi Dallæo credamus, Hincmarum canones Apoſtolorum inter Apocrypha à Gelaſio rejectos legiſſe, exinde neceſſario ſequitur, quod noſtris diebus hæc verba *Liber Canonum Apoſtolorum Apocryphus* in eodem decreto inveniantur. Verum hoc illud eſt quod quæritur, ac proinde non præſumere debuit, ſed probare iſta verba antiquitùs, & Hincmaris ipſius ætate, & in ipſo Gelaſiani decreti codice, quo uſus eſt Hincmarus, inſerta fuiſſe: Aliter nemini unquam perſuadebit Hincmarum vidiſſe canones Apoſtolorum inter Apocrypha à Gelaſio miſſos, cum ipſe Hincmarus illud verbis conceptis negaverit. Sed addit vir doctus, ipſum Hincmarum apud Turrianum quidem certe, in illo, cujus pars ſunt verba ejus ſuperius allata, de variis capitulis Eccleſiaſticis libro, diſerte aſſirmare, canones Apoſtolorum à Gelaſio in Apocryphorum claſſem rejectos eſſe. Verumenimvero, quicquid apud Turrianum, cui nos majorem quam ipſe Dallæus fidem non debemus, tanquam ex Hincmaro citatum extet, cum illud in omnibus doctiſſimi illius præſulis Remenſis operibus nuſquam aſſirmatum habeamus, ſed contrarium prorſus, in verbis ejus ſuperius à nobis tranſcriptis, indignum prorſus fuit quod à Dallæo recitaretur. Neque enim ipſe fidem ei habere potuit.

VI. Sed eruditus obſervator alio uſus eſt artificio, quo Hincmari verba ad ſuum, quem nunquam ferent, ſenſum pervertat. obſervat. in prior. vindic. part. pag. 56. Rejectâ enim correctione Dallæanâ, voculæ *nec* tranſpoſitio ei magis placuit. Enimvero cùm iſta, de quibus diſputamus, verba in omnibus Hincmari Codicibus ſic legantur, *De his Apoſtolorum canonibus penitus tacuit, ſed nec inter Apocrypha eos miſit*, Is particulam *nec* in loco non ſuo poſitam, & initio horum verborum reponendam eſſe, neſcio an opinatus eſt dicam, an ſomniavit, ut verba hunc in modum legantur. *Nec de his Apoſtolorum canonibus*

nonibus penitus tacuit, ſed inter Apocrypha eos miſit. Quod ſi miris & antehac inauditis hujuſmodi vocularum tranſpoſitionibus indulgeatur, mox actum erit de totâ ſcribendi arte. Fruſtra enim cogitationes noſtras & meditamenta ſcriptis mandamus, ſi verba aut particulæ, quibus utimur, ad cujuſque libidinem ita tranſponantur. Hoc enim modo quidvis è quovis elici, & nihil ita deſcribi poteſt, cujus contrarium voculæ alicujus tranſpoſitione ex iiſdem verbis non eruatur. *Sed iſtâ*, inquit vir doctus, *particulâ ita tranſpoſitâ, jam ut quivis videt verborum Hincmari ſenſus planus eſt, facilis, & expeditus, omnia ſponte fluunt, illiuſque menti & ſcopo omnino congruunt.* Quid vero? annon verborum Hincmari ſenſus æque planus eſt, facilis ac expeditus, annon omnia æque ſponte fluunt ex vulgatâ veràque eorum lectione atque ex coactâ hâc & violentâ voculæ tranſpoſitione? Hæccine verba, *de his Apoſtolorum canonibus penitus tacuit, ſed nec inter Apocrypha eos miſit*, an hæc, inquam, difficiliora ſunt intellectu quam illa, *nec de his Apoſtolorum canonibus penitus tacuit, ſed inter Apocrypha eos miſit*? Sane verbis Hincmari, ut ab ipſo ſcriptis & diſpoſitis, non expoſitore, nedum tranſpoſitore opus eſt, ut ſenſum eorum intelligamus: ac propterea quicquam in iis tranſponere, nihil aliud eſt, quam genuinum eorum ſenſum de induſtriâ pervertere, ut noſtræ opinioni favere cogantur. Quod autem addit, *omnia hoc modo menti autoris & ſcopo omnino congruere*, nullam apud eruditos viros fidem habebit, priuſquam probaverit, ea demum menti & ſcopo cujuſvis autoris omnino congruere, quæ verbis ut ab ipſo diſpoſitis omnino repugnant. Sed *nihil* inquit *additum eſt, nihil detractum, ſola particula nec ſedem mutavit, mutandoque Hincmari ſermonem intellectu facilem reddidit.* Itane vero? Hoccine nihil aut parum eſt, particulam negativam ſede ſuâ movere, & ad aliam, eamque affirmativam ſententiæ partem transferre? Ac ſi parum interſit, an quis affirmet quod negare, & neget quod affirmare voluit. Hincmarus diſerte affirmavit Gelaſium authentica ſcripta recenſentem de Apoſtolorum canonibus penitus tacuiſſe, & diſerte negavit Gelaſium iſtos canones inter Apocrypha miſiſſe. Obſervator autem particulam *nec* tranſponendo Hincmarum negare cogit Gelaſium de Apoſtolorum canonibus tacuiſſe, & affirmare eum inter Apocrypha eos miſiſſe. Atque ita volentem nolentem compellit affirmare quod negavit, & negare quod affirmavit. Hocque nihil ei referre videtur, quoniam ſola particula *nec* ſedem ſuam mutavit: verum ſi hoc modo cum omnibus agatur ſcriptis, ex his ipſis obſervationibus, quas vir doctus contra Ignatii Epiſtolas & Apoſtolorum Canones edidit, eodem, vel majori potius, jure probetur, eum *nec* contra Ignatii epiſtolas, *nec* contra Apoſtolorum canones ſcripſiſſe. Nimirum ſi ſola particula *nec* ex aliis locis, ubicunque demum fuerit, moveatur,

moveatur, & ubi nobis viſum fuerit, tranſponatur. Ita enim tranſpoſita obſervatoris ſermonem intellectu facilem reddet, eumque oſtendet cum Gelaſio de his Apoſtolorum canonibus penitus tacuiſſe, ſed *nec* inter Apocrypha eos miſiſſe. Sed vereor, ut iniquum hunc cum ſcriptis ſuis agendi modum in nobis approbet vir eruditus: ac propterea nec ipſe ægre ferat, ſi eodem nos eum crimine condemnemus, cum contra omnium Codicum autoritatem, ipſumque loci contextum, particulam *nec* loco ſuo dimovens alioque transferens ſummam Archiepiſcopo Remenſi violentiam intulerit, illudque eum affirmare coegerit, quod eodem loco & iiſdem verbis diſertiſſime negavit.

Sed non opus eſt hiſce ulterius nos inſiſtamus. Anonymus enim hanc novam miramque obſervationem ſuam in priorem S. Ignatii vindiciarum partem emiſit. Quapropter pleniorem hujus argumenti diſcuſſionem ab uſquequaque doctiſſimo antiqui illius patris martyriſque vindice expectet, ſi modo quæ de Gelaſio & Hincmaro ille ſcripſit, digna tanto viro viſa fuerint, quibus reſponſum detur. Nos ea non attigiſſemus, niſi quod primo idem Anonymus in obſervationibus ſuis ad noſtras Annotationes pag. 5. ſe ſupra laudata Hincmari verba in diſſertatione contra Ignatianorum patronum explicâſſe, & locum, ut ait, quodammodo luxatum appoſite, ſe quidem judice, reſtituiſſe aſſeruiſſet: & quòd Joh. Dallæus pariter atque obſervator canones Apoſtolorum ex Gelaſiano, ut dictum eſt, decreto tanto labore impugnare conatus ſit, licet incertum ſit utrum hæc verba, *Liber Canonum Apoſtolorum Apocryphus*, in iſto decreto ut primo condito inſerta fuerint; certiſſimum autem Hincmarum, qui Anno DCCCLX. floruit, ea ibi non inveniſſe, ut ex iis quæ hactenus commentati ſumus, ſatis ſuperque conſtat.

VII. Sed quid ſi demus Gelaſium iſtud, quod ſub ejus nomine circumfertur, decretum edidiſſe, & canones etiam Apoſtolorum in eodem inter Apocrypha rejeciſſe? Quid hinc ſequeretur? Canones iſtos paulo ante illud tempus, ſive quinto ſeculo eoque adulto, ab hæretico impoſtore confictos eſſe, publicarique cœpiſſe? Nihil minus. Eſto enim, Gelaſius in iſto decreto dixit, *Liber Canonum Apoſtolorum Apocryphus.* Sed ibidem etiam dixit, *Hiſtoria Euſebii Pamphili Apocrypha, Opuſcula Tertulliani, Africani, Arnobii, Lactantii Apocrypha. Opuſcula alterius Clementis Alexandrini Apocrypha.* Imo quidem, *Liber qui appellatur Paſtoris Apocryphus.* Quis hinc colliget hos libros inter Apocrypha à Gelaſio rejectos, paulo ante editum illud decretum, ſive paulo ante An. Dom. CCCCXCIV. ſcriptos fuiſſe? Tertullianus trecentis fere annis claruit, priuſquam illud emiſſum eſt decretum, & libri, qui *paſtoris* appellatur, meminit, locumque ex eo citavit. Lib. de Orat. cap. 12. Meminerunt ejuſdem Origenes, Clemens Alexandrinus, ipſeque Irenæus, ut dubitare nefas ſit, quin Hermæ liber *Paſtor* appellatus

latus è vetuſtiſſimis ſit Eccleſiæ monumentis. Verum quantæcunque ſint antiquitatis hi libri à nobis commemorati, unà cum canonibus Apoſtolorum inter Apocrypha in Gelaſii decreto connumerantur. Ac proinde qui ex iſto decreto concludit paucis ante annis conſarcinatos fuiſſe canones qui vocantur Apoſtolorum, eodem argumento probet Tertullianum, Clementem Alexandrinum ipſumque Hermæ Paſtoris autorem iiſdem ac Gelaſium P. R. diebus claruiſſe. Quos tamen aliquot ante eum ſeculis ſcripſiſſe inter omnes conſtat. Nimirum Gelaſius vel quiſquis decreti illius autor fuit, nihil de librorum, quos recenſet, antiquitate definit, ſed tantum de autoritate, quam tunc temporis in Eccleſiâ Romanâ obtinebant. Adeo ut ex iſtis verbis, *Liber canonum Apoſtolorum Apocryphus*, nihil prorſus inferri poſſit, præterquam Gelaſii quidem judicio Apoſtolorum nomen iſtis canonibus falſo inſcriptum eſſe, eoſdemque nullam adhuc in judiciis Eccleſiaſticis autoritatem Romæ obtinuiſſe. Et vix ſane credo Cl. V. Joh. Dallæum Gelaſii ſententiæ in omnibus, quæ in iſto decreto edidit, ſubſcribere unquam voluiſſe, vel obſervatorem eidem unquam ſubſcripturum fore. Inter Authenticos enim libros ab Eccleſiâ recipiendos, ibi recenſentur *Actus Beati Sylveſtri Apoſtolicæ ſedis præſulis. Item ſcripta de inventione S. crucis Dominicæ, & alia ſcripta de inventione capitis beati Johannis Baptiſtæ.* Quæ vereor, ut adverſarii noſtri pro Authenticis unquam admiſerint. At in notitiâ Apocryphorum omnia patrum ſuperius laudatorum, Tertulliani, Clementis Alexandrini, Africani, Arnobii aliorumque opera non ſolum repudiata, verumetiam ab omni Romanâ & Apoſtolicâ Eccleſiâ eliminata, atque cum ſuis autoribus, autorumque ſequacibus ſub Anathematis indiſſolubili vinculo in æternum confitetur eſſe damnata. Nullus autem dubito, quin illi ipſi, qui canonum Apoſtolicorum autoritatem ex hoc decreto evertere conati ſunt, cenſoriæ huic de tot tantiſque antiquis Eccleſiæ patribus ſententiæ refragati fuerint. Si totum vero decretum iſtud haudquaquam admittant, quâ demum ratione in unâ illius parte tantopere glorientur? Multo magis, cum nihil prorſus certi habeamus, nec de decreti illius autore, nec de Authenticis, nec de Apocryphis ſcriptis in eodem recenſitis, utpote in quibus enumerandis duo inter ſe Codices non conſentiunt, Cl. Dallæus cauſæ à ſe ſuſceptæ peſſimè conſuluit, cum fundamentum ejus in iſto decreto egerit.

CAP.

CAPUT X.

Synopſis.

I. *Dallæi & Obſervatoris exceptionibus contra teſtimonia pro canonum Apoſt. antiquitate modo reſpondendum.*

II. *Exceptiones Dallæanæ Turrianicam magis quam noſtram ſententiam attingunt. Ubi noſtram attingunt, facilè diluantur.*

III. *Dallæi exceptio contra teſtimonium* S. Athanaſii : *quâ noſtræ ſententiæ ſubſcribit potius quam adverſatur.*

IV. *Teſtimonium* S. Baſilii *defenditur. Ratio iſta* non vindicabis bis in id ipſum *canoni Apoſt.* XXV. *alia quam primi conditoris manu adjecta videtur.*

V. S. Baſilium *rationem iſtam canoni annexam vidiſſe probabile eſt.*

VI. S. Baſilius *aliam inſuper iſtius ſanctionis rationem reddit, ad quam legis conditores reſpexiſſe ei videntur. Unde vis Dallæanæ exceptionis contra hoc teſtimonium tota evertitur.*

VII. *Alia* S. Baſilii *teſtimonia ab exceptionibus Dallæanis vindicantur.*

I. EVERSO Dallæanæ de Canonibus Apoſtolorum opinionis fundamento, quod in Gelaſiano dubiæ fidei decreto jactum eſt, reliqua, quæ tam ab ipſo, quam ab Anonymo obſervatore, contra eos objecta ſunt, facilè diſcutientur. Sed methodi à nobis inſtitutæ ratio poſtulat, ut utriuſque prius contra teſtimonia in canonum iſtorum cauſâ à nobis allata exceptiones examinemus. Etiamſi enim Obſervator ſolus hiſce commentandis occaſionem dederit, cum ille tamen affirmârit, Clariſſimum Dallæum pleraque noſtra refelliſſe argumenta Turrianicis occurrendo objectionibus, & pauciſſima à nobis allata eſſe, quibus à Dallæo abunde non ſatisfactum fuerit, adeo ut etiamnum, ut ipſi videtur, valeant illius reſponſiones quando nullis adverſus eas nos exceptionibus uſi ſumus, pag. 7. Hinc neceſſarium duximus in medium revocare quaſcunque tam Dallæus quam obſervator adverſus ulla è teſtimoniis noſtris (nonnulla enim eorum neuter tetigit) pro canonum Apoſtolorum antiquitate allatis, exceptiones protulit. Eas autem omnes ex utriuſque ſcriptis fideliter excerptas eodem ordine hic diſponemus, quo teſtimonia, quibus objiciuntur, à nobis ante diſpoſita ſunt.

II. Obſervandum autem imprimis eſt, Dallæum contra Turrianum

ſolum, qui hos canones ipſis Apoſtolis acceptos retulit, diſputâſſe. Quo fit, ut exceptiones ejus contra veterum teſtimonia, ut à Turriano allata factæ, eadem (ſi quæ talia occurrunt) ut à nobis noſtræ adſtruendæ opinioni adducta raro, aut leviter tantum attingant. Nos enim Cl. Dallæo lubentes aſſentimur, hos canones nec ab ipſis Apoſtolis conſcriptos, nec à ſancto eorum diſcipulo Clemente Romano editos fuiſſe, & ingenuè confitemur illud è nullis veterum teſtimoniis probari poſſe. Hinc autem nequaquam ſequitur, quin eadem teſtimonia canones hoſce ſecundo tertiove à Chriſti nativitate ſeculo conſtitutos, & quarto quintoque paſſim cognitos fuiſſe demonſtrent. Hoc enim in iis producendis manifeſtum, ut opinor, fecimus. Et quæcunque Dallæus contra ulla ex iis, quæ nos attulimus, teſtimoniis excepit, fidem eorum & noſtræ quidem opinioni comprobandæ aptitudinem pariter atque perſpicuitatem confirmant potius, quam labefactant, ut modo oſtenſuri ſumus.

III. Primum itaque ad evincendam canonum Apoſtolorum antiquitatem teſtem advocavimus S. Athanaſium, qui canones quoſdam à primis Eccleſiæ patribus conſtitutos, cum Apoſtolicis egregie convenientes, & nullibi præterquam in Codice canonum Eccleſiæ primitivæ nobis conſervatos, commemoravit, ut oſtendimus cap. 3. Turrianus graviſſimum hoc teſtimonium adhibuit. Quid contra illud Dallæus? En omnia illius verba. *Athanaſium imprimis laudat Turrianus, quod Georgius Cappadox juſſu comitis per vim in Alexandrinam Eccleſiam immiſſus eſt, id contra priſcos canones Eccleſiaſticos factum fuiſſe affirmantem, eoſque canones non nunc datos Eccleſiis ſcribentem, quin potius pulchrè & firmè à patribus noſtris traditos. Vides quos canones dicat, à Patribus ſcilicet, hoc eſt ab Epiſcopis vel ſynodis conſtitutos, non ab Apoſtolis, quod vult Turrianus. Nam à Domini quidem Apoſtolis non hos canones, ſed fidem ait in nos derivatam eſſe. Jam vero non de fide ſed de canonibus quæritur.* Hæc Dallæus, de pſeud. lib. 3. cap. 9. pag. 522. Hæc ipſiſſima ſunt Dallæi verba, & omnia quæ contra hoc teſtimonium excogitare potuit. Quis autem hic Dallæum non videt in noſtram ſententiam manibus pedibuſque deſcendentem? Canones illos Eccleſiaſticos, quos Athanaſius memoravit, ab antiquis patribus, hoc eſt ab epiſcopis vel ſynodis conſtitutos agnoſcit. Quod quidem idem omnino eſt quod nos volumus, & de quo contendimus. Neque enim nos cum Turriano opinamur, canones hoſce ab ipſis Apoſtolis editos fuiſſe, ſed cum S. Athanaſio aſſerimus, fidem quidem à Domini diſcipulis, canones autem ab antiquis Eccleſiæ patribus in nos derivatos fuiſſe: idque in iſtâ canonum collectione, cui ob venerandam ipſius antiquitatem S. Apoſtolorum nomen præfertur, quippe in quâ ſolâ canones à S. Athanaſio laudati inveniuntur.

untur. Alterum à nobis citatum è S. Athanaſii operibus, ex Arſenii ſcilicet epiſtolâ ad eum miſſâ, Dallæus pariter atque obſervator intactum reliquit, ut nec à Turriano nec à nobis antea productum.

IV. Poſthæc Dallæus S. Baſilium, ut à Turriano etiam ad canonum Apoſtolicorum partes vocatum, aggreditur, aitque, *Baſilii eadem eſt ratio, qui antiquum canonem eſſe ait, ut lapſi ex gradu, ex miniſterii quidem ſacro ejiciantur, communione autem nequaquam priventur.* Concedit Dallæus hunc canonem antiquum fuiſſe; à Clemente autem ſcriptum, & in Turrianicum Codicem relatum hinc ullâ machinâ confiei poſſe negat. Et nos quidem æque ac Dallæus negamus ullo hinc modo probari poſſe, canonem antiquum hic laudatum à Clemente ſcriptum, & in codicem canonum Eccleſiæ primitivæ (quem Dallæus Turrianicam appellitare amat, ac ſi à Turriano primo inventus aut ſaltem in lucem emiſſus fuiſſet) ab eodem S. Apoſtolorum juſſu relatum eſſe. Cum autem ipſe Dallæus negare nequeat, quin antiquus Eccleſiæ canon à S. Baſilio hic laudetur, iſque in canonum Apoſtolicorum Codice eoque ſolo inveniatur, jure merito exinde colligamus, totum iſtorum canonum, inter quos hic numeratur, Codicem S. Baſilio viſum lectumque fuiſſe. Hoc autem ſi aperte concederet Dallæus, provinciam quam defendere ac ornare ſuſcepit, totam defereret, & ſententiam retractare cogeretur. Quocirca alio confugit, & S. Baſilium de canone Apoſtolico XXV. (quo eadem omnino definiuntur, quæ S. Baſilius in antiquo canone definita aſſerit) non cogitâſſe ex eo probare nititur, quod ſanctus pater dicat, ſe arbitrari canonis antiqui iſtius conditores ſecutos eſſe legem illam, *non vindicabis bis in id ipſum.* Quæ, inquit Dallæus, *frigidè ac ineptè diceret, ſi de canonis Turrianici authoribus diceret. Hi enim ſuo illi canoni diſerte ac nominatim hanc rationem addunt, Dicit enim ſcriptura, non vindicabis bis in id ipſum.* Quâ Dallæi reſponſione obſervator adeo contentus fuit, ut argumento ex canone XXV. ducto, quaſi à S. Baſilio ſub antiqui canonis nomine laudatus eſſet, abunde ſatisfeciſſe Dallæum affirmet. Pag. 71. Verum ſi doctiſſimus vir canones Apoſtolicos penitius inſpexiſſet, rationem iſtam non ab ipſis canonis conditoribus adjunctam eſſe, ſed à Scholiaſte aliquo in margine primo notatam, & ex eo deinde in ipſum canonis textum tranſcriptoris alicujus vel ignorantiâ vel incuriâ irrepſiſſe ſuſpicatus eſſet. Hos enim antiquos canones plurimis in locis interpolatos eſſe nemo inficias eat, & nos poſthæc, ubi occaſio occurret, oſtendemus. In hoc autem canone res ipſa id loquitur. Hic enim cautum eſt, ut epiſcopus, presbyter, vel diaconus fornicationis, vel perjurii, vel furti convictus deponatur & non ſegregetur. Hoc totum eſt quod in canone ſancitur, aut conſtituitur. Verba quæ ſequuntur λέγει γὰρ ἡ γραφὴ οὐκ ἐκδικήσεις δὶς ἐπὶ τὸ αὐτὸ,

alienâ manu addita ſunt. Hoc ex eo patet, quod hæc verba indefinitè loquantur, ut in nullum prorſus delictum duplici ſupplicio animadvertatur. Sed nihil apertius eſſe poteſt, quam horum canonum conditores duplicem nonnullis criminibus pœnam impoſuiſſe. Edicunt enim, ut ſi quis vel per pecuniam vel per principes ſeculares Eccleſiam adeptus eſt, is & gradu ſuſcepto deponatur, & à communione fidelium arceatur, Can. Apoſt. XXIX. XXX. Quod ſi iſta ratio, *non vindicabis bis in id ipſum*, apud primos horum canonum conditores aliquid valuiſſet, eam in aliis proculdubio canonibus æque ac in XXV. adhibuiſſent, vel nullibi ſaltem contraria ſtatuere voluiſſent. Aliis autem in locis, ut patet, & quidem ſtatim poſt hunc ipſum canonem ſanciunt, ut bis in id ipſum vindicetur: ac propterea veri prorſus diſſimillimum eſt, ut ipſi iſtam huic canoni rationem adderent. *Dicit enim ſcriptura, non vindicabis bis in id ipſum.* Secundum hæc ſuſpicio ex eo magis augetur, quod cum omnes Codices in primâ canonis parte, quâ totâ ſanctio continetur, optime inter ſe conveniant, in reddendâ iſtâ quæ annectitur ratione, mirum in modum à ſe invicem diſſident. Nonnulli enim codices hanc ultimam canonis partem ſic legunt, λέγει γὰρ γραφὴ, ὐκ ἐκδικήσεις δὶς ἐπὶ τὸ αὐτό· ὡσαύτως καὶ οἱ λοιποὶ κληρικοί. Alii, quos Binius ſequitur, λέγει γὰρ ἡ γραφὴ, ὐκ ἐκδικήσεις δὶς ἐπὶ τὸ αὐτὸ ὁμοίως καὶ οἱ λοιποὶ κληρικοὶ τῇ αὐτῇ αἱρέσει ὑποκείσθωσαν. Alii adhuc, λέγει γὰρ ἡ γραφὴ, ὐκ ἐκδικήσει ὁ Κύριος δὶς ἐπὶ τὸ αὐτό. Sic enim latine transfert Dionyſius Exiguus, *Dicit enim ſcriptura, non vindicabit Dominus bis in id ipſum.* Ubi non modo ultima illa verba, ὡσαύτως καὶ οἱ λοιποὶ κληρικοὶ, &c. excinduntur, ſed ἐκδικήσεις mutatur in ἐκδικήσει, & interſeritur ὁ Κύριος. Quomodo & Paraphraſtes Arabicus legit, ſic enim tranfert, لان الله يقول في كتابه ان الرب لا يعاقب علي ذنب واحد عقوبتين *Nam Deus in Scripturâ dicit, quod Dominus non puniet unum peccatum duobus ſuppliciis.* Et quidem certè in ipſo ſcripturæ loco hic indigitato, viz. Nah. I. IX. non ἐκδικήσεις, ſed juxta Dionyſianam & Arabicam verſionem ἐκδικήσει in tertiâ perſonâ legitur. Ubi enim textus Hebraicus habet, לא תקום פעמים צרה *non conſurget bis anguſtia*, ſeptuaginta interpretes pro תקום, ni fallor, legentes יקום à radice נקם reddiderunt, ὐκ ἐκδικήσει δὶς ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἐν θλίψει. Sic omnes Græci codices legunt. Unde D. Hieronymus latine tranſtulit, *non vindicabit bis in id ipſum in tribulatione.* Quod ideo obiter hic notavi, quoniam in rem noſtram ſtatim erit. Interea hujuſmodi variantes rationis

rationis illius canoni huic Apoſtolico annexæ lectiones, eam totam magis ſuſpectam reddunt, & fidem pleniorem faciunt, eam à primis canonis conditoribus non additam fuiſſe, nec aliud eſſe, quam Scholium interpolatoris alicujus manu adjunctum. Adeo ut utrum S. Baſilius verba iſta huic canoni ſubnexa legerit, an non, parum interſit. Neque enim de ratione canonis, ſed de ipſo canone diſputamus, quem S. Baſilii ætate ſub antiqui canonis nomine in Eccleſiâ obtinuiſſe, ipſa patris verba apertiſſimè demonſtrant.

V. Verumenimvero hæc ratio, licet non ab ipſis canonis conditoribus, ab aliis tamen ante S. Baſilii ætatem addita fuiſſe videtur. Illum enim eam legiſſe, colligere licet ex his ipſius verbis, ἀκολουθησάντων, ὡς οἶμαι, τῶν ἐξ ἀρχῆς τῷ νόμῳ ἐκείνῳ, οὐκ ἐκδικήσεις δὶς ἐπὶ τὸ αὐτὸ, quæ ſic transferantur, *ſequentibus, ut memini, antiquis, ſive primis canonis conditoribus legem illam, non vindicabis bis in id ipſum.* Illud enim οἶμαι ἀποστατικὸν idem ſæpe valet, ut cuique notum eſt, quod εἴ τι μέμνημαι, *Si quid bene memini.* Quam loquendi formulam de rebus antea viſis lectiſve, ſed memoriâ penè elapſis ſæpe uſurpare ſolemus. Sanctus autem Baſilius non modo meminit ſe hanc rationem canoni ſive ſanctioni iſti Eccleſiaſticæ additam legiſſe, ſed & ipſa verba adhuc in memoriâ retinebat: Eadem nimirum quæ in vulgatis canonis Apoſtolici codicibus leguntur, licet alia ac diverſa eſſent in textu prophetico græcæ verſionis, unde aſſumpta ſunt. Cum enim in omnibus, ut ante obſervatum eſt, codicibus Græcis conſtanter legatur, οὐκ ἐκδικήσει δὶς ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἐν θλίψει· Sanctus tamen Baſilius lectionem in canone Apoſtolico uſitatam ſequitur, legens, οὐκ ἐκδικήσεις δὶς ἐπὶ τὸ αὐτό. Quam quidem loci prophetici lectionem neſcio unde ſanctus pater haurire potuit, præterquam ex dicto canone, ut quo ſolo, ni fallor, ante S. Baſilii ætatem invenitur.

VI. Adhæc ſi S. Baſilii canonem paulo attentius perluſtremus, verba iſta, ὡς οἶμαι, quibus ſolis Dallæi argumentum nititur, non tantum ad eam canoni adjectam, verumetiam ad aliam ab ipſo patre excogitatam rationem referenda eſſe patebit. Quod ut manifeſtius evadat, omnia S. Patris de hâc re verba tranſcribere non pigebit. Sic itaque tertius iſte S. Baſilii canon habet. Διάκονος μετὰ τὴν διακονίαν πορνεύσας, ἀπόβλητος μὲν τῆς διακονίας ἔσται, εἰς δὲ τὸν τῶν λαϊκῶν ἀπωσθεὶς τόπον, τῆς κοινωνίας οὐκ εἰρχθήσεται, διότι ἀρχαῖός ἐστι κανὼν, τοὺς ἀπὸ βαθμοῦ πεπτωκότας τούτῳ μόνῳ τῷ τρόπῳ τῆς κολάσεως ὑποβάλλεσθαι. ἀκολουθησάντων, ὡς οἶμαι, τῶν ἐξ ἀρχῆς τῷ νόμῳ ἐκείνῳ, οὐκ ἐκδικήσεις δὶς ἐπὶ τὸ αὐτό,

τὸ, καὶ δι᾽ ἑτέραν δὲ αἰτίαν, ὅτι οἱ μὲν ἐν τῷ λαϊκῷ ὄντες τάγματι ἐκβεβλημένοι τοῦ τόπου τῶν πιστῶν πάλιν εἰς τὸν ἀφ᾽ οὗ ἐξέπεσον τόπον ἀναλαμβάνονται· ὁ δὲ διάκονος ἅπαξ ἔχει διαρκῆ τὴν δίκην τῆς καθαιρέσεως· ὡς οὖν οὐκ ἀποδιδομένης αὐτῷ τῆς διακονίας, ἐπὶ ταύτης ἔστησαν μόνης τῆς ἐκδικήσεως· ταῦτα μὲν οὖν τὰ ἐκ τῶν τύπων. *Diaconus poſt diaconatum fornicatus, à diaconatu quidem ejicietur, in laicorum autem locum detruſus à communione non arcebitur. Quoniam antiquus eſt canon, ut qui à gradu exciderunt, huic ſoli punitionis generi ſubjiciantur. Antiquis, ut exiſtimo, legem illam ſecutis, non vindicabis bis in id ipſum, atque ob aliam vero rationem, quod qui ſunt quidem in ordine laico, à loco fidelium ejecti, rurſus in eum è quo ceciderunt locum recipiantur; Diaconus autem ſemel habet quod ſufficiat diſpoſitionis judicium: Quandoquidem ergo non reddendus ſit ei diaconatus, in eâ ſolâ punitione ſteterunt. Hæc quidem ſunt, quæ ex typis ſive canonibus habentur.* E quibus verbis patet, S. Patrem duas Eccleſiaſticæ hujus ſanctionis cauſas aſſignare, quibus, ut ipſe exiſtimavit, Eccleſiæ primitivæ præſules inducti ſunt, ut eam ederent, ac propterea verba iſta ὡς οἶμαι, ſi transferantur *ut exiſtimo*, non ad primam ſolam, ſed ad utramque referenda ſunt. Ac ſi dixiſſet, *Diaconus fornicationis convictus, gradu quidem deponetur, ſed non etiam excommunicabitur, quoniam in antiquis canonibus, quibus Eccleſiaſtica adminiſtratur diſciplina, cautum eſt, ut clericus fornicationis, *perjurii furtive convictus, *deponatur tantummodo, & non item ſegregetur. Quam quidem ſanctionem antiqui Eccleſiæ Patres ediderunt, non eo tantum, ut ipſe quidem exiſtimo, quod propheta dicat, non vindicabis bis in id ipſum, verum & propter aliam cauſam, nimirum quod Laici quidem fidelium communione ejecti, ad priſtinum per pœnitentiam locum reſtituantur; Clerici autem, ſi Sacerdotio ſemel exciderunt, ad illud amplius non revertuntur: qui propterea, ut ſatis pœnarum per depoſitionem luentes, à fidelium communione non arceantur, juxta quod in antiquis Eccleſiæ typis ſive canonibus ſtatutum eſt.* Cum prima igitur ex hiſce rationibus ipſi canoni annexa ſit, de alterâ autem altum in eo ſilentium, doctiſſimus pater non potuit non interjicere verba iſta ὡς οἶμαι, eo quod, licet bene noviſſet, τοὺς ἐξ ἀρχῆς in antiquo iſto condendo canone legem illam ſecutos eſſe, *non vindicabis bis in id ipſum*, ut quam ipſi canoni adjunctam viderat, de alterâ tamen ratione à ſe excogitatâ merito dubitare potuit, an patribus in mentem veniſſet, ac proinde illam dubitandi formulam jure merito uſurpavit. Quæ cum ita ſint, illuſtre hoc S. Baſilii de canonibus Apoſtolorum teſtimonium, Dallæanâ iſtâ objectione non modo non invalidum

validum redditur, ſed & potentius admodum firmiuſque evadit. Ex ultimis enim ſanctiſſimi patris verbis ante citatis conſtat, cum antiquum iſtum canonem à ſe commemoratum ex typis Eccleſiæ ſive canonibus ipſius ætate obſervatis laudâſſe, eoſdemque aſſeruiſſe ὑπὸ τῶν ἐξ ἀρχῆς ab Eccleſiæ initio conſtitutos. Et cum antiquus iſte canon ab ipſo nominatim laudatus, inter Apoſtolicos etiamnum extet, typos ſive canones illos, quos ipſe memoravit, & è quibus iſtum citavit, eoſdem fuiſſe atque Apoſtolicos legitimè concludamus.

VII. Ad reliqua, quæ ex S. Baſilii canonibus, primo ſcilicet & duodecimo, citavimus, teſtimonia reſpondit Dallæus, neque Apoſtolorum, neque Clementis, neque ullius omnino ſylloges ullam vel tenuiſſimam in iis occurrere mentionem, *Tantum*, inquit, *Canones nominantur, qui ſcilicet in Eccleſiæ illius uſu erant.* Apoſtolorum autem aut Clementis nomen iſtis S. Baſilii canonibus non inſertum eſſe nihil noſtrâ refert, qui hos canones nec Apoſtolis nec Clementi acceptos ferimus. Nec opus eſt ut ſylloges mentio ibi occurrat. Nobis ſufficit, quod ipſo etiam fatente Dallæo, canones ibi nominentur, qui in Eccleſiæ illius uſu erant. Cum canones enim ab eo nominati, inter Apoſtolicos, eoſque ſolos hodie comperiantur; cumque ſanctus pater non ſingularem aliquem Canonem, ſed canones, qui in Eccleſiæ illius uſu erant, acervatim memoret; ſub iſto generali nomine totam illam canonum Apoſtolicorum collectionem, in quâ canones ab ipſo nominati continentur, in Eccleſiæ illius uſu tunc temporis fuiſſe, clare ſatis indicat. Quod vero quæ iſthic decernit S. Baſilius ex Eccleſiæ ſuæ inſtituto in Apoſtolorum canonibus XLVI. (Sic enim legendum non XL.) & XVII. propemodum eadem præcipiantur, *Hoc*, inquit Dallæus, *non magis probat Eccleſiam ſua à Turrianico legiſlatore*, hoc eſt, à canonum Apoſtolicorum conditore, *accepiſſe, quam hunc ſua ab illa furatum eſſe, quod nos*, inquit, *verum eſſe defendimus*; Et nos etiam, ſi qui canones ab Eccleſiâ conſtitutos colligit, eos ab illâ furatus eſſe dicatur. Quod ſi de Eccleſiâ ut S. Baſilii diebus militante loquatur, canonum horum collector ſuos ex eâ canones furari (ut loqui amat Dallæus) non potuit: Neque enim ipſa eos conſtituit, ſed longe ante conſtitutos agnovit. Et præterea S. Baſilius canones ab Eccleſiâ ſuâ receptos memorat quidem, ſed eos nequaquam recitat: ac proinde canonum horum collector ſuos ex ejus ſcriptis accipere non potuit, ut in quibus nulli ſunt. Ex eo autem, quod Canones Apoſtolorum eadem atque illi à S. Baſilico nominati, non modo *propemodum* ſed diſertiſſime præcipiant, pluſquam veri nobis ſimillimum redditur, totam hanc canonum colle-

collectionem in Eccleſiâ tunc temporis vulgo cognitam & magni paſſim æſtimatam fuiſſe. Enimvero incredidile prorſus eſt, ut omnes à S. Baſilio nominati canones exquiſite adeo inter Apoſtolicos eoſque ſolos invenirentur, niſi ex iis primo citati fuiſſent. His itaque prætermiſſis ad alia, & majora forte, progrediamur.

CAPUT

C A P U T XI.

Synopſis.

I. *Synodi* Nicænæ *teſtimonium pro canonibus Apoſt. ex primo ipſius canone de Eunuchis petitum, defenditur.*

II. *Quæ contra alia ejuſdem Synodi teſtimonia excipiuntur, paucis diſcutiuntur.*

III. *Synodi* Antiochenæ *teſtimonia vindicantur. Quare canones Apoſtolorum ſub numeris, quibus diſtincti ſunt, antiquitus non laudati fuerunt.*

IV. *Palmaria contra teſtimonia à nobis adducta, exceptio, ex eo ſumpta, quod omnes antiquiores à Synodis citati canones inter Apoſtolicos non inveniantur.*

V. *E quatuor iſtiuſmodi productis canonibus contra duos excipitur, viz.* Syn. Nic. XVIII. & Neocæſar. XV. *ut huc minime pertinentes.*

VI. *Reliquos duos, ſive* Nic. XIII. & Ancyr. XXI. *Dallæi cauſam non promovere oſtenditur.*

VII. *A canonibus Apoſt. injuſte exigitur, ut omnes ab antiquis Synodis laudati canones inter eos invenirentur.*

VIII. *Aliæ à Dalleo contra teſtimonia è Synodis* Nic. & Antioch. *allatæ exceptiones diluuntur.*

IX. *Diſcutiuntur quæ Obſervator in hâc diſputatione obſervanda præſcribit.*

X. *Quam temerè ſibi propoſuit Obſervator, omnia pro canonibus Apoſt. teſtimonia deſpectui habere, quamdiu canones a Synodis laudati ad alia quæcunque ſcripta vel etiam ad priſcam conſuetudinem referantur.*

XI. *Non mirum eſt quod canones Apoſt. à Synodo* Antioch. *renovati fuerint.*

I. POST ſanctiſſimos patres Athanaſium & Baſilium, primam generalem CCCXVIII. Epiſcoporum ſynodum Nicææ habitam, ſuum his canonibus Apoſtolorum vulgo dictis teſtimonium perhibuiſſe oſtendimus, Cap. IV. & primò quidem patres Nicænos in primo ipſorum condendo canone de Eunuchis à ſe factis Sacerdotio arcendis, promovendis autem ſi digni fuerint qui ab aliis execti ſunt, ad canones Apoſt. XXI. XXII. XXIII. reſpectum habuiſſe probavimus. Quid è contra Dallæus? Fatetur quidem *illud hinc haberi, fuiſſe jam ante Nicænæ Synodi tempora aliquam in Eccleſiâ regulam, ex quâ hæc ita adminiſtra-*

rentur. De Pſeudep. lib. 3. cap. 8. pag. 504. Et hoc quidem illud eſt quod nos volumus. Regulam enim iſtam ab Apoſtolis conſtitutam, vel a Clemente Romano literis mandatam, vel ab eodem in Canonum Apoſtolorum ſyllogen relatam fuiſſe, nos pariter cum eo negamus hinc, negamus ex ullo veteri quatuor priorum ſeculorum ſcriptore confici poſſe. Sed grati accipimus quod dare dignatus eſt, hanc ſcilicet de Eunuchis regulam ante Synodi Nicænæ tempora ſancitam fuiſſe & divulgatam, & ab eâdem Synodo hic commemoratam. Hinc autem conſequitur Canonum Apoſtolicorum collectionem eidem Synodo viſam cognitamque fuiſſe, utpote quâ ſolâ Canon ille ſive regula ante iſtam Synodum edita, continetur, idque accuratè adeo, ut nihil prorſus in primo iſto Nicæno de Eunuchis Canone conſtituatur, quod in ſupradictis Canonibus Apoſtolorum non conſtitutum eſt. Quinetiam niſi hoc concedamus, regulam iſtam a Synodo Nicænâ notatam ſine omni ratione intercidiſſe & perditam eſſe affirmemus neceſſe eſt, cum nulla id aſſerendi cauſâ idonea appareat, quandoquidem eam inter Apoſtolicos habeamus Canones quibus alii complures æque ac Nicæni patres teſtimonia ſua pertribuerant Verum ulterius adhuc procedit doctiſſimus vir, dicitque vero ſibi propius videri, ex Origenici, qui adoleſcens ſe emaſculaverat, facti occaſione vetitum ab Eccleſiaſticis præpoſitis, ne quis tale quid pietatis ſpecie vel illius viri exemplo auderet, & ſi quis auderet, is à ſacris ſubmoveretur, *eamque deinceps regulam & apud Eccleſias obtinuiſſe, & a Nicænis patribus hoc loco intelligi*. Dall. ibid. pag. 505. Verumenimvero Origenes facinus iſtud tertio ineunte ſeculo perpetravit: ac propterea ſi id factum regulæ iſti condendæ occaſionem dederit, condita quidem fuit ſtatim poſt tertii ſeculi initium: Quo circiter tempore nos Canones Apoſtolorum ſancitos fuiſſe defendimus. Adeo ut quantum ad iſtam ſaltem regulam, quæ quatuor è dictis Canonibus, *viz*. XXI. XXII. XXIII. & XXIV. conſtituit, ipſum Dallæum nobis optime conſentientem habeamus. Quod ſi iſta regula, ut Dallæus ipſe Synodi Nicænæ teſtimonio victus fatetur, iſtis diebus condita fuerit, nihil eſt quod eandem reliquis, quibuſcum iſta conſociatur regulis, antiquitatem invideamus.

II. Eadem ferè clariſſimus vir contra alia nonnulla è Canonibus Nicænis pro Apoſtolicis allata teſtimonia profert, contra ea nimirum quæ ex Canonibus Nicænis II. V. & XV. adduximus. Enimvero non negat, quoniam negare nequicquam potuit, antiquos quoſdam Eccleſiæ Canones à patribus Nicænis ibidem laudatos eſſe, & ſimilia in Apoſtolicis Canonibus decreta etiamnum inveniri. Canonem autem in ſecundo Nicæno nominatum non Apoſtolicæ ſed Eccleſiaſticæ tantum inſtitutionis eſſe ex eo probat, quod κανὼν ἐκκλησιαστικὸς ibidem vocetur. In quo, licet ratio forſitan ab eo allata id non probet, non gravatè ei aſſentimur. Canones

nones autem in quinto & XV. Nicæno memoratos, nihil aliud ſignificare contendit, quam *publicum Eccleſiæ illorum temporum uſum apud omnes receptum.* Unde autem novam hanc & antehac inauditam τοῦ χωρίου ſignificationem hauſerit, hariolari nequeo. Neque enim uſus aliquis *Canonis* unquam nomine ab Eccleſiâ decorari meruit, niſi publicâ illius autoritate prius receptus & ſtabilitus fuit. Hæc autem reſponſio ipſi minus placuiſſe videtur, ac proinde ad ſolitum ejus diverticulum ſe convertit vir eruditus, aſſeritque Canonum Apoſtolicorum collectorem ſuos ex Nicænis furatum eſſe. Quod quidem non eſt probare, ſed τὸ ἐν ἀρχῇ petere. Hoc enim eſt quod controvertitur: atque ideo non nudis aſſertionibus, ſed armatis, ſi quæ habuit, argumentis pugnare debuit. Ut ille enim Canones Apoſtolicos è Nicænis, ſic ipſe è contra Nicænos ex Apoſtolicis ſumptos fuiſſe aſſero. Quis autem noſtris hujuſmodi aſſertionibus fidem debet? Nos ſane majorem non expectamus fidem quam quæ ſummâ, cujus cauſa à nobis ſuſcepta capax eſt, ratione perſuadetur. Ac idcirco in teſtimoniis adducendis probare conati ſumus, Synodum Nicænam Apoſtolicos hoſce Canones uſque adeo cognitos habuiſſe, ut nonnullos eorum explicare, & ſuâ univerſalis Synodi autoritate confirmare videatur. Ubi & alia ex eâdem Synodo teſtimonia congeſſimus contra quæ nec Dallæus nec Obſervator quicquâm excepit.

III. Ad hæc Synodum Antiochenam, An. Dom. CCCXLI. habitam, Canones Apoſtolicos non modo citâſſe, verumetiam pleroſque ſuos ex iis condidiſſe fusè oſtendimus. Turrianus nonnulla ex ejuſdem Synodi teſtimoniis adhibuit, ut probaret hanc Canonum collectionem jam tum fuiſſe Eccleſiæ cognitam. Cui Dallæus reſpondit, ut ſupra, ex his tantum legitimè concludi poſſe, ea quæ in Antiochenis Canonibus continentur, *jam ante illam Synodum in uſu Eccleſiaſtico fuiſſe, à ſuperioris memoriæ ſive Synodis ſive Epiſcopis conſtituta.* Dall. lib. 3. cap. 8. pag. 512. Concedit itaque & nobiſcum conſentit Canones a Synodo Antiochenâ memoratos Eccleſiaſticâ autoritate priùs fuiſſe conſtitutos. Quid autem negat? negat hinc fieri, ut iſta Canonum Apoſtolicorum collectio tunc extiterit. *Quæ*, inquit, *ſi vel Antiochenis vel aliis ejuſdem ſeculi patribus cognita fuiſſet, cauſa dici non poteſt, cur non interdum eam ubi occaſio incidebat, vel Apoſtolorum vel Clementis nomine, vel ſub numeris quibus ea diſtinguitur, diſerte laudaverint.* Reſpondeo ex ipſis doctiſſimi viri verbis, cauſam dici non poſſe, cur patres hanc collectionem iſthoc modo laudarent, licet iis notiſſima fuiſſet. Imo quidem propterea quod iis notiſſima erat, non opus fuit ut eam ita laudarent. Cùm enim inter omnes tunc temporis conveniret, hanc Canonum collectionem à majoribus ſuis traditam fuiſſe, & Eccleſiam ante hominum memoriam per eam adminiſtratam, atque omnes proinde Canones in eam collectos, nemini

incognitos eſſe, quare eam ſub Apoſtolorum aut Clementis nomine laudarent? Quid etiam opus erat, ut collectio iſta ſub numeris quibus diſtinguitur, diſertè unquam laudaretur? Incertum quidem eſt utrum numeris ſuis adhuc diſtincta fuerit, ut hic diceretur primus, alter ſecundus Canon, & ſic deinceps, an reliquorum ad inſtar iſtâ ætate ſcriptorum, quod nobis vero propius videtur, Canones eodem quidem ordine ſed verſiculis ſive numeris ſuis nondum diſtinctos exhibuerit. Et ſi demus Canones eodem quo hodie modo iſtis etiam diebus ſingulatim numeratos eſſe, non neceſſe tamen fuit, ut cum citati ſunt, numerus etiam quem in codice obtinebant, indicaretur. Ex ipſo enim nominato Canone ſatis conſtabat, ubi inveniretur. Quin in omnibus etiam veteris Eccleſiæ commentariis, nullum antiquioris cujuſvis ſcripti, nullum ſacroſanctæ ipſius ſcripturæ locum ſub verſiculorum ſive τῶν περικοπῶν numeris citatum legimus. Ipſi etiam Canones Nicæni ubi gentium a quovis antiquo ſcriptore ſub numeris quibus diſtincti ſunt, diſerte laudantur? Fateor equidem Codicem Canonum Eccleſiæ univerſæ, ex quo, ut opinor, ſolo Dallæus hanc objectionem fabricatus eſt, in Actis concilii Chalcedonenſis ſub diſtinctis Canonum quorundam numeris citatum eſſe. Verum ante iſtud concilium nuſquam ita citatus legitur, & raro, ſi unquam, poſtea. Veteres enim Eccleſiæ patres in iis ſaltem quæ ediderunt pietatis ſuæ ac doctrinæ monumentis, Canones Eccleſiaſticos ſuis cujuſque diebus obtinentes ſcrupuloſè adeo recitare nunquam ſoliti fuerunt, ut omnes in eorum ſcriptis vel mediocriter verſati probe norunt. Ac proinde ut ſuum ipſius argumentum in clariſſimum virum retorqueam, nulla cauſa dici poteſt, cur hæc Canonum collectio numeris quibus diſtincta eſt, diſerte unquam laudaretur, vel quod idem eſt, ut hoc potius quam alia veterum commentaria preciſè adeo recitaretur.

IV. Cum itaque vetuſtiores illi canones à Synodo Antiochenâ memorati inter Apoſtolicos, & nullibi prætcrea comperiantur, hanc Canonum Apoſtolicorum ſyllogen Synodo iſti cognitam fuiſſe, jure merito concludamus. Hic autem Dallæus infirmitatis, quâ prius argumentum laborat, ſibi conſcius, aliò confugit. Nonnullos enim, omnes nimirum quos invenire potuit, Canones à Synodis ſancitos affert, quibus antiquiores quidem Canones citantur, qui tamen inter Apoſtolicos nulli ſunt. Enimvero in Synodi Nicænæ Canone XIII. hæc habentur verba; *De iis qui ad exitum veniunt*, ὁ παλαιὸς καὶ κανονικὸς νόμος, *Lex antiqua & Canonica ſervabitur, ita ut ſi quis egreditur è corpore, ultimo & neceſſario viatico minimè privetur.* Item eadem Synodus Canone XVIII. dicit, *nec canonem nec conſuetudinem eſſe, ut quod in quibuſdam locis fiebat, presbyteris gratiam ſacræ communionis Diaconi porrigerent.*

(Miror

(Miror autem ut canon hic citetur, ubi expreſſe dicitur *canonem* non eſſe). Item Ancyrani Patres τ̃ πρότερον ὅρον *antiquum*, interprete Dionyſio, *definitionem ſive regulam prohibuiſſe* aiunt, *ne mulieres quæ fornicatæ fœtus in utero perimerent, ante vitæ exitum communionem acciperent.* Syn. Ancyr. Can. XXI. Et Neocæſarienſis Synodus affirmat, *Septem eſſe debere in unaquâque Eccleſiâ Diaconos* κτ̃ τ̃ κανόνα, *juxta regulam.* Syn. Neocæſ. Can. XV. Ex hiſce veterum Synodorum Canonibus certiſſimam ſibi victoriam promittit Dallæus. Ex primo enim ſe diſputat, *Dic nobis ſodes quo loco antiqua illa regularisque lex in Apoſtolicis tuis canonibus habeatur? Recita eum quæſo ex tuo codice. Numerum ede ſub quo diſpoſita eſt. At non facies, niſi Apoſtolorum codicem nobis ex alicujus Arabiæ angulis hoc tuo noſtroque auctiorem & locupletiorem promas.* Dall. pag. 513, 514. Ex omnibus etiam à ſe citatis canonibus, quibus antiquiores memorantur, neceſſario confitendum eſſe concludit, *etiam ante Synodorum iſtarum tempora extitiſſe aliquas in Eccleſiâ regulas quarum nulla invenitur in iis quæ eorum temporum ſuperſunt, monumentis mentio, quæque è Codice canonum Apoſtolicorum non citatæ ſunt, nec citari potuerunt, in quo ſcilicet nullæ ſunt.* Hoc eſt palmarium illud & inſuperabile argumentum, ad cujus expugnationem nos tantâ verborum contumeliâ provocat Obſervator; *Verumenimvero* inquit, *ne vulgari ſuo paralogiſmo, in quo tantopere ſe jactat Beveregius, in poſterum abutatur, Turriani veſtigia calcans, conſulat quæſo quæ affert clariſſimus Dallæus, cap. 8. pag. 513, 514. ut paralogiſmi illius vanitatem oſtendat, ejus expendat interrogationes, illiſque appoſitè reſpondeat. Et ni argumenti ſui vitium deprehendit, eum talpâ cæciorem eſſe oportet.* Obſervat. pag. 13. En impetuoſas anticipati judicii vires! En quo immodica partium ſtudia viros perducunt miſeros! quantum doctiſſimorum etiam oculis effundunt pulverem! adeo ut ipſi non modo cæcutiant, ſed & alios omnes talpis cæciores eſſe putent, niſi illud videant quod non eſt!

V. Nos ſane conſuluimus quæcunque clariſſimus Dallæus paginis citatis attulit; omnes ejus etiam atque etiam expendimus interrogationes, & tamen argumenti noſtri vitium uſque adeo non deprehendimus, ut in eo magis magiſque confirmemur. Primo enim è quatuor iſtis à Dallæo citatis canonibus, duo neceſſariò excipiendi ſunt, ut huc minime pertinentes. Nimirum Synodi Nicænæ Canon XVIII. & Neocæſarienſis XV. Iſte enim Nicænus Canon diſerte dicit *nec canonem nec conſuetudinem eſſe* ut diaconi presbyteris gratiam ſacræ communionis porrigerent? Quis vero niſi Dallæus forſitan ac Obſervator, hinc confici poſſe exiſtimet, Canonem tunc temporis extare quo cautum eſt ne diaconi id facerent? Patres Nicæni dicunt Canonem non eſſe; hinccine ſequitur Canonem eſſe?

Sed

Sed Canon non erat, ut Diaconi id facerent; *Ergo*, inquit vir doctus, *Canon erat, ne Diaconi id facerent.* Hoc autem ex eo legitimè concludi, ſibi forſitan ac obſervatori perſuadeat Dallæus, aliis nunquam perſuadebit, quamdiu logica in ſcholiis vel ratio in hominum animis reſideat. Etiamſi enim nullus adhuc extaret Canon illud Diaconis permittens, minimè tamen ſequitur aliquem extitiſſe Canonem hoc illis prohibentem, qui ſi extitiſſet à patribus hoc in loco haud dubie citatus eſſet, nec dixiſſent Canonem non eſſe, ut id fieret, ſed Canonem eſſe ut id non fieret. Ex hâc autem loquendi formulâ patres Nicæni clare ſatis demonſtrant, nullum adhuc de hâc re editum fuiſſe Canonem: Ac propterea ipſi unum conſtituunt. Quod præterea patres Neocæſarienſes affirmant, ſeptem eſſe debere Diaconos in unaquaque Eccleſia κατὰ τὸν κανόνα, id non de Eccleſiæ ſed S. Scripturæ Canone intelligendum eſt, de Canone verè Apoſtolico, ab ipſis nimirum Domini noſtri Apoſtolis conſtituto, Act. Cap. VI. Quemadmodum Patres Trullani Canonem iſtum Neocæſarienſem interpretantur, Can. Trull. XVI. Et ipſi quoque Neocæſarienſes patres Canonem a ſe nominatum ab Apoſtolicâ iſtâ conſtitutione arceſſunt, hanc ſanctionis ſuæ rationem reddentes, Πεισθείση δὲ ἀπὸ τῆς βίβλου τῶν πράξεων, *Ejus autem rei fidem tibi facit liber Actuum.* Quocirca Canon ille à patribus Neocæſarienſibus nominatus, haudquaquam inter Eccleſiaſticos illos numeretur Canones, qui ante iſtius Synodi tempora ſolâ Eccleſiaſticâ autoritate conſtituti fuerant. Quos tamen ſolos Dallæus indicare voluit. Alioquin enim fruſtra nos evocaret oſtendere, in quibus antiquis Eccleſiæ monumentis inveniatur. Ac propterea cauſa noſtra nihil ex eo detrimenti patitur, quod hic Canon inter Apoſtolicos non occurrat. Neque ullum prorſus rationis prætextum habuit Dallæus, quare hunc inter eos recenſeret Canones, qui ab antiquis quidem patribus laudantur, & tamen inter eos, quos Apoſtolicos vocamus, non inveniuntur.

VI. Sed duo adhuc ſuperſunt Canones quibus antiquiorum ut Dallæus opinatur, Canonum mentio inducitur, qui tamen in codice Canonum Eccleſiæ primitivæ non inveniuntur. Illi ſunt Nicænus XIII. & Ancyranus XXI. quorum iſte παλαιὸν καὶ κανονικὸν νόμον, hic πρότερον ὅρον citat. Sed obſervandum eſt, neutrum horum de antiquis Canonibus diſerte meminiſſe. Canon enim Nicænus non τὸν παλαιὸν κανόνα, ſed tantum κανονικὸν νόμον memorat, hoc eſt, antiquum morem ritumve ab Eccleſiâ admiſſum, quo nemo corpore egreſſurus ultimo viatico privatus eſt. Qui quidem νόμος ſive *ritus* idcirco παλαιὸς καὶ κανονικὸς appellatur, quod antiquo iſti Apoſtolico Canoni conſentaneus ſit, quo cautum eſt, ut qui à peccatis convertitur, in Eccleſiam recipiatur, Can. Apoſt. LII. Ea enim ſemper fuit Eccleſiæ Chriſtianæ charitas, ut crederet, vel pro ſuppoſito ſaltem

ſaltem haberet, Chriſtianum quemlibet ritè baptizatum ſinceram anteactæ vitæ pœnitentiam agere & ad ſe redire, cum corpore egreſſurus eſt. Cui propterea viaticum κανονικῶς conceſſum eſt. Et hunc quidem ritum diu ante hanc Synodum in Eccleſiâ obtinuiſſe, ex eo patet, quod Dionyſius Alexandrinus Anno circiter CCLX. Presbyteris ſuis in mandatis dederit, ut morituris ſi peterent, venia, ſive communio indulgeretur; Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 6. cap. 44. iiſdem etiam diebus inter clerum Romanum, ſede vacante, convenit, ut iis, quibus ſpes vivendi ſecundum hominem nulla ſubſtiterit, ſi vera pœnitentis animi ſigna prodiderint, cautè & ſolicitè ſubveniatur. Ut conſtat ex ejuſdem Romani cleri ad D. Cyprianum Epiſtolâ, quæ inter patris iſtius Epiſtolas eſt XXXI. Hic autem cleri Romani conventus nihil de iſthâc re certi conſtituere, nedum Canonem quo alii conſtringerentur, edere potuit, ut ſede vacante celebratus. Sed licet nec Dionyſii mandatum presbyteris ſuis datum, neq; hoc cleri Romani ſtatutum, *Canon Eccleſiaſticus* proprie dicatur, nihil tamen obſtat quin ritus ab iis obſervatus κανονικὸς νόμος nuncupetur. Canonem autem de hâc re ante Nicænum editum non legimus excepto forſitan Ancyrano ſexto, qui antiquus à Synodo Nicænà dici non potuit, ut paucis ante annis Divulgatus. Quin ipſi etiam patres Nicæni clarè ſatis indicant talem ſibi canonem non innotuiſſe, eo quod non παλαιὸν κανόνα, ſed tantum παλαιὸν καὶ κανονικὸν νόμον citant. Ad eundem etiam modum Synodus Ancyrana, canone XXI. non priorem aliquem *canonem* ſed πρότερον ὅρον laudat, determinationem ſcilicet, ſive definitionem judicialem quâ mulieribus quæ fœtus in utero perimunt, communione uſque ad vitæ exitum interdictum fuit. Adeo ut tam Ancyrani quam Nicæni patres non παλαιὸν ſive πρότερον κανόνα, ſed illi quidem πρότερον ὅρον, hi παλαιὸν καὶ κανονικὸν νόμον eo tantum nomine citâſſe videantur, quod nulli adhuc Eccleſiaſtici de hiſce rebus canones extarent, qui ſi extitiſſent, cauſa dici non poteſt, quare non aliorum ad inſtar canonum diſertis verbis laudarentur. Unde liquet quam iniquè cum canonibus Apoſtolorum egerit Dallæus, qui eorum antiquitatem ex eo oppugnare conatus eſt, quod plures ab antiquis Synodis antiquiores citentur canones, qui inter Apoſtolicos non occurrunt, licet ipſe nullum antiquiorem à quavis Synodo quarto ineunte ſeculo celebratâ diſerte citatum canonem invenire potuit, qui inter Apoſtolicos non etiamnum extat. Quod quidem noſtram de iis opinionem egregiè confirmat. Cum enim magna, ſi non maxima, ut oſtendimus, pars eorum, ab antiquis patribus Synodiſque citati fuerint ipſeque acerrimus eorum oppugnator, nec unum quarto ſeculo laudatum diſerte canonem quærendo inveſtigare potuit, qui inter eos etiamnum non habetur, quis in poſterum dubitabit quin

hi

hi canones iſto ſeculo, & antea cogniti fuerint, & ubique fere obtinuerint?

VII. Verumenimvero pluma haud intereſt,ſi demus nonnullos à quarti ſeculi conciliis laudatos fuiſſe canones, qui in Apoſtolicorum codice monſtrari nequeunt. Quid enim hinc ſequitur? nec Apoſtolicos illis cognitos fuiſſe, licet ab iis ſæpius laudentur? Nequicquam. Sed ſequitur, inquit Dallæus, nonnullos iſtis temporibus extitiſſe antiquos canones, quorum nulla inter Apoſtolicos mentio occurrit, ac proinde quamvis alii ab iſtis conciliis laudati canones nullibi præterquam inter Apoſtolicos reperiantur, eos tamen ex Apoſtolicorum codice laudatos fuiſſe, haud legitime ex eo concludi poteſt: quoniam ſcilicet nonnulli ab ipſis citati in illo codice non inveniuntur. Hæc ſumma eſt diſputationis ab erudito viro in hâc cauſâ inſtitutæ. Quæ tamen huc tantum redit, omnes antiquos ante Nicænam Synodum conſtitutos canones, in Apoſtolicorum codicem non collectos fuiſſe. Quod & nos quoque faciles concedamus. Neque enim in eam unquam venimus ſententiam, quod hic codex omnes omnino contineat canones, qui ab Apoſtolicæ & primitivæ Eccleſiæ patribus ſanciti editique fuerunt. Quemadmodum enim non modo poſt editum, verum & inter edendum codicem canonum Eccleſiæ univerſæ, alii complures canones à localibus ſive provincialibus Synodis divulgati ſunt; ſic & alii haud dubie nonnulli à primitivâ Eccleſiâ aliquibus ſaltem in locis conſtituti ſunt canones præter eos, qui in hunc codicem canonum Eccleſiæ primitivæ congeſti ſunt. Cùm tamen ſi non omnes multo tamen maxima pars canonum qui à Nicænâ aliiſque tunc dierum celebratis Synodis laudati ſunt, in hoc codice canonum Eccleſiæ primitivæ & nuſquam præterea inveniantur, meritiſſimo quidem jure ex eo arguamus hunc codicem iſto ſeculo publicatum, vulgoque notum fuiſſe. Sapientiſſimi enim cujuſque fides reſpuit, ut ipſi illi qui Apoſtolicorum codicem conſtituunt canones, à patribus Synodiſque iſtorum temporum toties citarentur, & tamen codex ipſe ex iis conflatus, illos lateret. Præſertim cum ipſi etiam canones ab iis toties citati, in nulla aliâ canonum collectione, in nullo alio cujuſvis antiqui ſcriptoris commentario, in nullo alio Eccleſiæ primitivæ monumento, præterquam in unico hoc codice habeantur. Si omnes, fateor, alibi invenirentur, non ſine cauſâ ſuſpicari liceret, eos ex aliâ iſtâ, in quâ reperti ſunt, collectione canonum vel antiquo ſcripto laudatos fuiſſe, vel ſaltem laudari potuiſſe. Cùm autem in omnibus quæ nobis tradita ſunt ſecundi tertiiq; poſt Chriſti nativitatem ſeculi opuſculis, commentariis, epiſtolis, dialogis, hiſtoriis, diſputationibus, tractatibus, orationibus, vel ut ſemel dicam ſcriptis, nulla prorſus eorum qui quarto currente ſeculo laudati ſunt canonum veſtigia extent, præterquam in unico Apoſtolicorum codice, ubi omnes ſimul occurrunt, ſi hinc non legitimè concludatur, dictum codicem iſtis tem-

temporibus cognitum fuiſſe, nihil omnino certi è quibuſlibet veteris Eccleſiæ monumentis inferri poteſt, quod non totidem verbis in iiſdem continetur. Quod nec ipſe, ut opinor, Dallæus, ſi reviviſceret, affirmare voluit. Me ſanè fugit, quo demum pacto hujus naturæ cauſa clarioribus argumentis demonſtrari poteſt.

VIII. Sed inſtat vir doctus, urgetque *eas quas nobis leges, regulas, definitiones, conſtitutiones patrum vel Eccleſiæ memorat Nicænà, & Antiochena, & ſi qua alia Synodus, eæ erant quæ tum in Eccleſiæ regimine obtinebant, vel tacito omnium conſenſu receptæ, quales eas præſertim fuiſſe credibile eſt, quas* ἔθη, *Conſuetudines vocant, vel quæ alicujus ſive Synodi, ſive Epiſcopi decreto præceptæ, ac ſancitæ, vel in unâ Provinciâ, vel in pluribus, vel etiam in omnibus obſervabantur.* Dall. pag. 517. Et hucuſque quidem me aſſenſorem habet, regulas ſive canones à Nicænâ aliiſque ſynodis memoratos, antiquiorum patrum vel ſynodorum decreto ſancitos, & vel in unâ vel in pluribus, vel etiam in omnibus provinciis obſervatos eſſe. Sed adhuc ſub judice lis eſt, utrum iſti canones in codicem Apoſtolicorum antea collecti, & ex eodem a ſynodis iſtis laudati fuerint. Hoc nos ſummâ ratione affirmamus, quoniam in iſto codice eoque ſolo non modo hiſce ſed & ab antiquis temporibus inventi ſunt. Dallæus autem in contrariam abiit ſententiam, ſolâ ſuſpicione ductus, quod ea ſcripta, è quibus iſti canones citati ſunt, modo interciderint. *Quod ſi,* inquit, *extarent omnia veterum ante Nicænam ſynodum, vel conciliorum, vel Epiſcoporum decreta, ac conſtituta, facilius nobis eſſet, ſingularum iſtarum regularum origines authoreſque demonſtrare.* Verumenimvero ſi alia extarent Eccleſiæ primitivæ monumenta, in quibus hi canones deſcripti eſſent, eâdem ratione ea quoque ſpuria & ſuppoſititia eſſe affirmet, quâ codicem illum, in quo eos deſcriptos habemus, veteribus incognitos fuiſſe aſſerit. Atque ita ſi omnia veterum ante Nicænam ſynodum vel conciliorum vel Epiſcoporum decreta extarent, haud tamen facilius eſſet demonſtrare, unde Nicæna aliæque ſynodi canones a ſe memoratos citaverint: Impoſſibile enim eſt, ut in quovis ſcripto planius pleniuſque, quam in codice canonum Apoſtolicorum exhibeantur. *Sed facile,* inquit, *ut quivis videt, fieri poteſt, ut his idem quod illis aliis quas ex Nicæno, Ancyrano, & Neocæſarienſi conciliis attulimus, acciderit, nimirum ut ea perierint, vel ſynodorum vel patrum Acta atque codices, ex quibus a veteribus citabantur.* Verum ſuppoſito, quod probari nequit, Eccleſiaſticos quoſdam canones a Nicæno, Ancyrano, & Neocæſarienſi conciliis citatos eſſe, qui nec in Apoſtolicorum, nec in alio quovis codice habentur, fieri tamen non poteſt, ut ea etiam perierint vel ſynodorum vel patrum Acta atq; codices, ex quibus illi alii citabantur: Etiamnum enim in codice canonum Eccleſiæ primitivæ extant. Qui autem canones à patribus ex codice Apoſtolico non citatos eſſe ex eo proba-

re nititur, quod fieri poteſt ut ea perierint ſcripta è quibus citabantur, is ſanè ſe præjudicio potius quam ratione ductum contra Apoſtolicos pugnare prôdit. Eadem enim ratione, ſi ita eam vocare liceat, etiam omnia veterum ſcripta periiſſe probemus, quoniam fieri poteſt ut ea perierint, aliaque adulterina ſub eorum nominibus poſteritati tradita fuerint. Ut ille autem in hunc modum diſputat, fieri poteſt ut ea perierint ſcripta è quibus canones à patribus citati ſunt, ergo ex codice Apoſtolico non citabantur: ad eundem modum nobis ſic diſputare licet, fieri poteſt ut canones à patribus è codice Apoſtolico citarentur, ergo ex eo citati ſunt. Hæc enim noſtra æque ac illius legitima eſt conſequentia. Sed non opus eſt, ut nos ad tam miſerum tantoque, quantus fuit Dallæus, viro indignum prorſus effugium recurramus. Enimvero non tantum fieri poteſt, ut non perierint; ſed fieri non poteſt, ut perierint ſcripta iſta è quibus canones ab antiquis ſynodis citati ſunt, quandoquidem eos omnes in hâc antiquiſſimâ canonum collectione ſcriptos habemus.

IX. E præmiſſis videre eſt, quid de erudito noſtro obſervatore ſentiendum ſit, qui novas ratiocinandi leges nobis præſcribens, ait, *Tamen ut ex his locis rite argumentari poſſit vir doctus, duo nobis neceſſaria videntur. Alterum eſt, ut quibus de agimus ſanctiones in vetuſtis conciliorum canonibus non reperiantur; nam ſi reperiantur, quin ad vera illa ac genuina monumenta referendæ ſint, potius quam ad notha & ſpuria, quales ſunt Apoſtolici canones, dubitabit nemo. Alterum vero ut in Apoſtolicis canonibus habeantur, quotquot veteribus memoratæ ſunt antiquæ definitiones ſeu regulæ, vetuſtæque ac canonicæ Eccleſiæ leges. Alioquin ſi quædam memoratæ ſunt, quarum ne minimum quidem in totâ Can. Apoſt. LXXXV. ſylloge, cernere eſt veſtigium, eas ab antiquo uſu ac priſcâ conſuetudine arceſſamus & evocemus oportet. Tales autem ſunt illi canones, illæque leges, ſanctiones ac regulæ, quarum meminerunt Nicæni patres, Can. XVIII. & forte etiam XIII. Ancyrani Can. XXI. & Neocæſarienſes Can. XIV. prout eſt à Dallæo noſtro obſervatum.* Obſervat. pag. 14. Primum quod hic exigitur, in teſtimoniis adducendis accuratè admodum obſervavimus. Quæcunque enim adſtruendæ canonum horum antiquitati teſtimonia attulimus, de iſtiuſmodi ſunt canonibus, qui inter vetuſtos conciliorum canones non reperiuntur; ſi unum fortaſſe vel alterum excipias, qui, licet ſimile quid in aliis reperiatur canonibus, ad eos tamen, ut oſtendimus, jure referri nequeant. Et hinc eſt, ut id obiter hic notem, quod Theodoreti teſtimonio hic ſuperſedimus, quoniam canones ab eo Eccleſ. Hiſt. lib. 5. cap. 23. laudati in aliis æque ac in Apoſtolicis inveniuntur. Quod de iis, quos plurimos ut à veteribus citatos hic adduximus, dici non poteſt. Cæterum & ſi qui canones a patribus laudati in ſynodorum canonibus aliquo modo reperiantur, non tamen neceſſe eſt ut ad eoſdem perpetuo referendi ſint. Sub iſtiuſmodi

iſtiuſmodi enim clauſulis & circumſtantiis laudari poſſunt, quæ non permittant ut ad alios quam ad Apoſtolicos referantur: Quæ notha & ſpuria eſſe monumenta, probare debuit eruditus Obſervator, non jubere. Præſertim cum illud ſit, quod hoc loco in controverſiam vocatur. Quod ad alterum deinde ſpectat ab Obſervatore hic requiſitum, nimirum *ut quotquot à veteribus memoratæ ſunt definitiones ſeu regulæ, vetuſtæque ac canonicæ Eccleſiæ leges in Apoſtolicis canonibus habeantur*, Primo obſervare licet, cautum prudentemque virum antiquas quidem definitiones ſeu regulas vetuſtaſque ac canonicas Eccleſiæ leges memorare, ſed non diſertè *canones*, quod eo cautus egit ut παλαιὸν καὶ κανονικὸν νόμον à patribus Nicænis, & τὸ πρότερον ὅρον ab Ancyranis memoratum, pro iſtiuſmodi haberet canonibus, qui antiquitus quidem citati, ſed in Apoſtolicorum codice non reperti ſunt. Quo ſe ſibi conſcium oſtendit, tales non inveniri canones, ſi lex iſta canonica & definitio eorum numero excludantur. Nos autem hic non diſputamus de Eccleſiæ definitionibus aut legibus in genere, ſed de iis quos antiqui patres *canones* expreſſè nominarunt. Sub iſto enim nomine Apoſtolici ab initio obtinuerunt. Ac proinde licet ipſi nonnunquam, ſed rarò admodum, leges & definitiones appellentur, cum patres tamen Eccleſiaſticas leges inter eos non inventas commemorant, ab iſtis *canonibus* vocandis de induſtriâ abſtinuiſſe videntur, ut ita eas ab illis Eccleſiæ legibus diſtinguerent, quas ipſorum majores *canonum* nomine nuncupârant. Ullos autem antiquos canones a quarti ſeculi conciliis nominatim laudatos, præter eos quos in codice Apoſtolico habemus, nec diligentiſſimus ille Joh. Dallæus invenire potuit, nec poſt eum eruditus obſervator, quippe qui eos tantum repetit, quos Dallæus ante notaverat, memoratos eſſe à patribus Nicænis, Ancyranis & Neocæſarienſibus, à quibus tamen Eccleſiaſticos diſerte canones iſtis locis non citatos eſſe ante oſtendimus. Quod ſi quæ leges aut definitiones ab antiquis ſynodis memoratæ ſint, quarum ne minimum quidem in totâ canonum Apoſtolicorum ſylloge cernere eſt veſtigium, eas ab antiquo uſu & priſcâ conſuetudine arceſſat, evocetque, ſi velit, Obſervator: per me quidem licet, cujus cauſam id minime attingit. Neque enim ipſe, nec quivis, ut opinor, alius, unquam aſſeruit omnes omnino Eccleſiæ primitivæ leges ac definitiones in hoc uno canonum Apoſtolicorum codice collectas eſſe. Quocirca obſervator noſtram non perſtringit opinionem, ſed ſuæ plus nimio indulget, cùm ab iſto codice exigat, ut in eo inveniantur quotquot ullibi memoratæ ſunt definitiones aut canonicæ Eccleſiæ leges. Nobis enim abunde ſufficit, ſi qui à veteribus nominantur canones in eo contineantur. Quantum autem ex ipſius verbis colligere eſt, hoc modo argumentari voluit eruditus obſervator, Si quædam memoratæ ſunt leges, quæ in codice Apoſtolico non habentur, eæ ex antiquo uſu & priſcâ conſuetudine, non ex iſto codice arceſſendæ ſunt. Ergo & omnes canones à vete-

O 2 ribus

ribus memorati, etiamſi in codice Apoſtolico habeantur, non tamen ex iſto codice, ſed ex antiquo uſu & priſcâ conſuetudine arceſſantur oportet. Quis autem hujus conſequentiæ debilitatem vel falſitatem potius primo intuitu non deprehendit? Si demus enim leges idem valere atque canones, è logicâ tamen didicimus à particulari ad univerſale haud legitimam inferri conſequentiam, ac propterea ex eo quod quidam canones ab antiquis patribus memorati ab antiquo uſu arceſſantur (quod tamen falſiſſimum eſt) non ſequitur omnes ad eundem neceſſario referendos eſſe, præſertim cum multò maximam eorum partem in vetuſto hoc codice habeamus, cujus antiquitatem à nobis aſſertam ſtrophæ hujuſmodi & ſophiſmata nunquam convellent.

X. Sed ut ut eſt, Obſervator ſibi firmiſſimè propoſuit, omnia pro canonum Apoſtolicorum antiquitate allata teſtimonia vilipendere, quamdiu canones ab antiquis ſynodis patribuſque laudatos vel ad alia quæcunque ſcripta, vel ad priſcam conſuetudinem referre poterit. E verbis enim ſupra citatis hanc concluſionem infert, *Ergo Beveregiani argumenti vim penitus elevabo, quoties vetuſtas illas leges, ex quibus pro canonum ſuorum æquo majore antiquitate argumentari ſolet, vel ad genuina quæ ſuperſunt veterum monumenta, referam, vel ad antiquum uſum & priſcam conſuetudinem, quæ in Eccleſiâ obtinebat antequam ullus hâc de re canon ab aliquâ ſynodo conditus eſſet.* Obſervat. pag. 14, 15. Hoc eſt, nunquam credet, nunquam ſibi perſuaſum habebit, canones Apoſtolicos ante An. Dom. CCCCLI. ſancitos fuiſſe, quicquid è contra à quopiam proferri poteſt. Nulla enim uſpiam citata eſt lex Eccleſtaſtica, quæ non ad aliqua veterum monumenta, vel ſaltem ad priſcam aliquam conſuetudinem vel jure vel injuriâ referatur. Sed quonam obſecro pacto cognoſcet obſervator, quinam antiquus uſus, quæve priſca conſuetudo in Eccleſiâ obtinuerit, antequam ullus hâc de re canon ab aliquâ ſynodo côndi tus eſſet? Illene omnes ſynodos à primitivâ Eccleſiâ celebratas, omneſque ab iis conſtitutos canones ſibi cognitos habet? Si habeat, in lucem emittat, & nullus dubito quin univerſam Eccleſiam, totamque rempublicam literariam maximis beneficii vinculis ſibi obſtrictam habeat. Sed vereor, ut hoc unquam aſſequatur. Quod ſi nec cognoſcat ille, nec unquam, ut opinor, cogniturus ſit, quinam canones à trium priorum ſeculorum ſynodis conditi fuerint, quo demum modo cognoſcat, quinam antiqui mores ac priſcæ conſuetudines ante eos in Eccleſiâ obtinuerint? Quid autem ſi omnes ab antiquis ſynodis memoratos canones, nec ad alia quæ ſuperſunt, genuina veterum monumenta, nec ad antiquum uſum, vel priſcam aliquam conſuetudinem jure referri poſſe demonſtretur? Tum ſane eos ad codicem canonum Apoſtolicorum referat, ipſo judice, neceſſe eſt: Alias enim non habebit quo referat. Verum omnes à Nicænis aliiſque ſynodis citatos

citatos canones in aliis genuinis veterum monumentis non inveniri, uſque adeo planum certumque eſt, ut nec ipſe illud negare potuit, atque ideo ad antiquos neſcio quos Eccleſiæ uſus confugere coactus eſt. Sub quâ autem rationis imagine illi, qui à ſynodis nominatim laudantur, canones ad priſcas tantum Eccleſiæ conſuetudines uſuſque referantur? Nihilne inter canonem & conſuetudinem intereſt? Sane eruditi viri multas vocis κανὼν ſignificationes ab Eccleſiâ uſitatas obſervarunt, ut idem autem atque ἔθος ſive conſuetudo valeret, nemo ante obſervatorem noſtrum ſomniavit. Sed quandoquidem de ſynodis agimus, Nicæna univerſalium prima & omnium celeberrima cauſam determinet. Hæc autem cum antiqua Eccleſiæ primitivæ decreta memorat, ea κανόνας cauta perpetuo nominat; cum vero jura & privilegia quarundam Eccleſiarum non patrum decretis, ſed priſcâ tantum conſuetudine introducta memorat, ea non κανόνας ſed ἔθη appellat, Dicens τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω Can. VI. Ex quibus verbis nullum ibi diſertum vel Apoſtolorum vel ſynodorum præceptum ſive canonem citari, ipſe etiam clariſſimus Dallæus rite argumentatur, de Pſeudep. lib. 3 cap. 8. pag. 508. Enimvero antiqui Eccleſiæ mores, uſuſque Canones Eccleſiaſtici à nullâ ſynodo, à nullo patre, à nullo unquam ſcriptore dicti ſunt, priuſquam Eccleſiaſticâ ſive Epiſcoporum autoritate ſanciti ſunt. Concilia autem patreſque, quorum teſtimonia nos adhibuimus, non mores rituſve, non priſcas Eccleſiæ conſuetudines aut uſus, ſed antiquos Eccleſiaſticos canones diſerte ac nominatim laudant. Qui propterea *ad antiquum uſum & priſcam aliquam conſuetudinem, quæ in Eccleſiâ obtinebat antequam ullus hâc de re canon ab aliquâ ſynodo conditus eſt*, nequaquam referri poſſunt: Quomodo enim canones citari poterant antequam conditi eſſent? Si nulli adhuc canones de hiſce rebus à ſynodis conſtituti fuiſſent, qui fieri potuit, ut ſynodus Nicæna aliæque iſtis diebus habitæ antiquos canones laudarent? Ipſæne eos canones tantum citando faciebant? Annon ipſa canonum antiquorum citatio neceſſario evincat canones de iſtis rebus longe antea conditos fuiſſe? Cuinam amabò unquam prius vel etiam poſterius quam Obſervatori in mentem venit, canones à patribus expreſſè citatos non eſſe canones, ſed tantum antiquos neſcio quos uſus & priſcas Eccleſiæ conſuetudines? Si quidem aliud non habeat (quod ſane nunquam habebit) quo canones à ſynodis nominatim memoratos, & in aliis veterum monumentis non repertos, referat, præterquam vel ad antiquos Eccleſiæ uſus, vel ad canones Apoſtolicos, quin eos ad hos ultimos nobiſcum referre debeat, nemo dubitare poteſt. Ut canones enim ad antiquos iſtos uſus qui nunquam canones fuere, referantur, uſque adeo ab omni ratione alienum eſt, ut nihil magis abſurdum, magis ridiculum efferri vel excogitari poſſit.

XI. Has doctorum virorum, contra veterum pro canonibus Apoſtolicis teſtimonia, exceptiones, fuſius idcirco proſecuti ſumus, quod aliarum,

quaſ-

quaſcunque alibi potulerunt, vis tota hiſce fere fundata videatur. Cum autem è prædictis conſtet, omnes a ſynodis Nicænâ ac Antiochenâ quibus de ſolis hic agimus, memoratos canones, nec ad antiquos quoſvis Eccleſiæ uſus, nec ad alia quæcunque veterum monumenta referri poſſe, præterquam ad codicem canonum Apoſtolicorum, cumque illi omnes in iſto codice unà collecti habeantur, nihil dubii ſupereſſe poteſt, quin ex eo à veteribus citati fuerint. Verumenimvero ſynodum Antochenam hos Apoſt. canones non modo vidiſſe & laudaſſe, ſed & omnes propemodum ſuos ex iiſdem explicatis produxiſſe, eorumque ordinem per totum fere canonum ſuorm ſyllogen obſervaſſe, inter teſtimonia ex eadem ferunda, manifeſtum, ut opinor, cuivis nimiâ ſui opinione non occæcato fecimus. Nec mirum cuipiam videatur, quod ſynodus provincialis, qualis fuit Antiochena, canones in Eccleſiâ paſſim tunc temporis notos atque obſervatos, ſuâ demum autoritate renovaret & uberius explicaret: Hoc enim omnibus fere localibus ſive provincialibus ſynodis ſolenne fuit, etiam poſt editum codicem canonum Eccleſiæ univerſæ. Quotieſcunque enim neceſſitas aut occaſio id poſtularet, canones in iſto etiam codice collecti, à provincialibus iſtiuſmodi conciliis renovati, explicati, & de integro ſæpe conſtituti ſunt. Quod neminem latere poteſt in Actis & canonibus conciliorum vel mediocriter exercitatum. Quinetiam ſynodi provinciales contra nonnunquam ſtatuerunt atque in canonibus Eccleſiæ univerſæ prius ſtatutum fuerat. Quod de Antiochenâ nequaquam dici poteſt, utpote quæ magnam codicis canonum Eccleſiæ primitivæ partem laudat, explanat, & ad priſtinum ſuum vigorem reſtituit, ſed nihil ei contrarium edidit, neque unum in eo repertum canonem abrogavit. Quod quidem iſtum codicem ſummæ tunc temporis in Eccleſiâ autoritatis fuiſſe luculentè demonſtrat.

CAPUT

C A P U T XII.

Synopſis.

I. *Synodi* Gangrenſis *teſtimonium pro canonibus Apoſt. vindicatum aſſeritur.*

II. *Teſtimonium Synodi* Conſtantinopolitanæ *à quatuor Obſervatoris exceptionibus defenditur.*

III. Euſebii *locum ab Obſervatore adductum nihil ad rem facere probatur.*

IV. *Concilii* Carthaginienſis *teſtimonium vindicatur.*

V. *Alia è Synodis* Epheſinâ & Chalcedonenſi *teſtimonia, quibus adverſarii nihil reſponderunt.*

VI. *Concilium* Chalcedonenſe *per* τὺς πάλαι χανόνας *nec* Antiochenos, *nec* Carthaginienſes, *ſed Apoſtolicos ſolos intelligere potuerunt.*

I. QUOD contra teſtimonia è ſynodis Nicænâ ac Antiochenâ ad veram canonum Apoſtolicorum adſtruendam antiquitatem adducta objecit Dallæus, idem & ad ea quæ è ſynodo Gangrenſi citantur, dictum voluit, pag. 518. Quapropter nec nobis opus, ut plura hic adjiciamus ad vindicandum Gangrenſe iſtud pro antiquis hiſce canonibus teſtimonium, quam quæ in præcedenti capite atque in ipſo afferendo teſtimonio dicta ſunt. Dallæus autem hic ingenue confitetur, fuiſſe jam ante Gangrenſem ſynodum ſuas Eccleſiæ regulas, ſuas ſcripturas, Apoſtolicaſque traditiones, idque apud omnes in confeſſo eſſe. Cum iſtæ autem regulæ ſive Canones, quos fatetur ante iſtam ſynodum in Eccleſiâ obtinuiſſe, & ab eâdem laudatos eſſe, in codice Apoſtolico eoque ſolo collecti habeantur, iſta quidem ſynodus jure merito inter eas recenſeatur, quæ ſua iſti codici teſtimonia contribuerunt.

II. Poſt patres Gangrenſes, alios quam plurimos in Synodo An. Dom. CCCLXXXII. Conſtantinopoli congregatos, graviſſimos in hâc cauſâ teſtes advocavimus. Hi enim in ſynodicâ ad Damaſum alioſque occidentales Epiſcopos concilium Romæ tunc temporis celebrantes miſſâ affirmant, quod παλαιός τε θεσμὸς κεκράτηκε, ἐ τ ἁγίων ἐν Νικαίᾳ ὅρος, *Antiqua obtinuit ſanctio & patrum Nicænorum regula* ut Epiſcopi ſcilicet cujuſque provinciæ, & ſi ipſis placuerit, una cum iis finitimi, ordinationes Epiſcoporum celebrent. Ubi per *antiquam ſanctionem* canonem

nonem Apoſtolicum XXXV. intelligendum eſſe contendimus. Hoc Dallæus non viderat, ideoque nihil contra illud objecit. Sed Obſervator partibus illius fungens, veritus ut una & altera tanto evertendo teſtimonio ſufficerent, haud pauciores quam quatuor exceptiones contra illud publicavit, pag. 10, 11. Quod quidem prudentiſſime ab eo factum eſt, ut quod ponderi earum deeſt, quoad fieri potuit, numero suppleretur. Sed quales quales, & quotquot ſunt, eas omnes ſuo ipſius ordine percurremus, ut omnibus pateat in quantas redigantur anguſtias, qui contra veritatem pugnare auſi ſunt. Has itaque exceptiones vir eruditus his verbis introducit, *Per antiquam,* inquit, *ſanctionem deſignari opinatur Beveregius Can. Apoſt. XIV. XV. quod nulla ſynodo Nicænâ, ſi illum audiamus, antiquior lex extitit, quæ hoc conſtituit, præter canones illos Apoſtolicos. At quam vana ſit ac frivola eruditi viri ratiocinatio, pluribus demonſtratum imus.* Sed poſt jactatas haſce minas, nos hiſce luſoriis tantum armis aggreditur. *Primo*, inquit, *deſignati canones nihil plane dicunt de Epiſcoporum ordinationibus, de quibus expreſſe agitur in teſtimonio allato, ut cuivis legenti patet.* Recte ſane, canones Apoſtolorum 14. & 15. ab eo quidem, non a nobis deſignati, nihil plane de Epiſcoporum ordinationibus dicunt. Atqui tam oculatus & acutus obſervator non potuit non videre, vel obſervare numeros illos 14. & 15. in Annotationibus noſtris typographorum incuriâ pro 34. & 35. impreſſos eſſe: qui quidem canones Apoſtolici, ille quidem ſive XXXIV. de Epiſcoporum autoritate exercendâ, hic, ſive XXXV. de ordinationibus, expreſſè loquuntur. Quod & ipſum Obſervatorem fugere non potuit. Qui propterea magno conatu magnas nugas agit, cum temerarium hoc ex falſis præmiſſis conſectarium clauſis ultro oculis eripuit, dicens, *Unde liquet, ut id obiter notem, ad fictitios illos canones minime confugiendum eſſe, quoties apud veteres fit mentio alicujus ſanctionis antiquæ, quæ in genuinis quos habemus conciliorum canonibus hodie non extat: plures ſiquidem ejuſmodi ſanctiones uſu & conſuetudine obtinuere, quæ tamen literis ſtatim traditæ non fuere.* Unde quæſo hoc liquet? Ex eo quod Typographi homines ſint, & aliorum ad inſtar erroribus obnoxii? an quod ænei literarum typi, nimis feſtinanti Chalcographorum manu, ſedibus ſuis aliquando non reponantur; vel iiſdem nonnunquam excidant? Hoc ſane unicum eſt illud prævalidum argumentum, unde id liquere dicatur. Obſervator enim nec mihi nec cuivis unquam perſuadebit, ſe, qui tot obſervationes in Ignatianas vindicias, & in noſtras Annotationes edidit, interim non obſervaſſe, canones Apoſtolicos XXXIV. & XXXV. hoc in loco intelligendos eſſe. Præſertim cum ipſe ſe illud obſervâſſe clare ſatis eo indicârit, quod alias præter iſtam contra hoc teſtimonium exceptiones excogitavit. Quid aliis enim opus eſſet, ſi canones deſignati nihil de re propoſitâ loquerentur?

Hoc ſane unum refellendo iſti teſtimonio ſatis eſſet. Verum eruditus Obſervator, quamvis diſſimulavit, probe tamen novit Canones a nobis deſignatos ad rem eſſe: ac propterea addit, *Secundo, ſi tunc temporis extitiſſent prædicti Canones, & ad eos reſpexiſſent Synodi Conſtantinopolitanæ patres, pluſquam veriſimile eſt, eos hanc Canonum collectionem memoraturos eſſe, æque ac Nicænorum patrum regulam, vel ſaltem Canones ipſos ſuis numeris indicaturos.* pag. 11,12. Jam non admiror, ſi Obſervator noſter Typographorum errata non obſervavit, cum nec ſua, nec quæ ſub oculis manibuſque habuit, obſervare poſſit. Primo enim non obſervat Canonum Nicænorum collectionem a Patribus Conſtantinopolitanis hoc in loco non memoratam eſſe, ſed tantum unam ab iis definitam regulam. Si hoc enim obſervâſſet, haud veri, nedum pluſquam veriſimile ipſi videretur eos Canonum Apoſtolicorum collectionem memoraturos fuiſſe, ſi ad eam reſpexiſſent, æque ac Nicænorum regulam. Quorſum enim; aut cur Canones Apoſtolicos alio atque Nicænos modo memorarent? Ad Canonum Nicænorum collectionem eos reſpexiſſe, nec ipſe (ut opinor) Obſervator negabit, & tamen non totam, ut videre eſt, collectionem iſtam, ſed unum tantummodo Canonem ex ea citârunt. Ac proinde veri prorſus diſſimile eſt, ut Canonum Apoſtolicorum collectionem memorârint, licet ad eam reſpexiſſent. Sufficit quod ex ea etiam unum vel alterumCanonem laudarint. Præterea, Obſervator hic non obſervavit, Canonem Nicænum hoc in loco numeris ſuis non indicatum eſſe, ſed tantum Patrum Nicænorum Canonem in genere. Si hoc enim obſervaſſet, veri quidem non ſimile, ſed diſſimile prorſus ei viſum fuiſſet, ut Canones Apoſtolici potius quam Nicæni ſuis numeris indicarentur. Denique, Obſervator noſter ſui & operis a ſe ſuſcepti oblitus, non obſervavit etiam Patres Conſtantinopolitanos verbis ſupradictis antiquam de hac re legem regulæ Nicænæ præpoſuiſſe. Si hoc enim obſervaſſet, antiquam iſtam legem, adeoque totam iſtam Canonum collectionem, cujus pars eſt, ante Synodum Nicænam divulgatam fuiſſe ingenuè confeſſus eſſet. Verum licet hæc inter ſcribendum forſitan ipſi placuerint, veritus tamen ut ſcripta aliis ſatisfacerent, ſubjungit, *Tertio, fieri poteſt ut duabus locutionibus ſeu phraſibus unam & eandem rem ſignificaverint patres, nempe regulam Nicænam, quæ eorum reſpectu antiqua erat, utpote ante annos LVII. promulgata.* Cautiſſime dixit, *Fieri poteſt*, neque enim prorſus impoſſibile eſt, ut una eademque res duabus loquendi formulis ſignificetur. Sed niſi me omnia fallant, fieri etiam poteſt, ut duæ locutiones ſive phraſes duas res ſignificent. Nos autem tantis nondum urgemur anguſtiis, ut quæramus quid fieri poſſit, ſed quid revera factum ſit. Patres autem antiquam legem & Nicænam regulam apertiſſimè diſtinguunt, primo aſſerentes antiquam de hac re legem obtinuiſſe, παλαιός τε ὡς ἴστε θεσμὸς κεκράτηκε, & poſtea patrum Nicænorum regulam

ſeorſim ſubjiciunt, dicentes, καὶ τῶν ἁγίων ἐν Νικαίᾳ πατέρων ὅρος. Quâ loquendi formulâ legem iſtam ab hac regula clariſſimè diſcernunt. Quinetiam particula τε poſt παλαιὸς diſtinctionem iſtam haud obſcurè indicare videtur. Παλαιός τε θεσμὸς κεκράτηκε, καὶ τῶν ἁγίων ἐν Νικαίᾳ πατέρων ὅρος, hoc eſt, *Et antiqua lex obtinuit, & Patrum Nicænorum regula.* Ad hæc legem illam *antiquam* vocant, atque ita a *regula Nicæna* perſpicuè diſtinguunt, quippe quæ eodem ſeculo *antiqua* dici non potuit. Neque unquam legimus Canones Nic. *antiquos* dictos, nedum eodem ſeculo quo conſtituti ſunt. Ut res autem extra dubium ponatur, ipſi patres C.P. poſtquam dixiſſent antiquam iſtam legem obtinuiſſe, atque etiam patrum Nicænorum regulam, hæc proxime ſubjiciunt: Οἷς ἀκολούθως τὰς δὲ λοιπὰς ἐκκλησίας παρ' ἡμῖν οἰκονομεῖσθαι γινώσκετε, καὶ τῶν ἐπισημοτάτων ἐκκλησιῶν ἀναδεδεῖχθαι τοὺς ἱερεῖς. *Quibus conſequenter*, ſive ut doctiſſimus vir Henricus Valeſius vertit, *Ex quarum legum præſcripto tum reliquas apud nos Eccleſias adminiſtrari ſcitote, tum nobiliſſimarum Eccleſiarum Epiſc. eſſe renuntiatos.* Ubi non modo particula τε eodem quo ſupra ſenſu utuntur, verumetiam aſſerunt ſe in Eccleſiæ adminiſtratione ambas iſtas leges ante memoratas ſecutos eſſe: dicunt enim οἷς ἀκολούθως, ubi relativum plurale οἷς, nec ad θεσμὸν ſingulariter, nec ad ὅρον, ſed ad utrumque referatur neceſſe eſt. Quod ſi patres idem per τὸν παλαιὸν θεσμὸν, atque per ὅρον, voluiſſent, non dixiſſent οἷς ſed ᾧ ἀκολούθως. Plurale enim relativum, ut omnes norunt, duo minimum antecedentia a ſe invicem diſtincta requirit. Si hæc vir eruditus obſervâſſet, non dixiſſet *Fieri poteſt*, ſed *Fieri non poteſt*, ut patres duabus iſtis locutionibus ſeu phraſibus unam & eandem rem ſignificarint. Hæc autem adeo plana ſunt & cuivis obvia, ut pudeat pigeatque ea ulterius proſequi. Videamus itaque qualem ultimo loco exceptionem adinvenit. *Quarto*, inquit, *ſi antiquam illam ſanctionem a Nicænorum patrum regula diverſam eſſe contendit vir doctus, reſpondeo, ſanctionem illam antiquam uſu ac conſuetudine tacitè, ut alia plura, introductam eſſe, & continuâ praxi roboratam, donec tandem a Concilio Nicæno primò in Canonem redacta, & ſcripto mandata fuit.* Hic autem a memet vix impetrare poſſum, quin credam Obſervatorem aliud intus in animo fixum habuiſſe, & aliud expreſſiſſe verbis. Nemo enim mihi perſuadebit tam eruditum virum crediddiſſe, illud quod uſu tantum & conſuetudine introducitur, & nulla lege ſancitur, *ſanctionem* unquam dictam fuiſſe vel dici poſſe. Plurima quidem vitia uſu ac conſuetudine tacitè introducta ſunt, & continuâ hominum praxi corroborata, longiſſime tamen abeſt, ut *ſancta* propterea dicantur, nedum ipſæ *ſanctiones*. Quinetiam ſi demus, quod prorſus incredibile eſt, nonnulla in Eccleſiam primitivam, uſu ſolo ac conſuetudine, ſine omni vel Apoſto-

lica

licâ traditione vel Eccleſiaſticâ inſtitutione introducta eſſe; demus etiam, quod abſurdum eſt, hujuſmodi conſuetudines, licet nullâ unquam autoritate ſancitas, *ſanctiones* nihilominus dictas fuiſſe: & ſi hæc, inquam, demus, veruntamen viri eruditi cauſa nihil exinde promovetur. Iſthoc enim modo primo introduci, & tamen à primitiva aliqua longe ante Nicænam Synodo ſanciri potuit hæc antiqua ſanctio, & in Canonem reduci. Quod enim Obſervator poſtea addit, antiquam iſtam ſanctionem miro iſthoc modo introductam *a Concilio Nicæno primo in Canonem redactam & ſcripto mandatam eſſe*, a rei veritate quam longiſſime diſtat. Enimvero antiquâ iſtâ ſanctione a patribus Conſtantinopolitanis laudatâ, ſtatutum fuit, ut provinciales Epiſcopi unà cum finitimis, modo ipſis viſum fuerit & utile judicaverint, in ſuis ipſorum provinciis Epiſcoporum Ordinationes faciant. Hoc autem a Synodo Nicæna nuſquam in Canonem redactum, nec ſcripto mandatum fuit; utpote quæ nihil prorſus de finitimis Epiſcopis ad Epiſcoporum Ordinationes ſub ulla cautione admittendis ſtatuit. Statuit ſolummodo, ut omnes provinciæ cujuſque Epiſcopi, vel ſaltem tres, reliquis aſſenſum ſuum ſcripto præbentibus, Epiſcopum conſtituant, a Metropolitano confirmandum: nullâ prorſus de finitimis Epiſcopis inductâ mentione. Cum patres itaque Conſtantinopolitani *antiquam iſtam ſanctionem* & *Nicænam regulam* eo tantum nomine citarint, ut probatum irent, Nectarii Conſtantinopolitani & Flaviani Antiocheni Epiſcopi ordinationes canonicè ſive ex canonum præſcripto celebratas fuiſſe, licet *a finitimis* æque ac ab iſtarum provinciarum Epiſcopis celebratæ eſſent: Canon autem Nicænus de comprovincialibus duntaxat Epiſcopis loquatur; antiqua vero ſanctio *de finitimis* (aliter enim fruſtra laudata eſſet) hinc patet, non modo *antiquam ſanctionem* hic laudatam *a Nicæna regula* diverſam eſſe, ſed & eandem a Synodo Nicæna in canonem nequaquam redactam fuiſſe, nec ſcripto mandatam. Quapropter non potuit talis eſſe ſanctio qualem Obſervator ſomniavit, quæ ſcilicet uſu introducta & praxi roborata eſt, donec tandem a Concilio Nicæno in canonem redacta fuit.

III. Quomodocunque autem ſe res habeat, ita tamen eſſe, ut ipſe opinatur eruditus Obſervator, facile demonſtrari poſſe affirmat. Ex eo ſcilicet, quod Euſebius de Narciſſo Epiſcopo Hieroſolymitano verba faciens tradat, Hiſt. Euſ. lib. 6. cap. 10. alium ejus loco Epiſcopum a vicinis Epiſcopis conſtitutum eſſe, quoniam ille Eccleſiam ſibi commiſſam aliquamdiu reliquerat. Cum ipſe autem reverteretur, Alexander ei adjutor datus eſt, ob admodum provectam Narciſſi ætatem, annos quippe natus erat ſexdecim ſupra centum. Si rogamus autem, quomodo ei adjutor datus ſit Alexander, & ad Epiſcopatum promotus Hieroſolymitanum, reſpondebit, ut obſervatori videtur, Euſebius, cap. 11. *Hoc factum eſſe conſentientibus vicinarum Eccleſiarum Epiſcopis*. Nullâ prorſus mentione factâ

legis aut ſanctionis ſcriptæ, quæ hoc præciperet. *Non obliturus certe,* inquit vir doctus, *ſi aliquam tunc temporis extitiſſe ſciviſſet. Nempe juxta conſuetudinem receptam egerunt Palæſtini Epiſcopi, non autem ſecundum aliquem ſcriptum canonem. Hæc autem contigerunt annos circiter 120 ante Concilium Nicænum, a quo primo iſta conſuetudo ſcripto, ut opinor, mandata eſt.* Hoc eſt luculentum illud Argumentum, ex quo eruditus Obſervator antiquam ſanctionem a patribus Conſtantinopolitanis memoratam nihil aliud eſſe, quam antiquam quandam conſuetudinem a Concilio Nicæno primo ſancitam, ſibi demonſtraſſe videtur. Si quis autem hanc hiſtoriam, ut ab Euſebio traditam, paulo attentiùs legit, nihil in ea inveniet, quod rei, quam ex ea demonſtrare ſuſcepit Obſervator, ullam prorſus lucem, nedum demonſtrationem afferre videatur. Primo enim Euſebius cap. 11. ubi Alexandrum Narciſſo adjutorem datum fuiſſe tradit, nihil omnino de illius in Epiſcopatum Hieroſolymitanum ordinatione loquitur, ſed eum in Cappadocia ante ordinatum fuiſſe Epiſcopum affirmat: cui propterea non licebat ut denuo ordinaretur. Id autem, quod Euſebius a conſentientibus vicinarum Eccleſiarum Epiſcopis factum fuiſſe tradit, longe aliud fuit atque Ordinatio Epiſcopalis. Dicit enim revelationem quandam Eccleſiæ Hieroſolymitanæ viſam fuiſſe, & vocem auditam, quæ ipſis ſignificabat, ut extra portas civitatis egreſſi, deſtinatum ſibi a Deo Epiſcopum ſuſciperent. Et protinus addit, Τῦτο δὲ πράξαντες μετὰ κοινῆς τῶν ἐπισκόπων οἳ τὰς πέριξ διεῖπον ἐκκλησίας γνώμης, ἐπάναγκες αὐτὸν παραμένειν βιάζονται, *Quod cum illi conſentientibus iis, qui circumcirca Eccleſias adminiſtrabant, Epiſcopis feciſſent, manere deinceps eum apud ſe coegerunt.* Obſecro tuam fidem quicunque demum ſis, qui has Obſervationes edidiſti, quibus oculis, quibus etiam ſpecillis uſus es, cùm hunc legebas locum, ut in eo videre potueris Finitimos Epiſcopos unà cum provincialibus Epiſcopum ordinantes? Populus Hieroſolymitanus egreſſi ſunt, ut Epiſcopum a Deo miſſum ſuſciperent, & ſuſceptum ſecum manere coegerunt. Quid hæc ad Epiſcopi Ordinationem? Hæc facta ſunt conſentientibus aliarum quæ circumcirca erant Eccleſiarum Epiſcopis: Ergone finitimi una cum iſtius provinciæ Epiſcopis Epiſcopi Ordinationem peragebant? Vix credo. Nec credet ipſe Obſervator, ſi locum ex integro vel raptim relegerit. Sed in præcedenti capite Euſebius refert viſum eſſe Finitimarum Eccleſiarum Epiſcopis alium Narciſſi loco Epiſcopum ordinare. Fateor quidem. Sed nihil hic etiam de finitimis Epiſcopis a provincialibus ad iſtam Ordinationem evocatis. Neque enim alii ſane hoc in loco intelligantur *finitimi*, quam qui Hieroſolymis vicini erant Epiſcopi, atque ita in eadem provincia conſtituti. Alii enim hic nulli memorantur iſtius Provinciæ Epiſcopi, quam qui ſub ὁμόρων *finitimorum* nomine comprehenduntur.

duntur. Et ſi contenderit adhuc vir doctus ex hoc loco patere (quod minime patet) Finitimos tunc temporis Epiſcopos in alia provincia conſtitutos, ab iſtius provinciæ Epiſcopis ad illam Ordinationem admiſſos fuiſſe, noſtram potius quam ſuam ex eo opinionem confirmabit. Hinc enim conficeretur iſtum Canonem Apoſtolicum tunc dierum obtinuiſſe, quo ſancitum eſt, ut Epiſcopus extra ſuos terminos Ordinationes non faciat, niſi ex conſenſu eorum qui civitates iſtas aut pagos tenent; atque ita permiſſum, ut conſentientibus cujuſvis provinciæ Epiſcopis, *finitimi* unà cum ipſis ordines Epiſcopales conferant. Quod itaque ad priorem Euſebii locum a nobis recitatum dicit Obſervator, *Nullam ibi factam eſſe mentionem legis aut ſanctionis ſcriptæ, quæ id præciperet, quam Euſebius non obliturus eſſet, ſi aliquam tunc temporis extitiſſe ſciviſſet.* Si hæc verba ad iſtum Euſebii locum, cui annectuntur, reſpectum habeant, temerè prorſus & fruſtra proferuntur; etiamſi enim Euſebius optimè ſciviſſet talem tunc temporis extitiſſe ſanctionem, nullam omnino iſthoc loco eam commemorandi occaſionem habuit; quippe quo nihil dixit, quod ad iſtam ſanctionem referri potuit. Quod ſi hæc Obſervatoris verba ad alterum Euſebii locum reſpiciunt, ubi finitimarum Eccleſiarum Epiſcopi Epiſcopum ordinaſſe dicuntur: Quid quæſo opus erat, ut Eccleſiaſticæ iſtius ſanctionis, quâ id factum eſt, meminerit? Ille hiſtoricum, ac proinde non de jure, ſed de facto, agit. Adeò ut licet ipſas res in Canonibus Apoſtolicis ſancitas, ut ab aliis obſervatas retuliſſet, ipſeque iſtos Canones eodem temporis articulo ſub oculis habuiſſet; non tamen neceſſe erat, ut eorum mentionem faceret, ſed potius neceſſe erat ut non faceret, ne hiſtoriographi limites tranſiliret. Sed quid attinet multa de re adeo perſpicua accumulare? Euſebius per totam hanc hiſtoriam nihil habuit, quod Canonem iſtum Apoſtolicum laudandi materiam ei præbere potuit; ac propterea nec hiſtoricum nec prudentem ſcriptorem egiſſet, ſi fines ſuos tranſcendiſſet, ut Eccleſiaſticæ iſtiuſmodi ſanctionis ad rem ſuam minimè pertinentis mentionem induceret. Unde videre eſt, quam difficilis & moleſta ſit provincia, cujus patrocinium ſuſcepit eruditus Obſervator, qui illud pro argumento demonſtrativo venditare coactus eſt, quod nec minimam rationis ſpeciem præ ſe fert. Cùm autem pro conceſſo, ni fallor, habeamus, eum omnes, quas ſummis ingenii viribus contra patrum Conſtantinopolitanorum pro Canonibus Apoſtolicis teſtimonium excogitare vel fabricari potuit, exceptiones edidiſſe, cumque nihil quod objecit ſummam iſtius teſtimonii autoritatem vel diminuere vel attingere deprehendatur; Firma ſtabiliſque manet ſententia, quæ Canones Apoſtolicos omnibus illis, qui Conſtantinopoli tunc temporis conveniebant, Epiſcopis cognitos & laudatos fuiſſe ſtatuit.

IV. Proximum è Concilio Carthaginienſi a nobis petitum pro Canonum

num Apoſtolicorum antiquitate argumentum, nec Dallæus oppugnavit, nec Obſervator, niſi quod ille *formam antiquam* una cum aliis nonnullis iſtiuſmodi phraſibus è Synodis Africanis a Turriano allatis, nihil aliud ſignificare ſcribat, quam quod in uſu apud iſtam Eccleſiam erat, vel a vetuſtis Synodis conſtitutum, vel a majoribus nudâ & ſimplici traditione acceptum. Dall. de Pſeud. lib.3. cap.9. pag.519. Et nos quidem in eo aſſenſores habet, quod *forma antiqua* a Concilio iſto memorata, talem ſignificet iſtis diebus in Eccleſia Africana obtinuiſſe uſum, a vetuſtis Synodis conſtitutum, atque ita in Canonem redactum. Nos etiam, non minus quam ille, credimus antiquas hujuſmodi formas regulaſve ab iſto vel ab aliis Conciliis laudatas, & in codicem Canonum Apoſtolicorum collectas, nec ab ipſis Apoſtolis ſancitas, nec a Clemente Romano literis mandatas, & in lucem emiſſas eſſe, ſed a Synodis Carthaginienſis illius reſpectu vetuſtis conſtitutas. De qua re non opus eſt hic plura diſſeramus, cum ſatis antea explicata fuerit.

V. Huic e Concilio Carthaginienſi aliud illuſtre quidem in hac cauſa teſtimonium ſubjunximus e Synodis Oecumenicis, Epheſinâ & Chalcedonenſi petitum. E quibus ſcilicet oſtendimus, conſequentiam quandam ſive ordinem Canonum iſtis temporibus obtinuiſſe, quo ſancitum cautumque erat, ut Epiſcopus accuſatus ad Synodum tertio citetur, priuſquam judicium de eo feratur. Cum hæc autem Eccleſiaſtica ſanctio ab iſtis Conciliis toties memorata, & accuratè etiam obſervata, in nulla Canonum collectione, nec in quovis veteris Eccleſiæ monumento, præterquam in codice Canonum Apoſtolicorum inveniatur; in eo autem diſertiſſime habeatur, Canone nimirum LXXIV. non poſſumus non perſuaſiſſimum habere, hunc codicem Canonum Eccleſiæ primitivæ ipſiſſimam eſſe Canonum conſequentiam ab iis toties laudatam. Hoc autem graviſſimum ſane teſtimonium a nobis hic primò adductum, nec Dallæus, nec ipſe Obſervator obſervavit; neuter ſaltem ad illud oppugnandum aggreſſus eſt.

VI. Præterea ex Concilii Chalcedonenſis Canonibus, tria noſtræ de Apoſtolicis opinioni confirmandæ teſtimonia attulimus: unum e Canone V. alterum e XXII. & tertium e XIV. E quibus doctiſſimi viri Dallæus & Obſervator in unum ſolum involarunt, & elevare conati ſunt; illud ſcilicet e Canone XXII. petitum, quo patres τὺς πάλαι κανόνας citant, caventes ne Clerici poſt mortem Epiſcopi ſui res ad eum pertinentes diripiant. Ad hoc Dallæus, lib.3. cap.10. per antiquos ait Canones hoc in loco non Apoſtolicos, quorum XL. idem diſerte præcipitur, intelligendos eſſe, ſed Canonem Antiochenum XXIV. idem etiam conſtituentem: *Et ratio*, inquit, *manifeſta eſt, quod iſtius* (*ſcilicet Turrianici Apoſtolorum codicis nulla neque in Chalcedonenſi Synodo, neque in ſu-*

ſuperioribus retro monumentis, nulla extat mentio. Antiochenæ regulæ & omnibus notiſſimæ erant, & ſunt ab ipſis Chalcedonenſibus patribus diſertiſſimè neque ſemel ex codice Eccleſiæ univerſæ citatæ. Primum vero quod hic dicit, nullam codicis Apoſtolici in Synodo Chalcedonenſi aliiſve retro monumentis extare mentionem, illud eſt quod quæritur: ac proinde hoc pro argumento ſive ratione haberi nequit, cum nihil aliud ſit quam petitio principii. Quod porro ad Canonem Antiochenum ſpectat, plerique ex iis, quos iſta Synodus divulgavit Canones, ex Apoſtolicis, ut oſtendimus, ſumpti ſunt. Atque ideo cum patres Chalcedonenſes antiquos citent Canones, ad Canonem iſtum non ut a Concilio Antiocheno editum, ſed ut antiquitùs conſtitutum reſpexiſſe videntur. Quod etiam ex eo indubium redditur, quod omnes quidem Antiocheni Canones in codicem Canonum Eccleſiæ univerſæ ante illud tempus collecti a patribus Chalcedonenſibus in primo ipſorum Canone confirmati ſunt: adeo ut non opus eſſet, ut denuo confirmarentur. Hoc enim nihil aliud eſſet quam actum agere. Quo quidem crimine ne teneri viderentur patres, Canones, quos Canone ſuo XXII. laudant, ab iis, quos primo confirmarant, apertè diſtinguunt. Hos enim τοὺς παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων καθ' ἑκάστην σύνοδον ἄχρι τοῦ νῦν ἐκτεθέντας κανόνας appellant; illas autem τοὺς πάλαι κανόνας. Et ubicunque in Actis ſuis Canones Eccleſiæ univerſæ, inter quos Antiocheni numerantur, laudant, eos perpetuo ſub generali *canonum* nomine comprehendunt, *antiquos* nuſquam appellant. Hos autem diſerte *antiquos* vocant, ut ita eos a reliquis diſcernerent. Ut nihil ſit quod dicat Dallæus, *invidiam non eſſe canones Synodi ante* CX. *annos Antiochiæ habitæ* τοὺς πάλαι *veteres ſive antiquos dici.* Quamvis enim ita fortaſſe dici potuiſſent, ita tamen dicti nuſquam inveniuntur. Neque cauſa dici poteſt, cur hoc ſolo in loco & non alibi ita dicerentur. Et præterea Canones Antiocheni, licet ante annos 110 conſtituti, iſtis tamen diebus paſſim obtinebant, atque ideo *præſentes*, quibus præſens ſcilicet adminiſtratur Eccleſia, potius quam *antiqui* dici meruerunt. Apoſtolici autem, quibus Eccleſia primitiva ante editos univerſæ Canones adminiſtrata fuerat, ſummo jure *antiqui* dicti ſunt, ut aliquot ante ſeculis conſtituti, & per novam iſtam Canonum editionem tunc temporis pene antiquati. Hæc Obſervatori ſuboluiſſe videntur. Qui propterea licet eadem quæ Dallæus de hoc argumento dixerit, veritus tamen ut hæc lectori in Dallæi verba non jurato ſatisfaciant, alio confugit, dicitque, *Canoni Antiocheno non intempeſtivè forte adjicias Canonem* XXXII. *codicis Canonum Eccleſiæ Africanæ ex Concilio Carthaginienſi Anno Domini* CC CXIX. *habiti* (*habito* haud dubie legendum eſt.) Ut alia autem, quæ plurima contra no-

novum hoc Commentum produci poterant, in præſenti miſſa faciamus, quicquid ipſi videntur, alii omnes uno ore conſentient, patres Chalcedonenſes non adeo incautos fuiſſe, & Antiquitatis imperitos, ut Canonem triginta tantum annis ante conſtitutum, ſi notum habuiſſent, *antiqui* nomine decorarent. Reſtat itaque,ut nec Canon Antiochenus, quod Dallæus,nec Carthaginienſis, quod Obſervator voluit, ſed Canones Apoſtolici,quod nos volumus,a patribus Chalcedonenſibus hoc in loco ſub τῶν πάλαι κανόνων nomine commemorentur.

CAPUT

CAPUT XIII.

Synopſis.

I. Alexandri *Alexandrini teſtimonium vindicatur. Is nec ad Eliberitanos nec ad Arelatenſes canones reſpexit.*
II. *Canon non ſcriptus non potuit ab* Alexandro *dici Apoſtolicus. Ad locum* Epiphanii *de hac re reſpondetur.*
III. Conſtantini M. *Imp. teſtimonium defenditur. Canon Apoſtolicus ab eo memoratus de Apoſtolorum traditione intelligi non poteſt. Et ſi ita intelligatur, nihil noſtræ opinioni adverſatur.*
IV. *Contra* Julii *P.R. teſtimonium nihil objectum.*
V. *Concilii* C.P. *teſtimonium Obſervator ſex oppugnavit exceptionibus, quarum prima nihil eſt quam vel conceſſio vel petitio principii.*
VI. *Secunda exceptio de diſſonantia inter canones Apoſt.& C.P. refellitur; ut & tertia de* Balſamone, Zonara, *ac* Ariſteno, *canones Apoſt. hic non citantibus. Synodus* Carthaginienſis *nec can. Apoſtolicis nec decreto* C.P. *adverſatur.*
VII. *Ad quartam exceptionem, ſæpe reſponſum eſt. Et quinta* τὸ ἐν ἀρχῇ *poſtulat.*
VIII. *Ultima exceptio diluitur. Patres* C.P. *nec ad canones* Antiochenos *reſpexerunt, nec ad* Nicænos. *S.* Hieronymi *locus explicatur.*
IX. *Teſtimonium Synodi* Epheſinæ *defenditur. In eo nec* Nicænus *nec* C. P. *canon indicatur, ſed* Apoſtolicus.
X. *Contra illuſtre* Theodoſii *Imp. teſtimonium à nobis adductum, nihil ab adverſariis exceptum eſt.*

I. Vindicatis iis veterum teſtimoniis quibus Canones, quorum antiquitatem defendimus, ſub *Antiquorum* & *Eccleſiaſticorum* nomine citati ſunt; ſupereſt modo inſpiciamus quas eruditi viri exceptiones excogitarunt adverſus ea, quæ eoſdem Canones *Apoſtolorum*, & *Apoſtolicos* verbis conceptis nuncuparunt. Primum hujus generis teſtimonium a nobis allatum, eſt illud Alexandri Epiſcopi Alexandrini, qui in epiſtola ad Alexandrum Conſtantinopolitanum apud Theodoret. Hiſt.Eccl.lib. 1.cap.4.diſerte ait, μήτε τὸν Ἀποστολικὸν κανόνα συγχωρεῖν, *neque Apoſtolicum canonem permittere*, ut ab aliis excommunicati ab

aliis

aliis in Eccleſiam recipiantur. Quod quidem ſub graviſſima pœna ſancitur a Canone Apoſtolico XII. Quid ad hoc Dallæus? Nihil. Quid Obſervator? Quod tantidem eſt. Dicit enim primo, *Nullum ab Alexandro indicari peculiarem canonem, nullamque ab eo memorari canonum Apoſtolicorum ſyllogen.* Obſervat. pag.17. Quid autem? Annon peculiaris Canon ab Alexandro indicatur, ubi *Apoſtolicus* diſertiſſime laudatur? Annon iſtum atque alios quoſcunque Canones clariſſimè diſtinguit, cum *Apoſtolicum* appellat? Quinam (quæſo) Canones iſto nomine antiquitus nuncupati ſunt, præter eos quos hodie *Apoſtolicos* nominamus? Sed expectat forſitan vir eruditus, ut Alexander locum etiam indicaret, quem hic Canon in codice obtinuit, hoc eſt, ut hi Canones aliter atque alii omnes ante quintum declinatum ſeculum, & poſtea etiam plerique, citarentur. De hoc autem fuſius ante diſſeruimus, nec opus eſt hic plura adjiciamus. *Verum nulla hic* (inquit) *memoratur canonum Apoſtolicorum ſylloge.* Eſto. Quid tum inde? Nicæni Canones, aliive nuſquam citantur, præterquam ubi tota eorum ſylloge memoratur? Alexander quidem unum tantummodo Canonem Apoſtolicum memorandi occaſionem habuit, ac propterea totam citare ſyllogen non modo non neceſſe, ſed & ſuperfluum eſſet. Iſtum autem unum memorando, codici quo habetur luculentum ſatis teſtimonium perhibuit. Huic autem exceptioni toties ab ipſo uſitatæ, & a nobis antea refutatæ, parum confiſus addit vir doctus, *Secundo Apoſtolicam illam regulam Alexandro nihil aliud eſſe, quam canones ante concilium Nicænum ſancitos, velut can. LIII. concilii Eliberitani, anno CCCV. celebrati; vel XVI. concilii Arelatenſis primi, anno CCCIV. habiti.* Quid Alexandro in Ægypto cum provincialibus Conciliis in Hiſpania & Gallia celebratis? Incertum quidem eſt an Alexander de urbe Eliberi aut Arelate, incertius an de provincialibus Epiſcoporum ibi celebratis Conciliis, incertiſſimum autem an de Canonibus ab iſtis Conciliis editis ullam, vel tenuiſſimam auditionem acceperit. Certiſſimum vero, quod ſi Canones ab illis ſuâ ipſius ætate conſtitutos ſciviſſet, eos *Apoſtolicos* vocare nequaquam voluit: neque Alexandrum Conſtantinopolitanum certiorem facere Apoſtolicum, ſed Eliberitanum aut Arelatenſem Canonem hoc non permitterè. Nihil autem apertius eſſe poteſt, quam Alexandrum talem voluiſſe Canonem, qui non modo in Hiſpania aut Galliis, ſed Alexandriæ & Conſtantinopoli obtinebat, iſtiſque in locis vulgo notus erat, & quidem ſub nomine Canonis Apoſtolici, quod quidem nomen nec Eliberitani, nec Arelatenſes, nec alii quivis unquam obtinuerunt Canones, præter eos quos in codice Canonum Eccleſiæ primitivæ unà collectos habemus.

II. Prævidens autem cautus Obſervator, neminem ſibi aſſenſurum fore Canones Eliberitanos aut Arelatenſes ab Alexandro indicatos eſſe, ſe aliò

aliò confert, ad Canonem nimirum iſtum, ut ipſi videtur, non ſcriptum, publicoque tametſi tacito omnium uſu ac conſenſu receptum, ſecundum quem Clerus Romanus vacante ſede poſt Hygini mortem, nempe circa Annum Domini CL. Marcionem ob vitiatam virginem a proprio parente excommunicatum, in communionem admittere recuſavit, ab Apoſtolorum diſcipulis edoctus, *Cur me*, inquit Marcion, ſeniores illos alloquens, *recipere noluiſtis? Reſponderunt illi, nobis injuſſu venerandi patris tui facere iſtud non licet: una ſiquidem fides eſt, & animorum una conſenſio: neque contra ſpectatiſſimum comminiſtrum patrem tuum moliri quippiam poſſumus.* Apud Epiphan. Hær. XLII. pag. 302, 303. Quibus recitatis ſubjungit vir doctus; *Ecce Apoſtolicum Canonem non fictitium illum quidem, ſed verum ac genuinum ab Apoſtolis diſcipulis ſuis traditum, & ab Apoſtolorum diſcipulis non ſcripto, ſed uſu ac praxi ad ſucceſſores tranſmiſſum. Nam ab Apoſtolorum diſcipulis edocti Eccleſiæ Romanæ ſeniores ſive Presbyteri Marcionem a patre excommunicatum recipere noluerunt, quia ſcilicet hæc erat Eccleſiæ diſciplina, ut ab aliis excommunicati ab aliis ſine excommunicantium conſenſu non admitterentur.* Obſervat. pag. 17, 18. Sane Franciſcus Turrianus, ſi reviviſceret, multùm te amaret, vir erudite, & ſingulares tibi gratias ageret, quod tam inſigne ei ſubminiſtraſti argumentum, quo Canones hoſce ab ipſis Apoſtolis traditos fuiſſe demonſtraret, cùm quod in uno ſaltem eorum habetur, Apoſtolicæ traditioni attribuendum, imo ab ipſis Chriſti Apoſtolis diſcipulis ſuis traditum fuiſſe, non confitearis modo, ſed & probatum ei dederis. Quod enim dicis, hoc non ſcripto ſed uſu ac praxi ad ſucceſſores eorum tranſmiſſum eſſe, id gratis dictum eſt. Nec veriſimile eſt Apoſtolorum diſcipulos, eorumque ſucceſſores, ea omnia ſcripto non mandaſſe, quæcunque ab ipſis Domini Apoſtolis tradita acceperant. Nos etiam ſummas tibi, quas poſſumus, habemus gratias, quod ſecus ac alibi conſuetus es ingenue hic confitearis, hanc ſecundo currente ſeculo in Eccleſia obtinuiſſe diſciplinam, ut ab aliis excommunicati ab aliis ſine excommunicantium conſenſu non admitterentur. Hinc enim conſtat, & pro confeſſo habemus, hanc Canonum collectionem primitivæ ac Apoſtolicæ Eccleſiæ diſciplinam, quæ ſecundo vigebat ſeculo, hâc ſaltem in parte fideliter exhibere. Quod autem hanc veteris Eccleſiæ diſciplinam non ſcripto, ſed uſu & praxi ad ſucceſſores tranſmiſſam eſſe iterum aſſeveras, eo quidem magnum ſanctiſſimis iſtorum temporum Epiſcopis crimen inſers, ac ſi curæ ſibi commiſſæ adeo negligentes eſſent, ut Eccleſiaſticam ab ipſis Chriſti Apoſtolis eorumque diſcipulis acceptam diſciplinam ſcriptis mandare, atque ita poſteritati tradere non curarint. Quo quidem nihil iis antiquius eſſe debuit. Nos univerſos illos pientiſſimos Apoſtolicæ Eccleſiæ antiſtites tantæ incuriæ inſimulare non auſi ſumus; præſertim cum contrarium luculentiſſime pateat. Quarto enim, ut videmus,

ineunte ſeculo Alexander Epiſcopus Alexandrinus Canonem Apoſtolicum de hac re editum verbis diſertiſſimis laudavit. Quod quidem nec voluiſſet facere, nec potuiſſet, ſi diſciplina iſta uſu tantum, & non ſcripto Canone ad ipſum tranſmiſſa fuiſſet. Cùm ipſe autem non τὸ ἀρχαῖον ἔθος, non τὴν Ἀποστολικὴν παράδοσιν, ſed expreſſe τὸν Ἀποστολικὸν κανόνα citaverit, iſtâ loquendi formulâ clariſſime demonſtrat, ſe Canonem ſcriptum voluiſſe: Eo enim quòd *Canonem* vocat, ab uſu & traditionibus non ſcriptis, qui *Canones* nunquam appellati ſunt, eum apertè diſtinguit. Quapropter ſi ipſe Obſervator poſt illa Epiphanii verba dicat, Ecce *Apoſtolicum Canonem*, ubi nec Canonis nedum Apoſtolici ulla vel tenuiſſima occurrit mentio; quanto majori jure nos dicamus, Ecce *Apoſtolicum Canonem* non fictitium, non ſpurium, non nullum, ſicut Obſervatoris, ſed verum & genuinum, a clariſſimo viro, digniſſimo Eccleſiæ Alexandrinæ Epiſcopo, totidem verbis memoratum? Sed en viri confidentiam poſt præmiſſa dicentis, *Quid ad hæc repoſiturus ſit Beveregius non video: nullus ſiquidem ei ſupereſt tergiverſandi locus, cùm ipſe fateatur ſecundo labente, & ineunte tertio à Chriſti nativitate ſeculo conſtitutos eſſe, quos cæco proſequitur amore Canones Apoſtolicos. Epiphanii enim narratio tempus a viro docto præſtitutum anteceſſit.* Obſervat. pag. 18, 19. Rectiſſime quidem dicit ſe non videre quid ad hæc repoſiturus ſum; nihil ſiquidem in iis video quod reſponſionem mereatur. Nec ullâ machinâ expiſcari poſſum, quid ſibi velit Obſervator per totam hanc hiſtoriam ex Epiphanio petitam, nedum quid ſibi ex eadem probare propoſuerit. Epiphanius refert Marcionem a ſenioribus Romæ, qui ab Apoſtolorum diſcipulis edocti adhuc ſupererant, poſtulâſſe, ut in Eccleſiæ communionem reciperetur: illos autem hoc ei denegâſſe, dicentes, ὅτι οὐ δυνάμεθα ἄνευ τῆς ἐπιτροπῆς τοῦ τιμίου πατρός σου τοῦτο ποιῆσαι, *Illud abſque permiſſione venerandi patris tui facere nequaquam poſſumus.* Quid hinc colligit eruditus Obſervator? Apoſtolicum quidem, ſed non ſcriptum, de hac re Canonem tunc temporis extitiſſe? Ubi autem Epiphanius *Canonem* citat? Ubi non ſcriptum fuiſſe docet? Vel ſi talis nondum ſcriptus extitiſſet Canon, quid vetuit quo minus antè CL. annos, poſt quos Alexander, de cujus teſtimonio agimus, claruit, ſcripto traderetur? Sed nondum fortaſſe mentem Obſervatotis aſſecuti ſumus. Verba igitur denuo recolamus. Dicit autem Apoſtolicum Canonem nihil aliud Alexandro fuiſſe quam Canonem illum non ſcriptum, ſed publico tantum uſu ac conſenſu receptum, ſecundum quem Clerus Romanus Marcionem a patre excommunicatum, admittere recuſavit. Verum ubi loci Clerus Romanus hoc Marcioni ex Canone Apoſtolico recuſâſſe dicitur? Dicitur quidem id recuſâſſe, quod ſine patris conſenſu id facere non liceret, nullâ omnino Canonis vel Apoſtolici, vel Eccleſiaſti-

ci,

ci, vel ſcripti, vel non ſcripti, mentione factâ. Sub quonam itaque rationis prætextu affirmare potuit vir doctus, Canonem Apoſtolicum nihil aliud Alexandro fuiſſe, quam Canonem illum ab Epiphanio ibi memoratum, ubi nullus omnino Canon memoratur? Sed ut ut eſt, aſſerit nihilominus Obſervator, nullum modo nobis ſupereſſe tergiverſandi locum. Nec quidem tali loco nobis opus eſt. Etiamſi enim fateamur, Canones hoſce Apoſtolicos ſecundo labente, vel tertio ineunte ſeculo, conſtitutos & collectos eſſe, iſtamque Epiphanii narrationem tempus illud anteceſſiſſe, nihil prorſus incommodi noſtræ exinde opinioni orietur. Nihil enim intereſt utrum Eccleſiaſtica iſta diſciplina Anno D. CL. ſcripta an non ſcripta fuerit. Si talis enim tunc ſcriptus Canon extaret, quin idem poſtea renovari, & in hunc Apoſtolicorum codicem referri potuerit, nemo dubitabit. Quod ſi iſta Eccleſiæ diſciplina ſecundo adulto ſeculo nondum ſcripto mandata eſſet, ut Obſervatori videtur, eandem tamen eodem labente ſeculo literis conſignari potuiſſe, nec ipſe, nec quivis, ut opinor, alius negabit. Præſertim cum talem Canonem reipſâ ſcripto traditum, & quarto ineunte ſeculo paſſim cognitum fuiſſe, ex hoc Alexandri Apoſtolicum de ea re Canonem diſerte laudantis teſtimonio ſatis abunde conſtet. Cujus vim atque evidentiam cum Obſervator omni qua pollet arte ſophiſticâ effugere non valuerit, in obſcuras quaſdam circumlocutiones erupit, quibus incautis imponeret lectoribus & perſuaderet, Canonem Apoſtolicum ab Alexandro laudatum, Canonem omnino non eſſe, ſed neſcio quem Eccleſiæ uſum in Canonem nunquam formatum. Cùm autem in multis illis magniſque, quæ de hac re coacervavit, verbis nihil prorſus vel planè vel appoſitè ad rem dixerit, tam prolixæ in eum reſponſionis me ſuppœnitet: ac proinde ne aliis pariter atque mihimet injurius ſim, ad alia tranſiliam oportet.

III. Poſt Alexandrum Epiſcopum Alexandrinum, Conſtantinum Imperatorem Romanum, auguſtiſſimum veræ Canonum Apoſtolicorum antiquitati adſtruendæ teſtem citavimus, qui ſcilicet Euſebium Epiſcopum Cæſarienſem commendans, quod Antiochiam transferri recuſârat, eum hoc modo, & mandata Dei, & Canonem Apoſtolicum & Eccleſiaſticum, cuſtodiiſſe affirmat. Euſeb. de vita Conſtant. lib. 3. cap. 61. Ubi ut videre eſt, Canon Apoſtolicus & à mandatis Dei & à Canonibus Eccleſiaſticis diſtinguitur. Qui quidem Canon de ea re ſancitus ab Euſebio cuſtoditus, & ab Imperatore propterea hic memoratus, in vulgari noſtra Canonum Apoſtolicorum ſylloge decimus quartus numeratur. Hoc illuſtriſſimum pro Canonibus Apoſtolicis teſtimonium Joh. Dallæus haudquaquam tetigit, & Obſervator quidem leviſſimé. Quod ut omnibus manifeſtum fiat, propria ipſius verba a capite ad calcem tranſcribere non pigebit. *Quæ affert*, inquit, *ex lib. 3. cap. 61, & 62. de vita Conſtantini facile diluuntur, ſi per Canonem Apoſtolicum Apoſtolorum intelligis traditionem*

tionem, & per Eccleſiaſticam ſanctionem Canonem Nicænum XV. vel conſuetudinem ſeu uſum antiquum, qui ante illud Concilium in Eccleſia vigebat, & tacito Chriſtianorum conſenſu pro lege habebatur, donec tandem a Nicænis Patribus in Canonem fuit redactus, & literis traditus. Præterea, Conſtantinus de Canonum Apoſtolicorum collectione penitus tacuit, nullumque præcise Canonem deſignavit. Obſervat. pag. 16, 17. Qui hæc legit, ea primo intuitu deprehendat, verba eſſe hominis cauſæ ſuæ diffidentis, ac proinde perditè ſe gerentis, nec admodum ſoliciti, quid dicat, modo aliquod dixiſſe videatur. Primo enim, *Hæc,* inquit, *facile diluuntur, ſi per Canonem Apoſtolicum Apoſtolorum intelligis traditionem.* Quibus ſane verbis ſe ſuſpenſum animo & incertum pendere prodit, an hoc teſtimonium ita diluatur. Modo ſi quis incautus votis ejus ſubſcribens, per Canonem Apoſtolicum Apoſtolorum traditionem intelligere dignatus erit, tunc demum facile illud dilui poſſe arbitratur. Verum quid ſi neminem adeo credulum, & præcipitem judicio invenerit, qui Apoſtolorum traditionem per Canonem Apoſtolicum intelliget? Eo quidem pacto diluatur forſitan hoc teſtimonium, ſed admodum difficulter. Quid autem ſi per *Canonem Apoſtolicum* nihil aliud intelligamus quam *Canonem Apoſtolicum*? Tunc, ipſo etiam Obſervatore judice, hæc reſponſio nihil valebit, hocque Imperatoris teſtimonium nullo modo diluetur. Quis porro adeo ſtipes eſt & bardus, quis antiquitatis Eccleſiaſticæ adeo ignarus, quis omnium rerum & ſcriptorum adeo neſcius, quis denique omni ratione pariter atque ſenſu adeo captus eſt, qui per *Canonem Apoſtolicum* aliud quam *Canonem Apoſtolicum* intelligat? Hæccine verba adeo obſcura ſunt aut ambigua, ut interprete indigeant? aut ad aliud neſcio quid transferantur neceſſe eſt, priuſquam ſenſus ex iis eliciatur? Annon clariſſimis quibus mentem ſuam explicare potuit verbis Imperator, Canonem Apoſtolicum ut à mandatis Dei ſimul ac à Canonibus Eccleſiaſticis diſtinctum memoravit? Annon etiam in Canonibus iſtis qui Apoſtolici antiquitus dicti fuerunt, illud expreſſe habetur, quod hic ab Imperatore indigitatur? Quo itaque jure verba in ſe planiſſima nullâ prorſus cogente neceſſitate in alienum, quem nunquam ferant, ſenſum violenter adeo torqueamus? Sane ſi hoc modo cum omnibus veteris Eccleſiæ monumentis agere liceret, ea vel legere vel penes me habere haud operæ pretium duxerim: nihil enim dicent, niſi quod ipſi volumus. Verum tantæ in veterum ſcripta injuriæ hoc ſaltem in loco, eruditum Obſervatorem accuſare non auſus ſum: quippe qui non affirmat, Apoſtolorum traditionem per Canonem Apoſtolicum hic intelligi, quod ipſe falſum eſſe probe novit, ſed per dubitandi particulam *Si* illud aliis judicandum relinquit: quibus ſi ita intelligere placuerit, hoc teſtimonium *facile,* inquit, *diluitur.* Sed & in hoc etiam vir doctus magno errore tenetur. Licet enim canon Apoſtolicus neceſſario in iſtis verbis intelligendus

telligendus ſit, in quibus ſcilicet præciſè laudatur, is tamen ab Apoſtolis traditus eſſe potuit, atque ideo inter Apoſtolorum traditiones recenſeatur, iſtas nimirum, quæ proximo poſt eos ſeculo ſcripto mandatæ, & in canonum Eccleſiaſticorum formam redactæ ſunt. Quapropter etiamſi per canonem Apoſtolicum Apoſtolorum intelligas traditionem, nihil efficies, niſi iſtiuſmodi inſuper traditionem intelligas, quæ ſcriptis nunquam tradita fuit. Hanc autem ante quartum ſeculum non ſcriptam fuiſſe, Obſervator nec probare poteſt, nec (ut opinor) affirmare. Nos in contrariam prorſus venimus ſententiam, eo inducti, quod Imperator Conſtantinus Apoſtolicum de hac re canonem definitè laudaverit. Cujus illuſtre teſtimonium tantum abeſt ut infringatur, ut firmius potius hâc, ſi ita dicatur, exceptione ſtabiliatur, ſiquidem tam ſagax & emunctæ naris Obſervator nihil plane invenire potuit, quod contra illud vel objectio vel etiam exceptio dici mereatur.

Quæ poſtea addit vir doctus de Eccleſiaſtica ſanctione a Conſtantino etiam memoratâ, huc non pertinent, ac propterea utrum ea ad canonem Nicænum, an ad antiquum uſum referatur, nihil hic laboramus. Notatum modo obiter velimus, permirum eſſe, ſi Conſtantinus ad antiquum aliquem uſum confugerit, cùm ipſe talem à Synodo Nicæna paulo ante editam fuiſſe ſanctionem probe noverit: quam etiam ſanctionem, & non nudum Eccleſiæ uſum ſive conſuetudinem hic intelligendam eſſe, ex eo ſatis conſtat, quod ὁ τῆς ἐκκλησίας κανὼν appellatur. Cum hæc autem omnia æquis lectoribus haud ſatisfactura eſſe proſpectum habuerit eruditus Obſervator, ad conſuetum ipſius refugium hic etiam recurrit, dicitque, *Præterea Conſtantinus de Canonum Apoſtolicorum collectione penitus tacuit, nullumque præciſè Canonem deſignavit.* Verum cum hæc toties a nobis refutata ſint, & funditus everſa, eadem hic repetere, & ad incudem revocare, opprobrio nobis & lectori tædio eſſet.

IV. Quæ Julii Papæ Romani epiſtola ad Epiſcopos Orientales in cauſa S. Athanaſii ſcripta nobis confirmandæ canonum Apoſtolicorum vetuſtati teſtimonia ſuppeditavit, a nobis hic primo obſervata & adducta ſunt. Quocirca nec Dallæus, nec Obſervator ullas contra ea exceptiones effingere conatus eſt. Nec video ſane quid contra tam perſpicua objiciatur teſtimonia, præter ea quæ jam ſæpe à nobis retuſa ſunt, ut non opus ſit iis hic immoremur.

V. Proximum in hoc genere pro canonibus Apoſtolicis teſtimonium adduximus ex concilio Conſtantinopolitano ſub Nectario habito Anno Domini CCCXCIV. ubi quæſtione propoſitâ, utrum Epiſcopus de criminibus quibuſvis accuſatus a duobus Epiſcopis jure ſive canonicè deponatur, decretum eſt, Epiſcopum nec a tribus nedum a duobus deponendum eſſe, ſed majoris Synodi & Provinciæ Epiſcoporum ſententia,

καθὼς καὶ οἱ Ἀποστολικοὶ κανόνες διωρίσαντο, *quemadmodum & Apoſtolici Canones definierunt.* Quo quidem teſtimonio nihil gravius, nihil evidentius, nihil diſertius proferri poteſt. Hoc enim expreſsè definitum eſt, canone Apoſtolico LXXIV. Clariſſimus vir Joh. Dallæus huic ut à Turriano non citato teſtimonio ſe nullus oppoſuit. Obſervator autem ſub graviſſimo illius pondere laborans ſudanſque, nullum non movit lapidem, quo ſi fieri potuit, vel removeret illud, vel ſaltem removiſſe videatur. Quapropter ſuſpectas habens iſtiuſmodi quas ipſe excogitare ſolet exceptiones, cauſam ſuam hoc in loco paucioribus quam ſex concredere non auſus eſt: quas omnes quotquot ſunt, examinare non gravabor. *Primo*, inquit, *Canon LXXIV. ad quem reſpexiſſe concilii patres hariolatur, Græcis tunc temporis vix notus erat. Nemo enim Græcorum Canones LXXXV. in lucem protulit, ante Johannem Antiochenum, qui ſub Juſtiniano florebat, fatente ipſo Beveregio.* Obſervat. pag. 8. Vereor autem, ut per tantam exceptionum multitudinem firmus ſtabiliſque perambulet vir eruditus, cum in ipſo limine de improviſo titubet. Primo enim faſces hic ſubmittit, & de cauſa quam defendere conatus eſt, inconſideratè cedit. Dicit enim hunc Canonem Apoſtolicum Græcis tunc temporis vix notum fuiſſe. Ergo, ipſo etiam fatente iis non omnino incognitus fuit. Nobis vero ſufficit, ſi ullo modo tunc temporis innotuerit. Inde enim ſatis conſtat, & pro confeſſo habemus, quarto iſtum ſeculo extitiſſe. Quod ſi ſe recolligens, hunc Canonem ne vix quidem; nec omnino tunc dierum cognitum fuiſſe aſſerere voluit, hoc non eſſet objicere, aut quicquam contra luculentum hoc teſtimonium excipere, ſed τὸ ἐν ἀρχῇ poſtulare. Hæc enim eſt ipſa inter nos agitata quæſtio, utrum hi Canones tunc temporis cogniti eſſent. Quapropter hanc primam e numero exceptionum expungat neceſſe habet. Quod ad rationem ſpectat huic exceptionis umbræ, vel ne umbræ quidem annexam, ubi neminem dicit ante Johannem Antiochenum hos LXXXV. Canones in lucem protuliſſe, etſi hoc verum eſſe demus, ſi ita intelligatur, quod nemo quem ſcimus eorum quorum opera hodie ſuperſunt, hoſce ante eum Canones Conciliorum Canonibus interſertos edidit; nihil tamen a vero magis abhorret, quam hos Canones, non in aliis vetuſtioribus Canonum collectionibus, quæ interciderunt in lucem prolatos, paſſimque cognitos fuiſſe; ut fusè oſtendimus de Johanne Antiocheno, ejuſque Canonum collectione agentes. Nos autem hoc in loco non diſputamus de tempore, quo primo hi inter alios collecti fuerunt Canones, ſed de ipſa Canonum antiquitate. Ad quam quidem ſolvendam quæſtionem, nihil intereſt utrum a Johanne Antiocheno, an ab aliis (quod veriſſimum eſt) inter reliquos Eccleſiæ Canones primo compacti, & iſthoc modo in lucem prolati fuerint. Nihil enim dubii eſſe poteſt, quin longe ante ſanciti cognitique fuerint, quam in nomocanonem ſive corpus Canonum Eccleſiæ Orientalis admiſſi.

VI.

VI. *Secundo* itaque ait vir doctus, *Canon ille Synodicæ definitioni,*
ua de agitur, nequaquam congruit, nihilque fere cum eâ commune ha-
et. Quod ſi Eruditus Obſervator iſtum Apoſtolicum Canonem LXXIV.
urgatis præjudicio oculis legiſſet,& cum Synodicâ iſtâ patrum Conſtanti-
opolitanorum definitione comparâſſet, neque hanc nobis exceptionem
btruſiſſet. Iſto enim Canone Apoſtolico ſancitum eſt, ut Epiſcopus à
iris fide dignis accuſatus ab Epiſcopis ſive Synodo Epiſcoporum ter vo-
etur, miſſis duobus ad eum Epiſcopis. Et ſi tertio citatus contumax
non ſtiterit, Synodus ea quæ ipſi videntur, adverſus eum pronunciet.
x hujus itaque Canonis præſcripto, Epiſcopus non niſi à Synodo Epiſ-
oporum judicari aut deponi poteſt. Imo quidem à Synodo majori quæ
uos a ſe Epiſcopos ad eum citandum mittat. Hoc autem idem eſt quod
atres Conſtantinopolitani definierunt, ubi ab iis decretum eſt, Epiſco-
um nec à tribus nedum à duobus deponendum eſſe, ſed majoris Synodi
Provinciæ Epiſcoporum ſententiâ, juxta quod in Canonibus Apoſtolicis
efinitum eſt. Unde *Alexius Ariſtenus* ſenſum totius hujus Synodicæ
efinitionis in hanc Epitomen redegit, μὴ χρῆναι πρὸς τὸ ἑξῆς μήτε παρὰ
μήτε παρὰ τριῶν τὸν ὑπεύθυνον δοκιμαζόμενον καθαιρεῖσθαι, ἀλλὰ πλείστος
όδου ψήφῳ, καὶ τῶν τῆς ἐπαρχίας, καθὼς καὶ οἱ ἀποστολικοὶ κανόνες διωρίσαντο.
poſterum reum examinatum nec à duobus nec à tribus deponi oportet,
l majoris Synodi & Provincialium ſententiâ, quemadmodum & Apo-
lici Canones definierunt. Cum hæc itaque Synodica definitio idem
orſus decernat,quod in Canone Apoſtolico decretum eſt, ut Epiſcopus
nirum à Synodo Epiſcoporum judicetur, tantum abeſt ut iſta cum hoc
il, ut omnia potius communia habeat. Adeo ut hæc etiam Exceptio
lli omnino uſui ſit Obſervatori, niſi forſitan ad explendum Exceptio-
m numerum, quibus ſane merito connumeretur, cum reliquarum ad
ar nihil inſigni huic teſtimonio detrahat. Nec ovum ovo ſimilius
m tertia ſecundæ huic Obſervatoris Exceptio. *Tertio,* enim inquit,
lſamon Zonaras & Ariſtenus, qui hanc Synodicam definitionem inter-
tati ſunt, nihil plane dicunt de Canone Apoſtolico; neque ad eum re-
xiſſe Synodum innuunt. Quid tum poſtea? An neceſſe erat Canonum
erpretibus ſingula quæ in iis occurrunt verba explicare, & oſtendere
quænam veterum ſcripta reſpectum habeant? Balſamon, Zonaras &
tenus perſuaſiſſimum habuerunt, omnes hoſce ab ipſis Apoſtolis vel
em à viris Apoſtolicis conditos fuiſſe Canones; De eâ re etiam inter
verſam Eccleſiam Orientalem conveniebat, adeo ut nemo in dubium
ocaret. Ac propterea non opus erat doctiſſimis iſtis in Canones Scho-
is argumenta congerere ad id confirmandum, quod nemo negabat.
llus Dallæus, aut Obſervator iſtis diebus extitiſſet, qui hos Canones
à viris Apoſtolicis ſed hæreticis, non à primitivâ Eccleſia ſed poſt

R quin-

quintum adultum ſeculum confictos editoſque fuiſſe, affirmare auſus eſſet, tunc haud dubie celeberrimi illi Canonum interpretes luculentum hoc teſtimonium obſervâſſent, quo Canonum horum antiquitatem aſſererent. Cum nemo autem talis inventus eſſet, nulla prorſus neceſſitas flagitabat, ut hi Canonum interpretes de Apoſtolicorum hoc in loco antiquitate diſputarent, vel Synodum Conſtantinopolitanam reſpectum ad eos habuiſſe quovis modo innuerent. Ex eorum autem ſilentio hic diſputare, eſt tantum non ſe victum agnoſcere: præſertim cum exinde pateat, quam ſolidis ad evertendam horum Canonum antiquitatem argumentis deſtitutus fuerit vir eruditus, quandoquidem ad eos etiam confugere coactus eſt, quos ipſe acerrimos eſſe Apoſtolicæ eorum inſtitutionis propugnatores bene novit. Adhæc *Canones Apoſtolici* in ipſâ Synodicâ definitione diſertiſſime citantur, adeo ut Alexius Ariſtenus eorum citationem tanquam eſſentialem definitionis partem in ſuam etiam Epitomen redegerit. Quid igitur opus erat, ut vel ab eo vel ab aliis denuo recitaretur, præſertim in brevibus iſtis commentariis, quæ in hoc Synodi Conſtantinopolitanæ decretum elaborarant? Sed *Scholiaſtæ*, inquit vir doctus, *Obſervant duntaxat, Canonem duodecimum Synodi Carthaginenſis iſtâ Conſtantinopolitanâ poſterioris, rem aliter definiiſſe & conſtitutionis, ex quâ argumentatur vir doctus, vim atque pondus elevâſſe: quod minime facturi erant Carthaginenſes patres, ſi eam Apoſtolico Canone inniti arbitrati eſſent.* Hæc profert Eruditus Obſervator, ac ſi pro comperto habuiſſet, hanc Provincialis Synodi Conſtantinopoli habitæ definitionem Patribus Carthaginenſibus innotuiſſe. Ubi hoc legit, quove pacto id ſcire potuit, me prorſus latet: cui vero multò ſimilius videtur, nec ipſam hanc Synodum in alienâ & remotâ Provinciâ celebratam, nedum decretum ab iſtâ editum ad eorum aures unquam perveniſſe. Quod ſi de Synodicâ hac definitione nunquam audiiſſent, quomodo eam Apoſtolico Canone inniti arbitrari poterant? Sed utcunque ſe res habeat, demus doctiſſimo obſervatori quicquid ipſe hic poſtulare poteſt, ſed non probare, demus ei Synodicam hanc definitionem Patribus Carthaginienſibus cognitam fuiſſe, demus eoſdem patres hæc ipſa in eâ verba legiſſe, καθὼς καὶ οἱ Ἀποστολικοὶ κανόνες διαγορεύουσι, demus etiam eos propterea arbitratos eſſe, hanc definitionem Apoſtolico inniti Canone, quid ex hiſce poſtulatis datiſque eliciatur? Patres Carthaginenſes rem aliter definire noluiſſe, quam à Synodo Conſtantinopolitanâ ex Canonis Apoſtolici præſcripto definita fuerat? Nullo modo. Nemo enim neſcit Synodos poſteriores ſæpe alia, nonnunquam & contraria conſtituiſſe ac quæ à prioribus conſtituta fuerant: idque licet priores illæ Oecumenicæ ſive univerſales & poſteriores ſingularium tantummodo Provinciarum Synodi eſſent. Quod ſexcentis, ſi neceſſe eſſet, exemplis demonſtrare licet. Enimvero in unaquaque

Pro-

Provinciâ Epiſcopi qui eam adminiſtrant, neceſſitate multoties coacti ſunt, à veterum Synodorum etiam generalium decretis aliquantulum recedere, & ea definire, quæ præſens Eccleſiæ ſtatus poſtulat, licet aliter fortaſſe antea definita fuerant. Verum in negotio, quod ſub manibus habemus, aliud etiam obſervare eſt. Canones enim Apoſtolici, & ex iis Patres Conſtantinopolitani decreverant, ut Epiſcopus à Synodo Epiſcoporum judicetur aut deponatur. Sed Patres Carthaginienſes advertentes omnes, pluresve Provinciæ cujuſque Epiſcopos ſemper convenire non poſſe, conſtituerunt ut Epiſcopus accuſatus à duodecim minimùm Epiſcopis audiatur. Quæ quidem conſtitutio, licet minimum Epiſcoporum, qui ad tale ferendum judicium convenire debeat, numerum de novo definierit, tamen nec Canonibus Apoſtolicis nec definitioni Conſtantinopolitanæ adverſatur. Patres enim Carthaginienſes hunc ſuum Canonem duodecimum tunc tantum valere jubent, cum γινήσηται πολλὴ ἀνάγκη, ὥστε μὴ δύνασθαι συνελθεῖν πολλούς, *fieri non poſſit omnino ut plures conveniant.* Ergo ſi fieri poſſit, plures vel omnes Provinciæ Epiſcopi ad cauſam Epiſcopi accuſati audiendam convocandi ſunt, etiam ex hoc ipſo Patrum Carthaginienſium decreto, qui veterum quoque Synodorum decretis ſe religioſe inſiſtere profitentur. Hunc enim ſuum ipſorum Canonem is verbis incipiunt, Ἀναφερέτω κατὰ τὰ ὁρισθέντα ἐκ τῶν παλαιῶν συνόδων. Quibus verbis veterum Synodorum decreta (inter quæ Canones Apoſtolici recenſendi ſunt) de hac re edita indigitant, quibus ſcilicet cautum ſit ut Epiſcopus à Synodo Epiſcoporum judicetur: quibus proinde ipſi in eo condendo Canone non repugnarunt, ſed tantum minimum conſtituerunt Epiſcoporum numerum, ex quo talis Synodus conſtare debet. Quod quidem vel Canonis Apoſtolici vel definitionis Conſtantinopolitanæ *vim atque pondus elevâſſe* nemo Obſervatori, nec jurejurando id affirmanti, fidem habebit. Tale enim decretum Patres Carthaginienſes ſummo jure edere potuerunt, etiamſi definitionem iſtam Conſtantinopolitanam Canone vere Apoſtolico, ſive ab ipſis Apoſtolis conſtituto, inniti arbitrati eſſent: multo magis ſi ipſi Canones Apoſtolicos in iſto decreto memoratos, nobiſcum conſenſerint, nihil aliud eſſe quam veterum Synodorum decreta, quorum & ipſi hoc in loco meminerunt.

VII. Tres quæ ſuperſunt contra hoc teſtimonium exceptiones vix digſunt quibus reſponſum detur. Quarto enim dicit, quod *nullum præ è Canonem indicant Conſtantinopolitani patres, nullamque cujuſdam nonum Apoſtolicorum ſylloges mentionem faciunt, ſed de Canonibus Apoſtolicis generaliter loquuntur.* Hæc autem non eſt huic peculiaris ſed nibus pro Canonum Apoſtolicorum antiquitate teſtimoniis quaſi communis Exceptio. Ubique enim jactitatur à viro erudito, ſed ſe prorſus onſulto. Ipſum enim latere non potuit, veterum Synodorum Cano-

nes eodem paſſim ſi non perpetuo modo antiquitus citatos eſſe, nullius præciſe Canonis nec Canonum ſylloges mentione factâ. Sed qamvis ille ineptam hanc frivolamque exceptionem toties repetierit, nobis tamen cavendum eſt, ne quod ſuperius fuſe nec ſemel contra eam diximus, deinceps dicamus. Quandoquidem vero dicit Patres Conſtantinopolitanos de Canonibus Apoſtolicis *generaliter loqui*, tanquam ſi illud idem eſſet ac nihil de iis loqui, gratus ab eo acciperem quo demum modo planiùs diſertiúſve de iis loqui potuerunt. Annon enim *Canones Apoſtolicos* de hâc re ſancitos totidem verbis memorarunt? Annon etiam totam eorum ſyllogen clare ſatis & præciſe indicant, cum non ſingularem aliquem Canonem, ſed generaliter Canones ſive corpus illud codicémve Canonum, quo hoc decretum extitit, expreſſè citarint? Cum hæc autem Exceptio ipſi exceptori minùs placuerit, addit, *Quinto Dallæus certis atque evidentibus argumentis demonſtravit, illam Apoſtolicorum Canonum farraginem falſam ac fictitiam eſſe, ab ignoto tenebrione multis poſt Apoſtolorum & Clementis mortem temporibus conſarcinatam, quod imprimis de triginta quinque poſtremis, inter quos numeratur Canon LXXIV. intelligendum eſt. Si Dallæi argumenta refelliſſet vir doctus, noſtrum eſſet illius reſponſiones expendere, & confutare. Sed quoniam pleraque intacta reliquit, exceptis quibuſdam Dallæi conjecturis, quæ ad Canonum iſtorum antiquitatem ſpectant, Dallæanis argumentis inhærere nos oportet, donec ab adverſario refellantur.* Obſervat. pag. 9. Quid eſt, ſi hoc non eſt τὸ ἐν ἀρχῇ iterum poſtulare? Controverſia inter nos agitatur, utrum Canones Apoſtolorum dicti, ante quintum adultum ſeculum ſanciti fuerint, vulgoque cogniti. Nos illud affirmamus, eo inter alia inducti quod Patres Conſtantinopolitani eos in Synodo quarto ſeculo celebratâ diſerte citarunt. Obſervator contra hoc teſtimonium excipit quod Dallæus demonſtravit hanc Canonum Apoſtolicorum farraginem falſam eſſe fictitiam, multis poſt Apoſtolos temporibus, hoc eſt, non ante quintum adultum ſeculum conſarcinatam. Hoc autem id eſt quod in quæſtionem vocatur; & nihil aliud quam probare Canones Apoſtolicos tunc temporis non extitiſſe, ex eo quod tunc temporis non extabant. Qualis raciocinatio exſibilari potius quam refelli meretur. Sed obſervandum præterea eſt eruditum virum hic aſſerere, quod ſi nos Dallæi argumenta refelliſſemus, ipſe reſponſiones noſtras, & expendere & confutare voluit, hoc ſaltem ei incubuiſſet. Verumenimvero ſi nos omnia Dallæi argumenta refutare ſuſcepiſſemus, quâ demum ratione obſeruator pro certo habeat, ſe omnes noſtras reſponſiones confutare potuiſſe, cum eas nondum viderit? Ipſe ne prævidere potuit quid nos reſponſuri eſſemus? Si non, quo pacto præcognovit, reſponſiones noſtras tales fore, quas ipſe confutare potuit? Sane hinc vel cæcus videat nihil Obſervatori antiquius eſſe, quam Dallæum defendere, qualiſcunque

ejus opinio eſſet, verane an falſa. Alioquin enim nunquam dixiſſet ſu-
um ille reſponſiones noſtras ad Dallæi argumenta confutare, priuſquam
eas vidiſſet. Quæ cum ita ſint, omnem eum de verâ horum Canonum
antiquitate convincendi ſpem abjicimus, cùm firmum adeo fixumque
menti ejus inſideat, Dallæi opinionem veriſſimam eſſe, quicquid è con-
tra vel dictum fuit, vel dici unquam poteſt. Quod tamen ſatis mirari
nequeo, cum ipſe hoc in loco ingenue confiteatur, ea quæ ad Canonum i-
storum antiquitatem ſpectantia protulit Dallæus, *Conjecturas* eſſe; Con-
jecturis enim nulla debetur fides, etiamſi nihil adhuc appareat quo ſolide
vincantur. Nos autem non conjecturis ſed graviſſimis veterum teſti-
moniis inſiſtimus, iiſque iſtiuſmodi quibus ille etiam, qui ſe totum illis
opposuit, nihil adhuc invenire potuit, quod ſolidæ cujuſvis exceptionis
materiem ipſi præbeat.

VIII. Exploſis quinque, ultima jam ſola reſtat diſcutienda exceptio,
his verbis concepta. *Sexto*, inquit, *fatetur ipſe Beveregius Canones i-
stos neque ab Apoſtolis, neque à Clemente illorum diſcipulo conditos eſſe.
Ergo per Canones Apoſtolicos Conſtantinopolitani Patres Eccleſiaſticos
significant Canones ante illud tempus conſtitutos.* Hoc ſane totum, quan-
tum quantum eſt, fatemur. Sed quæſtio recurrit, utrum Eccleſiaſtici iſti
Canones à Patribus Conſtantinopolitanis hic ſignificati illi fuerint qui
Apoſtolici vulgo vocantur, ut à primitivâ Eccleſiâ & à viris Apoſtolicis
conſtituti, an alii neſcio qui a poſterioribus Synodis divulgati? Nos pri-
mum tuemur, Apoſtolicos vulgo dictos hic ſignificari contendentes, eo
quod ſub iſto nomine diſerte laudantur. Sed aliud Obſervatori videtur,
qui Canones hoc in loco, licet Apoſtolici dicantur, non tamen Apoſtoli-
cos ſed Antiochenos vel Nicænos ſignificari opinatur. *Conſtantinopoli-
tani Patres*, inquit, *Eccleſiaſticos ſignificant Canones ante illud tem-
pus conſtitutos, quales ſunt Canones IV. XII. XIII. XIV. XV. Conci-
lii Antiocheni ante quadraginta tres annos ſanciti, & ad quos re-
spectum habuiſſe Synodi Conſtantinopolitanæ Epiſcopos nullus dubito.
Imo forte etiam ad Canonem quartum magni Concilii Nicæni, ubi
Epiſcopum ab omnibus Provinciæ Epiſcopis conſtituendum eſſe de-
cernitur; ab iis enim eum deponi oportet, à quibus eſt conſtitutus.
Nempe non minor debet eſſe abdicantium quam conſtituentium nu-
merus. Ideoque Arabianus Ancyræ Epiſcopus & Conſtantinopolita-
norum Patrum unus, hunc Nicænum Canonem ante annos circiter
XX. conditum, laudat, ut oſtendat iniquam eſſe Bagadii Epiſcopi
a duobus ſolis Epiſcopis depoſitionem.* Obſerv. pag. 9. 10. Hic
primo, ut videre eſt, nullus dubitat vir eruditus, quin Synodus
Conſtantinopolitana, ubi Canones Apoſtolicos diſerte citavit, ad
Antiochenos IV. XII. XIII. XIV. XV. reſpectum habuerit. Sed
ſi & cauſæ ſuæ optime conſuluiſſet, ſi nos certiores feciſſet, quibus
in-

inductus ſit argumentis,ut de eâ re nullus dubitaret. Nos enim non modo ſummâ ratione dubitamus, ut ad iſtos Canones hoc in loco reſpectus habeatur, quin potius Canones Antiochenos per Apoſtolicos non ſignificari pro certo habemus. Patres enim Conſtantinopolitani hic decernunt Epiſcopum à majori tantum Epiſcoporum Synodo deponendum eſſe, καθὼς καὶ οἱ Ἀποστολικοὶ κανόνες διωρίσαντο, *Quemadmodum & Apoſtolici Canones definierunt.* Ubi vero Canones Antiocheni hoc definierunt? Illi ſane quos Obſervator recitat, id minime definiunt, ſed ante definitum ubique ſupponunt. Quartus enim Synodi Antiochenæ Canon dicit, *Si quis Epiſcopus à Synodo depoſitus aliquid de miniſterio agere auſus fuerit, is ſpem reſtitutionis non habebit.* Duodecimus, *Si quis Epiſcopus à Synodo depoſitus auſus fuerit Imperatorum auribus moleſtiam exhibere, is nullâ veniâ dignus, nec ſui defendendi locum habebit.* Decimus tertius, *Si quis Epiſcopus aliquos in alienâ Provinciâ ordinaverit, is inſolentiæ ſuæ pœnas dabit, à Sanctâ ſcilicet Synodo exinde depoſitus.* Decimus quartus, *Si quis Epiſcopus ob aliqua crimina judicetur, & Epiſcopos Provinciæ de eo diſſentire contingat, Metropolitanus alios ex Provinciâ propinquâ judices evocet, qui cum Provincialibus controverſiam dirimant.* Decimus quintus, *Si quis Epiſcopus aliquorum criminum accuſatus, ab omnibus Provinciæ Epiſcopis condemnatus fuerit, is ne amplius ab aliis judicetur.* Quiſnam obſecro ex hiſce Canonibus definiit, Epiſcopum non niſi ab Epiſcoporum Synodo deponendum eſſe? Annon omnes, uno ore hoc ante definitum ſupponunt? Qua itaque ratione Patres Conſtantinopolitani ad hos Canones reſpectum habuiſſe dicantur, ubi aiunt, *quemadmodum & Apoſtolici Canones definierunt*, cùm hi Antiocheni id minime definierint? Sane qui nullus dubitat, quin Canones Antiocheni per Apoſtolicos hoc in loco ſignificentur, is de nihilo dubitabit, quod præconceptæ ſuæ opinioni quovis modo favere videatur, nec multum ei intererit, utrum id per fas aut nefas fiat. Præſertim cum Canones Antiocheni à nullo unquam Concilio, a nullo Patre, addam & à nullo antehac Scriptore *Apoſtolici* vocati, vel ſub iſto nomine laudati ſunt, quanto minus à Synodo Conſtantinopolitanâ eodem ſeculo celebratâ, cùm Antiocheni iſti Canones nondum quatuor & quadraginta annos publicati fuerant. Et quidem licet eruditus Obſervator ſe nullum dubitare affirmet Synodum Conſtantipolitanam ad Canones Antiochenos reſpectum habuiſſe, nemo tamen id affirmanti fidem adhibeat, cum ipſe etiam affirmet, ſe nullum dubitare, *quin forte etiam ad Canonem quartum magni Concilii Nicæni* reſpectus ibi habeatur, ubi ſcilicet Epiſcopum ab omnibus Provinciæ Epiſcopis conſtituendum eſſe decernitur. Quî vero hoc vel veri ſimile ei videatur, hariolari nequeo. Quid enim? nihilne intereſt inter Epiſcopi ordinationem & depoſitionem? Patres Nicæni in illhoc Canone de Epiſcopi conſtitutione, Conſtantinopolitani in hoc

hoc decreto de Epiſcopi depoſitione loquuntur, & tamen Obſervator nullus dubitat, quin Patres Conſtantinopolitani forte etiam ad iſtum Nicænorum Canonem reſpectum habuerint, ubi decernunt Epiſcopum non niſi à Synodo Epiſcoporum deponendum eſſe καθὼς καὶ οἱ Ἀποστολικοὶ κανόνες διωρίσαντο. Sed ne portentoſam hanc aſſertionem, vel ſaltem conjecturam, ſine ratione protuliſſe videatur, Ecce qualem reddit, *Ab iis enim*, inquit, *eum deponi oportet, à quibus eſt conſtitutus.* Quid vero ſi hoc fieri oporteat? Nos non diſputamus quid fieri oporteat, ſed quid reipſa factum eſt. An ſcilicet Patres Nicæni definierint Epiſcopum à Synodo deponendum eſſe? Hoc autem à Concilio Nicæno nullibi definitum eſſe, non tantum aliis, ſed & ipſi Obſervatori conſtat; qui propterea alium iſtius Synodi Canonem in hac cauſâ citare non potuit, præter iſtum qui non omnino de depoſitione ſed quæ ab eâ quantum Cœlum à terrâ diſtat, de ordinatione Epiſcopi agit. Quin obſervandum etiam eſt, Canonem iſtum Nicænum iſtam Epiſcopi ordinationem admittere, quæ à tribus Epiſcopis celebratur: Adeo ut ſi abſurdiſſimum ei demus, Epiſcopum ſcilicet ordinari idem eſſe ac deponi, Patres tamen ad iſtum Canonem nullum prorſus reſpectum habere potuerunt, quippe qui diſerte edicunt Epiſcopum nec à tribus ſed a Synodo majori deponendum eſſe. Unde ſimul conſtat quam ineptè & inconſideratè hic ſubdat Obſervator, Arabianum Ancyræ Epiſcopum & Conſtantinopolitanorum Patrum unum Nicænum hunc Canonem ante annos circiter LXX. conditum laudaſſe, ut oſtendat iniquam eſſe Bagadii Epiſcopi à duobus ſolis Epiſcopis factam depoſitionem. Arabiani enim verba hæc ſunt, τὸ παρελθὸν ἡ τῶν μακαρίων πατέρων τῶν ἐν Νικαίᾳ σύνοδος καταχρίνει, ἡ κελεύουσα μὴ ἐλάττους εἶναι τριῶν τοὺς χειροτονοῦντας, μηδὲ ἀπόντος τοῦ μητροπολίτου, *Id quod præteritum eſt, Beatorum patrum qui Nicææ convenerunt Synodus damnat, jubens non eſſe pauciores tribus qui ordinent, nec abſente Metropolitano,* Hoc eſt, quod in hoc negotio factum eſt, ubi Bagadius depoſitus, & Agapius ejus loco ordinatus eſt à duobus ſolis Epiſcopis, hoc à Synodo Nicænâ damnatur, jubente Epiſcopi ordinationem à tribus minimùm Epiſcopis, præſente Metropolitano, peragendam eſſe. Arabianum enim de ſolâ Bagadii depoſitione hic non loqui, non tantum ex eo conſtat, quod Nicænum Canonem citet, qui nihil plane de depoſitione decernit, verum ex eo etiam, quod Synodo huic Conſtantinopolitanæ neceſſarium viſum eſt, novum de hac re decretum edere. Si Synodus enim Nicæna damnaſſet depoſitionem à duobus Epiſcopis factam, eamque non niſi à tribus præſente Metropolitano faciendam juſſiſſet, quid opus erat, ut nova de hac re definitio à Synodo hâc Provinciali ederetur? Secundum hæc ipſe Arabianus huic ipſi Synodo has quæſtiones propoſuit, Licetne à duobus

bus Epiſcopis fieri depoſitionem? Et abſente Metropolitano licet an non? Has autem quæſtiones nunquam propoſuiſſet, ſi depoſitionem à duobus Epiſcopis factam à Synodo Nicænâ damnatam fuiſſe putaſſet. Non licere enim pro certo habuiſſet. Quod ſi demus etiam Arabianum Nicænum iſtum Canonem eo laudâſſe, ut oſtendat Bagadii depoſitionem à duobus Epiſcopis factam iniquam eſſe, ut cui conſentaneum rationi viſum eſſet, Epiſcopum à paucioribus non deponendum eſſe, quam à quibus conſtitutus eſt: Hoc ſane totum eſt quod Obſervator poſtulare poteſt, & tamen nihil exinde conſequetur. Quicquid enim Arabiano viſum eſt, Nectarius Conſtantinopolitanus, totaque Synodus ſub eo habita, clariſſimè demonſtravit ſe in eâ fuiſſe opinione, quod Canon iſte Nicænus de Epiſcopi depoſitione nequaquam intelligendus eſt, eo quod Epiſcopum nec à tribus deponendum eſſe decreverit, cùm Canon Nicænus Epiſcopi ordinationem à tribus peractam approbet. Neque etiam quæritur quomodo Canon iſte Nicænus intelligatur, vel quid ex eo violenter extorqueri poſſit, ſed quid in eo definitum fuerit. Nihil autem manifeſtius eſſe poteſt, quam Patres Nicænos in iſto Canone non definiiſſe, Epiſcopum non niſi à Synodo Epiſcoporum deponendum eſſe, quippe quo nihil plane de depoſitione definiant. Patres autem Conſtantinopolitani iſtiuſmodi Canones Apoſtolicos hic citant, à quibus id definitum fuit, ac proinde ad Canonem Nicænum nullum prorſus reſpectum habere potuerunt. Quibus omnibus accedit, quod *Canones Apoſtolici* hic laudentur, ſub quo quidem nomine Nicæni nuſquam laudati inveniuntur. Hæc autem reſponſio adeo aperta eſt, & cuivis obvia, ut Obſervator eam non potuit non prævidere, qui propterea ſe contra eam his verbis præmunire conatus eſt, *Cæterum*, inquit, *Canones iſtos Eccleſiaſticos Apoſtolicorum nomine nuncupant Patres, non ſolum quod doctrinæ Apoſtolorum conſonos eos eſſe putabant, ſed etiam quoniam præcepta majorum leges Apoſtolicas arbitrabantur, ut loquitur Hieronymus Epiſtolâ 28. ad Lucinium.* Hæc vero nihil aliud probant, quam Canones Eccleſiaſticos, ſi doctrinæ Apoſtolorum conſoni videantur, *Apoſtolicorum* propterea nomine nuncupari poſſe. Nos autem non quærimus utrum Canones Eccleſiaſtici iſto nomine nuncupari poſſint, ſed utrum ita nuncupari ſoleant Canones Nicæni vel Antiocheni, vel alii quivis præter eos quos Antiquitas *Apoſtolicos* nominavit. Nicænos autem hoc unquam nomine inſignitos fuiſſe, Obſervator nullo veterum teſtimonio comprobare poteſt, nedum hoc Synodi Conſtantinopolitanæ, à quâ Concilii Nicæni Canones, ut oſtendimus, nulli in hâc causâ laudantur, nec laudari potuerunt, qui ſcilicet nihil de Epiſcopi depoſitione loquuntur. Et quod ad verba S. Hieronymi ab erudito viro obſervata ſpectat, Sanctus ille Pater loco citato non de Canonibus, ſed traditionibus Eccleſiaſticis loquitur, ut de jejunio Sabbatis & diebus Dominicis celebrando, de ſumendâ quotidie Euchariſtiâ & ſimilibus, de

quibus

quibus ait, *Unaquæque provincia abundet in ſuo ſenſu, & præcepta majorum leges Apoſtolicas arbitretur.* Ubi, ut palam eſt, non de decretis Conciliorum, ſed de majorum præceptis loquitur, iis ſcilicet quæ à majoribus ſuis per traditionem acceperant, quæ etiam non Canones ſed leges Apoſtolicas arbitranda eſſe monet, tales nimirum leges quibus æque conſtringerentur, ac ſi ipſi Apoſtoli aut viri Apoſtolici eas præcepiſſent. Hinc autem nequaquam ſequitur vel Nicænos, vel alios unquam Canones Apoſtolicorum nomine nuncupatos fuiſſe, præter eos quos in Codicem Canonum Eccleſiæ primitivæ collectos habemus; & *Apoſtolicos* propterea vocatos, quod à viris Apoſtolicis ſanciti fuerint, ac proinde ab ipſis Apoſtolis traditi videantur. Adeo ut etiamſi Conſtantinopolitani Patres Præcepta majorum leges Apoſtolicas cum D. Hieronymo arbitrati eſſent (quod nunquam probari poteſt) ex eo tamen neutiquam conficiatur, *Canones Nicænos* hic indicari, ubi *Apoſtolici Canones* totidem verbis laudati ſunt. Præſertim cum Canones Nicæni nihil prorſus de ea re ſanxerint, quam ab Apoſtolicis definitam eſſe hic affirmatur. Quæ cum ita ſint, etiam volens nolens nobiſcum conſentiat Obſervator neceſſe eſt, Canones Apoſtolicos à Synodo hâc Conſtantinopolitanâ memoratos, nec Nicænos eſſe, nec Antiochenos, ſed Apoſtolicos ſive eos qui ab antiquis temporibus iſto nomine nuncupati fuerunt. Quos proinde quarto nondum finito ſeculo extitiſſe paſſimque cognitos fuiſſe, omnes illos celeberrimos quidem in Synodo Conſtantinopolitanâ tunc temporis congregatos Patres, graviſſimos habemus teſtes.

IX. Poſt illud Synodi Provincialis Conſtantinopolitanæ, aliud, idque pro canonibus Apoſtolicis diſertiſſimum adhibuimus teſtimonium, è Synodo Epheſinâ, generalium tertiâ, petitum. Nimirum iſtis diebus Epiſcopus Antiochenus ordinationes in Cypro inſulâ ſibi non ſubjectâ, adeoque extra ſuam Provinciam, facere molitus eſt. Hoc Rheginus Conſtantienſis Epiſcopus *contra Canones Apoſtolicos, & definitiones Synodi Nicænæ* ab eo factum conqueſtus eſt in libello ad Synodum Univerſalem tunc dierum congregatam oblato. Quapropter Synodus decretum edidit, quo rem iſtam præter Eccleſiaſticas Conſtitutiones, & ſanctorum Patrum Canones innovatam pronunciat, vocat enim πρᾶγμα παρὰ τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς θεσμοὺς καὶ κανόνας τῶν ἁγίων πατέρων, vel ut nonnulli Codices legunt, τῶν ἁγίων Ἀποστόλων. Quam quidem lectionem Joh. Dallæus impugnat de Pſeudep. l. 3. cap. 10. pag. 534, 535. Sed parvi noſtrâ refert Ἀποστόλων ibi legatur an πατέρων. Cum in libello quem Rheginus obtulit, *Apoſtolici Canones* expreſſe nominentur: quorum triceſimo quinto cavetur, ne Epiſcopus extra ſuos fines in urbibus aut pagis ei non ſubjectis ordinationes faciat. Hoc Dallæus prudens diſſimulavit, ſeque

totum lectioni iſti τῶν Ἀποστόλων interpoſuit, nihil contra teſtimonium illud è Rhegini libello petitum excipiens. Suppoſitâ autem in decreto lectione τῶν πατέρων, Synodum putat ad Canonem Antiochenum XIII. digitum intendere: & obſervat inſuper ſimilia decerni à Patribus Conſtantinopolitanis Canone ſecundo, *Quorum*, inquit, *Synodus hanc Epheſinam annis propemodum quinquaginta anteceſſerat.* Sed neutrum horum Canonum in Rhegini libello indigitari liquet, non ex eo tantum quod nec Antiocheni, nec Conſtantinopolitani, ſed *Apoſtolici* Canones in eo nominatim laudentur, verum ex eo etiam quod Conſtantinopolitani pariter atque Antiocheni Canones poſt Nicænos editi fuerunt, quibus propterea poſtponi debuerunt. At Canones Apoſtolici hic citati ipſis Nicænis anteponuntur. Cujus rei cauſa dari non poteſt, niſi quod ante eos ſanciti crederentur. Cum autem nihil aliud ſit vel à Dallæo vel ab Obſervatore contra inſigne hoc teſtimonium exceptum, prolixior ei vindicatio non opus eſt.

X. Omnia noſtra pro Canonum Apoſtolicorum antiquitate teſtimonia, ex illis veterum monumentis, quæ ante quintum adultum ſeculum prodierunt, Auguſtiſſimo illo Theodoſii Imperatoris concluſimus, qui Irenæum poſt binas nuptias Tyriorum civitatis Epiſcopum factum eſſe, *contra Canones Apoſtolicos* affirmat. L. 3. C. de ſummâ Trinitate. Hoc nec Dallæus vidit, nec ipſe Obſervator. Nulla ſaltem contra illud Exceptio ab iis publicatur. Nec ipſe quidem video quid ei opponi poſſit, cum *Canones Apoſtolicos diſerte* adeo & demonſtrativè laudet.

CAPUT

CAPUT XIV.

Synopſis.

I. Juſtiniani *Imp.* & Joh. Antiocheni *teſtimonia vindicanda reſtant.*

II. *Licet* Juſtinianus *poſt An. D.* 451. *Imperare cœperit, ejus tamen teſtimonium ſummo jure in hâc cauſâ admittatur, ut doctiſſimorum iſtius ætatis virorum ſententiâ innixum.*

III. *Qualem Exceptionem contra Imp. teſtimonium ex* Oraculis Sibyllinis *formavit Obſervator. Quantum ſit diſcriminis inter* Juſtinianum *de Canonibus Apoſtolorum,* & Juſtinum *de Sibyllarum carminibus differentem.*

IV. Sibyllina Oracula, *quæ hodie circumferuntur, longe alia ſunt atque ea quæ à* Juſtino M. *aliiſque antiquis laudata fuerant. Proinde ex iis contra hæc diſputare iniquum eſt.*

V. Carmina Sibyllina *à* Juſtino *M. citata ante Annum D.* 138. *facta fuiſſe, ex eo ſatis conſtet, quod ab ipſo tantâ confidentiâ citentur, & in toto terrarum orbe extare dicantur.*

VI. *Alii ejuſdem ætatis ſcriptores præter* Juſtinum *M.* Sibyllina oracula *laudarunt. Inſigne de iis teſtimonium ex* Origene *petitum.*

VII. Clementis Alexandrini *de D.* Paulo Sibyllam *citante verba, ab alieno in ea nuper conjecto ſenſu vindicata.*

VIII. Clementem Romanum *Sibyllæ oracula vidiſſe ac citâſſe probabile eſt.*

IX. *Eadem ante An. D.* 138. *extitiſſe ex* Joſepho, Strabone, *aliiſque probatur.*

X. *Antiqua* Sibyllæ *Oracula igne in Capitolio abſumpta ſunt, aliaque variis è locis illuc poſtea tranſportata, quæ in Chriſtianorum manus venire potuerunt.*

XI. *Vera de iſtis ſententia contra* Blondellum *explicata & aſſerta.*

XII. *Quam futilis ſit Obſervatoris reſponſio ex carminibus Sibyllinis ſumpta, è præmiſſis evincitur.*

XIII. Conſtantinum *M. de Sibyllarum oraculis, & Juſtinianum de Apoſtolorum Canonibus magnificè locutum eſſe, mirum nemini videatur.*

XIV. Juſtinianus *Imp. hos Canones ipſis Apoſtolis adſcribens non elevat ſed confirmat noſtram de iis opinionem.*

I. ETSI noſtra de Canonum Apoſtolicorum antiquitate opinio iſtis imprimis fundetur teſtimoniis, quæ veteres Scriptores, Imperatores, Synodi, Patreſque ante quintum adultum ſeculum iis perhibuerunt, quæque nos ab adverſariorum exceptionibus modo vindicavimus; non parum tamen lucis roboriſque exinde etiam mutuatur, quod ſexto ineunte ſeculo Dionyſius Exiguus Canones hoſce dignos exiſtimavit, quorum partem de Græco in Latinum ſermonem transferret, quodque eodem currente ſeculo Johannes Scholaſticus ſive Antiochenus hos inter alios Synodorum Canones iſtis temporibus in Eccleſiâ Orientali obtinentes, colligere, & ipſe Imperator Juſtinianus eoſdem autoritate ſuâ confirmare dignatus fuerit, ut ante fuſe oſtendimus. At Eruditus Obſervator Imperatoris pariter atque Scholaſtici hâc in cauſâ autoritatem, in Annotationibus etiam ſtrictim à nobis aſſertam, evertere, vel ſaltem elevare conatus eſt. Quo ſucceſſu tantos oppugnavit viros diſquirendum reſtat. In quâ diſquiſitione non eâ, quâ nos in teſtimoniis hiſce citandis uſi ſumus, ſed Obſervatoris in iis impugnandis methodo procedemus, ab Imperatore ſcilicet auſpicantes.

II. Primo itaque ſic diſputat vir doctus, *Pergit Beveregius, & Juſtiniani Imperatoris teſtimonio, Dallæi de Canonum antiquitate ſententiam refellere, ſuamque confirmare nititur. Quia hos Canones novellâ vj. laudare videtur his verbis, quæ ex illâ conſtitutione deſcribit vir doctus.* Quod quidem certe futurum credimus, ſi ſacri illi Canones diligenter obſerventur, quos nunquam ſatis laudati adorationeque digni & qui ipſum Filium Dei conſpexerunt, illique miniſtrarunt Apoſtoli nobis reliquerunt, & ſancti Patres cuſtodierunt & interpretati ſunt: *Hæc de LXXXV. Canonibus Apoſtolicis interpretatur vir doctus, nec ab eo hâc in re diſſentit Dallæus. Sed propterea Dallæi ſententiam non confutat Beveregius, quandoquidem Juſtinianus quinquaginta plus minus annos poſt tempus a Dallæo denotatum, Imperator renunciatus eſt.* Hactenus Obſervator, pag. 56, 57. Qui quoniam nobis cum Dallæo munificè concedit, quod nemo ſcilicet negare poteſt, Canones Apoſtolicos LXXXV. ab Imperatore hoc in loco celebratos eſſe: Nos etiam ei concedemus Juſtinianum Imperatorem renunciatum eſſe quinquaginta plus minus annos poſt tempus Canonum horum editioni à Dallæo denotatum. Quod autem ait, Dallæi ſententiam hiſce Juſtiniani verbis non confutatam eſſe, id minime concedi poteſt. Cum ipſe enim Imperator hos Canones à ſanctis Patribus, qui ante eum in Eccleſiâ claruerant, & quidem ſub Apoſtolorum nomine Cuſtoditos ac interpretatos fuiſſe affirmet, Quis eos ab hæretico impoſtore, ut vult Dallæus, nec pluſquam quinquaginta ante

ante annos confictos fuiſſe arbitretur? Nemo neſcit prudentiſſimum illum Imperatorem doctiſſimos quoſque viros & utriuſque legis peritiſſimos ex omnibus imperii partibus ad ſe evocâſſe, ut de omnibus tam Eccleſiaſticis quam civilibus ſanctionibus legibuſque conferrent, ipſique communicarent. Nihil autem dubii eſſe poteſt, quin nonnulli eorum quinquaginta propemodum annos in juris utriuſque ſtudio antea verſati fuiſſent: quos propterea prima horum Canonum editio ſive publicatio latere non potuit, ſi pluſquam quinquaginta annos nondum editi fuiſſent & publicati. Imo vero ſi non ante centum vel ducentos annos extitiſſent, atque in judiciis Eccleſiaſticis obtinuiſſent, antiqua ipſorum regeſta & commentaria de cauſis ante judicatis, eos certiores feciſſent, quo tempore hi Canones in fora Eccleſiaſtica primo introducti fuerant. Illi autem peritiſſimi legum interpretes Imperatori ſignificarunt, hos Canones non ſuâ modo memoriâ longe antiquiores fuiſſe, ſed tantæ in Eccleſiâ antiquitatis, ut ipſis Apoſtolorum temporibus editi viderentur. Hoc ex eo liquet, quod Imperator ex eorum Conſilio, quo in omnibus hujuſmodi negotiis uſus eſt, Canones hoſce ipſis Chriſti Apoſtolis acceptos retulit. Quod nunquam ſane feciſſet, niſi à juriſconſultis ſuis pariter atque à ſcientiſſimis rerum Eccleſiaſticarum Epiſcopis didiciſſet, eos non nudiuſtertius, ſed multis retro ſeculis conſtitutos eſſe, uſque adeo ut Apoſtolicæ vel inſtitutioni vel ſaltem traditioni adſcribi mererentur, juxta vulgatam ſcilicet iſtam Patrum regulam ab ipſo Dallæo laudatam, quod *quorum Autor alius ignoratur, ab Apoſtolicâ traditione ad nos dimanâſſe rectè credantur.* Quocirca licet Juſtinianus poſt tempus à Dallæo denotatum renunciatus ſit Imperator, cum plures tamen quam quinquaginta, ipſo fatente Obſervatore, anni non interceſſerint, nemo cujus oculi graviſſimo præjudicii vitio non afficiuntur, hos Canones diu ante tempus à Dallæo denotatum ſancitos atque ejus propterea de iis opinionem, penitus everſam videre nequit.

III. Hoc argumento ex Juſtiniani verbis petito, in Annotationibus etiam uſi ſumus: ubi breviter, ut loci ratio poſtulabat, hæc de eo diximus, " Si autem hi Canones præcedente tantum ſeculo eoque adulto ab " hæretico aliquo confecti fuiſſent, miror nullum tunc temporis Dallæum " extitiſſe, qui Imperatori aurem velleret, eumque certiorem faceret, " Canones ab ipſo laudatos non inter antiqua nedum Apoſtolica decreta, " ſed inter nuperrime conſarcinata recentiorum hæreticorum figmenta " recenſendos eſſe. In hæc ibi à me uſurpata verba Obſervator graviſſimè invehitur, è contra ſic diſputans: *Si valeret*, inquit, *hæc Beveregii ratiocinatio, eâdem ratione librorum Sibyllinorum cauſam tueri poſſem. Nemo enim neſcit à Juſtino Martyre, à Theophilo Antiocheno, a Clemente Alexandrino, à Tertulliano & aliis laudatos fuiſſe iſtos libros. Quamvis Juſtinus iiſdem ſcripſerit diebus, quibus conflata ſunt*

oracula

oracula Sibyllina: Theophilus vero, Clemens & Tertullianus, poſt Juſtinum quidem ſed eodem ſeculo. Si igitur viri eruditi verba hoc pacto uſurpem, Miror nullum tunc temporis Blondellum extitiſſe, qui ſcriptoribus iſtis aurem velleret, eoſque certiores faceret, oracula ab ipſis laudata non inter antiqua nedum Noachi nurus ſeu Beroſi filiæ oracula, ſed inter nuperrime conſarcinata recentiorum impoſtorum figmenta recenſenda eſſe. Si, inquam, hæc illius verba uſurpem, quid reſponſurus ſit, non video. Objectionem enim noſtram diluere non poteſt, quin ſuam pariter diluat, nec nobis reſpondere quin ſibi ipſi reſpondeat. Idem dico de Conſtantino Imperatore, qui de Sibyllinis oraculis magnificentiùs loquutus eſt, quam de Canonibus Apoſtolicis Juſtinianus. Obſervat. pag. 56, 57. Quid obſervatori in animo fuit, cum novâ hac objiciendi ratione utebatur, me prorſus neſcire fateor, niſi forſitan ſibi propoſuerit nos ad ſuſcipiendum Sibyllinorum, quæ hodie extant, oraculorum patrocinium provocare. Quid enim Canonibus Apoſtolicis cum Sibyllinis oraculis? Eſto, inquit, Verum ſi ex eo, quod nemo Juſtinianum certiorem fecerit Canones Apoſtolicos paucis ante annis confictos fuiſſe, eoſdem aliquot ante ſeculis extitiſſe ſequeretur, eadem ratione Sibyllina etiam oracula multis ante S. Juſtinum annis edita fuiſſe ex eo evincatur, quod nemo eum certiorem fecerit, ea iiſdem diebus conſarcinata fuiſſe quibus ab ipſo citata ſunt. Hoc autem ex eo neceſſario ſequi haud aſſeruiſſet eruditus Obſervator, ſi in mentem ei veniſſet, diſparem omnino ac diſſimilem fuiſſe rationem Juſtini Martyris & Juſtiniani Imperatoris. Sanctus enim Juſtinus (quod & de reliquis ejus veſtigiis inſiſtentibus, ideoque cum eo commemoratis dicendum eſt) licet doctiſſimus eſſet philoſophus, & fidiſſimus Chriſti cultor, Neophytus tamen fortaſſe erat in religione Chriſtianâ, cum Sibyllina oracula laudabit. Ac proinde præ flagrantiſſimo quo ardebat in Chriſtum, ejuſque Evangelium amore, præcipiti quadam celeritate omnia forſitan arripuiſſe cenſeatur, quæ religioni nuper à ſe ſuſceptæ quovis modo favere vel pacrocinari videbantur. Saltem cùm ita ſe haberet, facile ei imponi potuit. Præſertim cum pauciſſimos, ſi ullos, ſecum haberet ingenuis inſtructos artibus, aut tantâ ſubtilitate præditos, qui genuinos ac ſuppoſititios libros diſtinguere potuerunt; pauciſſimos, qui eâdem quâ ipſe credulitate, communi bonorum virorum morbo, non laborabant. Ut non mirum ſit, ſi is in iſtum lapſus ſit errorem, quo perſuaſum haberet, Sibyllina iſta Oracula, quæ tanta de vero Deo, Chriſtoque prædicabant, ab ipſis ſcripta fuiſſe Sibyllis, quas omnis retro antiquitas pro divinitus inſpiratis vatibus habuerat, & per multa ſecula ſummis laudibus celebraverat. Verum de Juſtiniano Imp. alia omnia dicenda ſunt. Is enim rerum Romanorum potitus eſt, cum fides Chriſtiana altiſſimas per totum imperium radices egerat, cum Eccleſia viris unde-

undequaque doctiſſimis, omni arte ac ſcientiâ liberali inſtructiſſimis, atque in omni etiam jure tam divino quam humano, Eccleſiaſtico pariter ac civili prudentiſſimis abundabat. Penes ipſum erat, eos omnes ſibi advocare, & in conſilium adhibere. Quod etiam ab eo factum fuiſſe, in iis præſertim quæ ad leges tam Eccleſiæ quam imperii ſpectabant, inter omnes conſtat. Quamobrem haud adeo facile ei fuit in tantum induci errorem, ut Canones illos Apoſtolicæ traditioni attribueret, niſi inter omnes illos, quos conſuluit, eruditiſſimos Eccleſiæ præſules ac juriſperitos conveniſſet, eos multis ante annis in lucem editos, & à patribus obſervatos fuiſſe. Præſertim cum iſtis ſaltem diebus, fictitiis quibuſlibet ac adulterinis non opus eſſet Canonibus, quandoquidem plurimi tunc temporis extabant Canones duobus antegreſſis ſeculis ab Eccleſiaſticis Synodis conſtituti. Adeo ut nulla plane cauſa eſſet, quare hi ab eo & ab Eccleſiâ in imperio ejus conſtitutâ reciperentur, niſi illos à majoribus ſuis acceptos, & à primitivâ Eccleſiâ ad ſe derivatos eſſe, pro certiſſimo habuiſſent. Quapropter ſi demus Juſtinum M. graviſſimè hallucinatum fuiſſe in carminibus iſtis ſub Sibyllarum nomine citandis, quæ ſuâ ipſius ætate conficta erant, ex eo tamen nequaquam ſequitur Juſtinianum etiam Imperatorem in Apoſtolicis Canonibus laudandis hallucinatum eſſe; vel argumentum pro dictorum Canonum antiquitate ab ejus teſtimonio petitum nihil amplius valere, quam ſi Sibyllina oracula longe ante S. Juſtinum compoſita eſſe ex eo arguamus, quod à Sanctiſſimo iſto Patre ac Martyre citata ſunt, nemoque eum certiorem fecerit, ea paucis ante annis conſarcinata fuiſſe ab impoſtore aliquo, qui ſua ipſius figmenta ſub Sibyllarum nomine obtrudere auſus eſt.

IV. Quod ſi Obſervator adhuc opinatus fuerit, ſe eâdem plane ratione librorum Sibyllinorum, quâ nos hoc in loco Canonum Apoſtolicorum, cauſam tueri poſſe: tueatur quidem per me licet: modo per libros Sibyllinos, iſtos intelligat, qui a Juſtino, reliquiſque ejuſdem ætatis ſcriptoribus laudati ſunt, non eos qui hodie ſub iſto nomine vulgo circumferuntur. Licet enim eruditus Obſervator Blondelli veſtigiis inſiſtens contra Sibyllina Oracula perinde diſputare videatur, ac ſi quam hodie habemus eorum rapſodia, eadem eſſet carminum collectio quæ primis Chriſtianiſmi ſeculis Sibyllarum nomen ſibi inſcriptum habebat: Longe tamen aliud eſſe, cuivis patebit, qui carmina Sibyllina, ut antiquis iſtis temporibus laudata cum iis comparare operæpretium duxerit, quæ ſub iſto noſtris diebus nomine in lucem emiſſa ſunt. Plurima enim carmina Sibyllina à primis Eccleſiæ patribus Ethniciſque ſcriptoribus eorum coætaneis, Plutarcho nimirum, Pauſania, Dione, aliiſque laudata in hodiernâ noſtrâ Rapſodiâ vel non omnino extant, vel ita interpolata, ut eadem non videantur. Idem ſaltem quod B. Ignatii Epiſtolis, Clementis Conſtitutionibus aliiſque veteris Eccleſiæ monumentis, iſtis

iſtis etiam Carminibus, quæ Patres Primitivi Sibyllarum nomine nuncuparunt, contigiſſe extra dubium eſt: ut poſterioribus nempe ſeculis multa vel datâ operâ vel librariorum incuriâ prætermiſſa fuerint, alia de novo interſerta, & plurima aliquo modo immutata, ita tamen ut nonnulla etiam priſtinæ eorum faciei veſtigia adhuc retineantur. Quo factum eſt, ut alia à veteribus citata, in hodiernis etiam libris inveniantur, alia non: hæcque eodem, illa alio atque antiquitus modo legantur. Adeo ut ex iis quæ nunc habeamus, de iis quæ primitivæ Eccleſiæ Patres Sibyllina laudarunt oracula, vix judicari poſſet. Quocirca clariſſimis vir David Blondellus iniquè cum antiquis iſtis Sibyllinis vulgo vocatis Carminibus nobis ſaltem egiſſe videtur, cum ex hodiernâ eorum ſylloge, contra veram eorum antiquitatem diſputaverit. Neque enim clam ipſum eſſe potuit, argumenta iſta, quibus opinionem ſuam adſtruère conatus eſt, non ex illis deſumpta eſſe Carminibus, quæ Patres ſub Sibyllarum nomine citarunt, ſed ex aliis quibuſdam, quæ nec ipſe nec alius quivis in veteri iſtorum Codice lecta fuiſſe novit; quæque longo poſt tempore inſerta fuiſſe pluſquam veriſimile eſt.

V. Cum Obſervator igitur contendit, argumentum noſtrum pro Canonibus Apoſtolicis è Juſtiniani teſtimonio petitum, ex eo invalidum eſſe, quod eâdem ratione Carminum Sibyllinorum cauſam tueatur, ſi iſthæc, ut par eſt, Carmina intelligat quæ à primitivæ Eccleſiæ Patribus Sibyllæ adſcripta ſunt, hæc exceptio nihil valebit. Neque enim opus eſt, ut Canonum Apoſtolicorum antiquitas firmior è Juſtiniani teſtimonio adſtruatur, quam Carmina iſta Sibyllina ante Annum D. CXXXVIII. (poſt quem Blondellus ea ficta fuiſſe arbitratur) divulgata fuiſſe ex eo conſtat, quod Juſtinus M. aliique ejuſdem ſeculi ſcriptores ſtatim poſt dictum annum ea citaverint. Primo enim ipſe Blondellus de Sibyllis lib. 2. cap. 6. fatetur iſtam Juſtini Apologiam Anno CXLI. ſive CXLII. ſcriptam fuiſſe, in quâ de Sibyllarum oraculis hæc habet, Κατ' ἐνέργειαν δὲ τῶν φαύλων δαιμόνων, θάνατος ὡρίσθη κατὰ τῶν τὰς Ὑστάσπου καὶ Σιβύλλης, καὶ τῶν προφητῶν βίβλους ἀναγινωσκόντων, ὅπως διὰ τοῦ φόβου ἀποστρέψωσιν ἐντυγχάνοντας τοὺς ἀνθρώπους τῶν καλῶν γνῶσιν λαβεῖν, αὐτοῖς δὲ δουλεύοντας κατέχωσιν· ὅπερ εἰς τέλος οὐκ ἴσχυσαν πρᾶξαι· ἀφόβως μὲν γὰρ οὐ μόνοι ἐντυγχάνομεν αὐταῖς, ἀλλὰ καὶ ὑμῖν ὡς ὁρᾶτε, εἰς ἐπίσκεψιν φέρομεν, ἐπιστάμενοι πᾶσιν εὐάρεστα φανήσεσθαι. *Operâ autem ſive inſtinctu malorum dæmonum, mortis ſupplicium adverſus eos qui Hyſtaſpis, aut Sibyllæ, aut Prophetarum libros legunt, conſtitutum eſt. Ut per timorem homines ab illis abſterreant, quo minus ſcripta ea legentes rerum bonarum notitiam percipiant; ſed in ipſorum ſervitute retineantur. Quod certe quidem perficere & ad finem perducere* nequi-

nequiverunt. Non enim abſque timore tantùm hæc ſcripta legimus, verum etiam vobis ad inſpiciendum quæ in iis traduntur, ut videtis, offerimus: grata & accepta ea omnibus fore ſcientes. Profectò qui hæc Juſtini verba Anno Domini CXLI. ſcripta attente legit, haud dubitare poteſt, quin Sibyllæ libri hic memorati ante Annum CXXXVIII. extitiſſent. Ex his enim S. Patris verbis conſtat iſtos libros paſſim vulgoque tunc dierum cognitos lectoſque fuiſſe, non minus quam ipſos prophetarum libros, uſque adeo ut mortis ſupplicium à Senatu Romano, contra eorum æque ac horum lectores conſtitutum eſſet. Conſtat etiam non modo S. Juſtinum, ſed & alios Chriſtianæ religionis cultores horum librorum lectionem vitæ ſuæ præpoſuiſſe. Quamvis enim ſub mortis pœnâ hoc iis interdictum fuiſſet, illi nihilominus non tantum libros hoſce legebant, ſed & Senatui populoque Romano eoſdem inſpiciendôs audacter offerebant. Quantâcunque autem credulitate purioris illius ævi Chriſtianos laboráſſe cenſeamus, omnem excedit fidem ut cum tanto ſalutis vitæque diſcrimine hos Sibyllæ libros legerent ipſi aliiſque legendos offerrent, niſi eos pluſquam tres quatuorve ſaltem annos in lucem emiſſos fuiſſe pro certiſſimo habuiſſent. Quo etiam ore, quâ fronte ad hoſce libros coram ipſis Romanis appellare potuerunt, niſi inter ipſos etiam Romanos conveniſſe hos libros ſi non ipſa Sibyllæ folia, antiquos ſaltem, vel quatuor minimum annis antiquiores eſſe, iis abunde conſtitiſſet? Quam facile enim Romani ignorantiæ & temeritatis eos arguere potuerunt? Et jure quidem. Juſtinus enim aliique illi quos ipſe ſecum hos libros Romanis obtuliſſe affirmat, non philoſophi, non prudentes homines, & vix homines quidem erant, ſed neſcio quæ monſtra inſcitiæ credulitatis ac impudentiæ, ſi libros vix quatuor adhuc Annos juxta Blondelli cenſuram factos, imo à ſe confictos, antiqua Sibyllæ oracula fuiſſe crederent, & potentiſſimis ſuis adverſariis qui ſe vera Sibyllæ Carmina ſecum habere venditabant, ſub eo nomine tantâ confidentiâ obtrudere auſi eſſent. Cùm vero tam portentoſa in primitivos Chriſtianos, eorumque doctiſſimos, quos inter Juſtinus M. merito recenſeatur, vitia conjicere nefas ſit, iſtos Sibyllæ libros à S. Juſtino laudatos multo antiquiores quam opinatus eſt Blondellus, ſtatuamus neceſſe eſt. Præſertim cum idem Juſtinus hos libros à ſe memoratos non ſibi ſoli & Chriſtianis, ſed toti terrarum orbi cognitos eſſe & ubique extare, diſerte aſſeruerit. Quod ne ſimulatè à me dictum videatur, Eccè ipſa doctiſſimi Patris verba quæ ad Calcem Cohortatoriæ ejus ad Græcos orationis habentur. Εἰ τοίνυν, inquit, ὦ ἄνδρες Ἕλληνες, μὴ προτιμοτέραν ἡγεῖσθε τῆς ὑμῶν αὐτῶν σωτηρίας τὴν περὶ τῶν μὴ ὄντων θεῶν ψευδῆ φαντασίαν, πείσθητε, ὥσπερ ἔφην, τῇ ἀρχαιοτάτῃ καὶ σφόδρα παλαιᾷ Σιβύλλῃ, ἧς τὰς βίβλους ἐν πάσῃ τῇ οἰκουμένῃ σώζεσθαι συμβαίνει, περὶ μὲν τῶν λεγομένων θεῶν, ὡς μὴ

ὄντων, ἀπό τινος δυνατῆς ἐπιπνοίας διὰ χρησμῶν ὑμᾶς διδασκούσῃ· περὶ δὲ τῆς τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μελλούσης ἔσεσθαι παρουσίας, καὶ περὶ πάντων τῶν ὑπ᾽ αὐτοῦ γίνεσθαι μελλόντων σαφῶς καὶ φανερῶς προαναφωνούσῃ. *Itaque viri Græci, ſi falſam de iis, qui non ſunt, diis imaginationem ſalute veſtra antiquiorem non habetis, Credite, ſicut dixi, antiquiſſimæ & priſcæ admodum Sibyllæ, cujus libri in univerſo extant orbe, de iis, qui dicuntur ſed non ſunt, diis mirifico quodam præpotentis numinis afflatu per oracula vos docenti; de futuro autem ſervatoris noſtri Jeſu Chriſti adventu, ac de rebus ab eo gerendis liquido ac apertè vaticinanti.* Cuinam obſecro hæc Juſtini M. verba legenti perſuadebit unquam Blondellus, Sibyllæ libros iiſdem diebus effictos fuiſſe, quibus hæc ſcripta ſunt? Adeone delirus & veſanus erat ſanctiſſimus Martyr, ut eos libros antiquiſſimæ & priſcæ admodum Sibyllæ nuncuparet, de quibus ipſi non ſatis conſtabat, annon paucos ante annos à ſceleratiſſimo impoſtore conſarcinati fuiſſent? Quinetiam hoſce libros eodem temporis articulo in univerſo extare orbe affirmat. Quomodo hoc fieri potuit, ſi vix dum ex obſcuri tenebrionis officinâ in lucem emiſſi eſſent? An veriſimile cuipiam videatur, an poſſibile, ut per totum terrarum orbem volitarent ſimul ac edebantur? Si hæc cuivis perſuadeat Blondellus, tunc demum, ſed non antea, eidem perſuadebit, libros Sibyllinos à Juſtino Martyre memoratos poſt Annum Domini CXXXVIII. contextos fuiſſe; & nobis ſemper mirari, quod nullus tunc temporis extaret acutus rerum Obſervator, qui ſancto Patri aurem velleret, eumque de egregio hoc errore, vel de impudentiſſimis potius mendaciis certiorem faceret.

VI. Et quidem ſi ſanctus Juſtinus in hunc errorem lapſus eſt, non ſolus in eo fuit. Plures enim è doctiſſimis ejuſdem ſeculi ſcriptoribus eâdem quâ ille de Carminibus Sibyllinis opinione ducti fuerunt. Ut Theophilus Antiochenus, Athenagoras, Clemens Alexandrinus, & Origenes. Imprimis autem digniſſima ſunt quæ Obſerventur, Origenis de oraculis hiſce verba. Enimvero Celſus, qui iiſdem circiter diebus quibus Juſtinus vixit, Chriſtianis vitio vertit, quod multa, eaq; maledica Sibyllæ Oraculis inſeruiſſent. Cui ſe interponens Objectioni Origenes hæc habet, Εἶτ᾽, οὐκ οἶδ᾽ ὅπως, ἐβούλετο ἡμᾶς μᾶλλον Σίβυλλαν ἀναγορεῦσαι παῖδα θεοῦ ἢ Ἰησοῦν, ἀποφηνάμενος ὅτι παρενεγράψαμεν εἰς τὰ ἐκείνης πολλὰ, καὶ βλάσφημα, καὶ μὴ ἀποδείξας μηδ᾽ ὅτι παρενεγράψαμεν· ἀπέδειξε δ᾽ ἂν εἰ τὰ ἀρχαιότερα καθαρώτερα ἐδείκνυε, καὶ οὐκ ἔχοντα ἅπερ οἴεται παρεγγεγράφθαι· μὴ ἀποδείξας δὲ μηδ᾽ ὅτι βλάσφημά ἐστι ταῦτα. *Deinde neſcio quid ei* (Celſo) *venit in mentem, ut cenſeret Sibyllam à nobis potius quam Ieſum appel-*

appellandam fuiſſe Dei Filium, aſſeverans nos multa & maledica ejus verſibus inſeruiſſe, non tamen indicans quæ ſunt illa quæ inſeruimus: indicaſſet autem ſi antiquiora habuiſſet, quæ incorruptiora eſſent, exemplaria, in quibus non reperiantur quæ putat à nobis interpolata. Quin nec indicavit illa maledica eſſe. Orig. contra Celſ. lib. 7. p. 369. Celſus itaque Juſtino M. σύγχρονος, etiamſi infenſiſſimus Chriſtianorum adverſarius fuerit, & nihil non dixerit, quod è ſubtili ipſius & fertili mendaciorum ingenio contra religionem ipſumque Chriſtum ab illis cultum effingere potuit, non tamen negare potuit, libros Sibyllinos à Chriſtianis in religionis ſuæ cauſâ laudatos, longe ante ſuam ætatem extitiſſe, adeoque longe anteaquam ab iis laudati eſſent. Neque aliud contra eos hâc in re objiciendum invenit, quam eos multa Sibyllæ verſibus inſeruiſſe, quæ antiquitùs in iiſdem non lecta fuerant. Verum & hanc futilem iſtius objectionem refellit Origenes, hoc ſcilicet reſponſo, quod Celſus non indicavit, quænam illa eſſent, quæ à Chriſtianis ita inſerta dicit. Indicaſſet autem, inquit, ſi antiquiora, quæ incorruptiora eſſent, exemplaria habuiſſet, in quibus non reperiantur quæ Celſus a Chriſtianis interpolata putavit. Ad antiquiora itaque & incorruptiora Carminum Sibyllinorum exemplaria hic appellat Origenes, & Celſum ejuſque gregales indicare provocat, quid à Chriſtianis de novo iis inſertum eſſet. Quod cum Celſus indicare nequiverit, pro confeſſo ſumit Origenes, ea quæ à Chriſtianis ex iſtis Sibyllæ verſibus citata ſunt, in antiquis illis & incorruptis exemplaribus extitiſſe, nihilque adhuc à Chriſtianis de ſuo interpolatum eſſe. Quod ſi tota illa Carminum Sibyllinorum collectio iſtis temporibus laudari ſolita, non ante Annum Dom. CXXXVIII. canſarcinata fuiſſet, & quidem ab ipſis Chriſtianis, quod vult Blondellus, hoc imprimis haud dubie iis objectaſſet Celſus: Origenes etiam ad antiquiora eorum exemplaria appellare non potuit, quippe quæ iiſdem diebus conficta adeoque nondum antiqua erant.

VII. Adhæc Clemens Alexandrinus, qui eodem etiam, quo Juſtinus, ſeculo claruit, ſed paulo junior, non modo Carmina Sibyllina multoties ipſe laudavit, verumetiam D. Paulum ſuum iis teſtimonium perhibuiſſe tradidit. Quandoquidem vero hoc ab erudito viro Joh. Bapt. Cotelerio in dubium vocatum eſt, aliuſque S. Patris verbis ſenſus impoſitus, non abs re erit, ſi locum tranſcribamus, pauloque attentius expendamus. Sic igitur ait Clemens, Ἐπεὶ ὅτι καθάπερ Ἰουδαίους σώζεσθαι ἐβούλετο ὁ θεὸς, τοὺς προφήτας διδοὺς, οὕτως καὶ Ἑλλήνων τοὺς δοκιμωτάτους οἰκείους αὐτῶν τῇ διαλέκτῳ προφήτας ἀναστήσας, ὡς οἷοί τε ἦσαν δέχεσθαι τὴν παρὰ θεοῦ εὐεργεσίαν τῶν χυδαίων ἀνθρώπων διέκρινεν, δηλώσει πρὸς τῷ Πέτρου κηρύγματι, ὁ Ἀπόστολος λέγων Παῦλος, λάβετε καὶ τὰς Ἑλληνικὰς βίβλους, ἐπίγνωτε

Σίβυλλαν, ὡς δηλοῖ ἕνα θεὸν καὶ τὰ μέλλοντα ἔσεσθαι. *Quod enim quemadmodum Judæos Deus ſalvos eſſe voluit, ita etiam Græcorum probatiſſimos propriæ ſuæ linguæ prophetas iis excitans, prout poterant capere Dei beneficentiam, à vulgo ſecrevit, præter Petri prædicationem declarabit Paulus Apoſtolus dicens, Libros quoque Græcos ſumite, agnoſcite Sibyllam, quomodo unum Deum indicet, & ea quæ ſunt futura.* Clem. Alex. Strom. lib, 6. pag. 636. Prædictus J.B. Cotelerius in notis ad ſecundam Clementis Romani Epiſtolam, doctos viros hujus loci ſenſum nondum attigiſſe opinatus eſt, ut qui verba iſta ſic accipiant quaſi λάβετε &c. ſit Apoſtoli exhortatio. Ille autem verba illa ὁ Ἀπόστολος λέγων Παῦλος non referenda putat, ad conſequentia λάβετε καὶ τὰς ἑλληνικὰς βίβλους, ſed ad præcedentia iſta οἰκείους αὐτῶν τῇ διαλέκτῳ προφήτας, ſeu ad Verſiculum XII. primi capitis Epiſtolæ ad Titum, ubi ſcilicet Apoſtolus dicit, Εἶπέ τις ἐξ αὐτῶν, ἴδιος αὐτῶν προφήτης. Hæc autem verba λάβετε καὶ τὰς Ἑλληνικὰς βίβλους, & quæ ſequuntur, non S. Pauli ſed Clementis eſſe arbitratur vir doctus. Quæ quidem nova horum Clementis verborum expoſitio mihi etiam primo intuitu ſumme arriſit. Totum autem contextum poſtea revolvens ſtatim inveni quod hæc Clementis Alexandrini verba ſenſum iſtum nequaquam admittant. Doctiſſimus enim pater in hiſce libris non oratorem agit, non Epiſtolam aut exhortationem ſcribit, ac propterea neminem definitè alloquitur. Atque ideo cum ſcribit, λάβετε τὰς Ἑλληνικὰς βίβλους, ἐπίγνωτε Σίβυλλαν, hæc non ipſius Clementis, ſed Sancti Pauli mox ante memorati verba ſint neceſſe eſt. Et præterea S. Pauli verba in Epiſtolâ ad Titum nullâ machinâ huc trahi poſſunt. Præterquam enim quod Apoſtolus ibi de uno ſolo Prophetâ loquatur, Clemens hic de pluribus; quodque S. Paulus iſto loco proprios ſuæ linguæ Prophetas à Deo Gentilibus, prout percipere poterant Dei beneficentiam, excitatos eſſe, nullo modo affirmet; Præter hæc, inquam, obſervandum etiam eſt iſta verba ad aliam hujus ſententiæ partem pertinere. Clemens enim non aſſerit D. Paulum dixiſſe Deum ſuos Græcis Prophetas excitaſſe, ſed ipſe hoc dicit, probatque tum ex Petri prædicatione, tum ex Paulo, ut ait, dicente λάβετε τὰς ἑλληνικὰς βίβλους. Res clarior adhuc eluceſcet ſi ea recolamus quæ proxime poſt verba à nobis citata ſequuntur. Refert enim S. Paulum hæc dixiſſe, *Libros quoque Græcos ſumite, Agnoſcite Sibyllam quomodo unum Deum indicet, & ea quæ futura ſunt. Sumptum etiam Hyſtaſpem legite, & invenietis Dei filium multo clarius apertiuſque eſſe ſcriptum, utque multi reges adverſus Chriſtum aciem inſtruent, odio habentes tum illum, tum eos qui nomen illius geſtant, & ejus fideles, illiuſque tole-*

tolerantiam atque adventum. Cùm hæc à D. Paulo prolata tradidiſſet Clemens, mox addit, Εἶτα ἐνὶ λόγῳ πυνθάνεται ἡμῶν, ὅλος δὲ κόσμος καὶ τὰ ἐν τῷ κόσμῳ τίνος; οὐχὶ τοῦ θεοῦ, *Deinde uno verbo nos interrogat, totus autem mundus & quæ in mundo, cujus ſunt? Nonne Dei?* Hæc autem verba de nullo alio niſi de S. Paulo intelligi poſſunt. Quis enim hoc interrogâſſe dicatur, niſi is de quo ante facta fuerat mentio iſtis verbis, ὁ Ἀπόστολος λέγων Παῦλος. Quod enim doctiſſimus vir hæc verba prædicationi Petri tribuenda cenſet, à ratione prorſus alienum eſt. Etenim S. Petri ſermo ex Apocrypho iſto libro à Clemente hic citatus, prius finitus fuit, quam hæc à D. Paulo vel alio quopiam dicta referuntur. Quinetiam poſt ultima iſta à nobis recitata verba, ſtatim hæc ſubjicit, Διὰ τοῦτό φησιν ὁ Πέτρος εἰρηκέναι τὸν κύριον τοῖς Ἀποστόλοις, &c. Quod ſi in præcedentibus verbis Petrum illud interrogâſſe voluiſſet, nomen ejus ibi potius inſeruiſſet. Cum ſanctus autem Paulus iſtam protuliſſe interrogationem clariſſime hic perhibeatur, nihil dubii eſſe poteſt, quin is etiam ea quæ præcedunt, ſi Clementi fidem habeamus, dixerit. Clemens autem hæc vel ex traditione vel ſaltem ex Apocrypho aliquo libro D. Pauli nomen præ ſe ferente, hauſiſſe videtur. Qualis etiam D. Petri nomen ſibi inſcriptum habens, & *Petri Prædicatio* dictus, hoc ipſo in loco à Clemente laudatur, multaque tanquam à Petro dicta ex eodem recitantur. E quibus etiam ſi non conſtet D. Paulum Sibyllinos vidiſſe libros, eorumque lectionem aliis commendâſſe, conſtat tamen Clementem Alexandrinum in eâ fuiſſe opinione, quod iſti libri adeo antiqui erant, ut in D. Pauli notitiam venire potuiſſent. Saltem quod longe antiquiores eſſent, quam David Blondellus eos exiſtimavit.

VIII. Alios ejuſdem ſeculi ſcriptores qui in religione Chriſtianâ Græcis adſtruendâ ad Sibyllina iſta provocarunt oracula, in præſenti miſſos facimus. Nemo enim dubitabit quin Origeni, Clementi Alexandrino, & Juſtino Martyri (qui ante Annum Domini CXXXVIII. in doctrinâ Chriſtianâ non minus quam in Philoſophiâ claruit) major hâc in re debeatur fides, quam Blondello, qui poſt mille & quadringentos annos ſibi perſuaſum habuit, aliiſque perſuadere conatus eſt, dicta carmina vix citius conficta eſſe, quam à doctiſſimis illis patribus laudata ſunt. Tota autem clariſſimi viri opinio eo nititur quod S. Juſtinus hoſce libros primus citavit. Quod quidem non incertum modo ſed & falſum nobis videtur. Enimvero ex quæſtionibus ad Orthodoxos Juſtino Martyri adſcriptis colligere eſt Clementem etiam Romanum Sibyllæ libros citâſſe, nam in Reſponſione ad queſt. LXXIV. hæc habemus, Εἰ τῆς παρούσης καταστάσεως τὸ τέλος ἐστὶν, ἡ διὰ τοῦ πυρὸς κρίσις τῶν ἀσεβῶν, καθά φασιν αἱ γραφαὶ προφητῶν τε καὶ Ἀποστόλων, ἔτι δὲ καὶ τῆς Σιβύλλης, καθώς φησιν

ὁ.

ὁ Μακάριος Κλήμης ἐν τῇ πρὸς Κορινθίους ἐπιστολῇ. *Si præſentis rerum ſtatus finis eſt impiorum per ignem judicium, prout teſtantur Scripturæ prophetarum, & Apoſtolorum, atque ipſius inſuper Sibyllæ, quemadmodum ait Beatus Clemens in Epiſtolâ ad Corinthios.* Sed in illâ, inquies, parte quæ extat primæ Clementis Epiſtolæ ad Corinthios, nulla inducitur Sibyllæ mentio. Fateor equidem. Verum Irenæus lib. 3. cap. 3. dicit Clementem in iſtâ Epiſtolâ inter alia, quæ omnia hodie habentur, tradidiſſe Deum ignem præparaſſe Diabolo & Angelis ejus, quod cùm in illâ quæ extat Epiſtolæ illius parte non legatur, in alterâ quæ deſideratur parte traditum fuiſſe extra dubium eſt. Ubi autem de igne Diabolo & Angelis ejus præparato diſſeruit Clemens, ibidem etiam ea, quæ Pſeudojuſtinus memorat, extitiſſe pluſquam veriſimile eſt. Quod etiam ab Erudito Cotelerio obſervatum eſt, ut Clementis autem Epiſtola pro Conſtitutionibus mendoſe citaretur, nemo unquam Blondello concedet.

IX. Quin iiſdem etiam diebus, quibus nonnulli Apoſtolorum adhuc ſuperſtites erant, Joſephus ſuum Sibyllinis oraculis teſtimonium tribuit. Hæc enim dicit, Περὶ δὲ τοῦ πύργου τούτου καὶ τῆς ἀλλοφωνίας τῶν ἀνθρώπων, μέμνηται καὶ Σίβυλλα λέγουσα οὕτως, πάντων ὁμοφώνων ὄντων τῶν ἀνθρώπων, πύργον ᾠκοδόμησάν τινες ὑψηλότατον, ὡς ἐπὶ τὸν οὐρανὸν ἀναβησόμενοι δι' αὐτοῦ. οἱ δὲ θεοὶ ἀνέμους ἐπιπέμψαντες ἀνέτρεψαν τὸν πύργον, καὶ ἰδίαν ἑκάστῳ φωνὴν ἔδωκαν, καὶ διὰ τοῦτο Βαβυλῶνα συνέβη κληθῆναι τὴν πόλιν. *De turri autem hac, deque linguis hominum mutatis meminit etiam Sibylla, ad hunc modum dicens, Cùm univerſi homines uno eloquio uterentur, turrim ædificarunt quidam excelſiſſimam, quaſi ad cœlum per eam aſcenſuri. Dii vero procellis emiſſis turrim everterunt, & ſuam cuique linguam dederunt. Quæ cauſa fuit ut urbs ea Babylonis nomen acciperet.* Joſeph. Antiq. Jud. lib. 1. cap. 5. Quæ vero Joſephus hoc in loco Sibyllam ceciniſſe tradit, ea in iſtis etiam Sibyllinis quæ ſuperſunt oraculis leguntur hunc in modum,

Ἀλλ' ὁπόταν μεγάλοιο θεοῦ τελέωνται Ἀπειλαὶ,
Ἅς ποτ' ἐπηπείλησε βροτοῖς οἱ πύργον ἔτευξαν
Χώρῃ ἐν Ἀσσυρίῃ, ὁμόφωνοι δ' ἦσαν ἅπαντες,
Καὶ βούλοντ' ἀναβῆν' εἰς οὐρανὸν ἀστερόεντα.
Αὐτίκα Ἀθάνατος
Πνεύμασιν· Αὐτὰρ ἔπειτ' ἄνεμοι μέγαν ὑψόθι πύργον
Ῥίψαν, καὶ θνητοῖσιν ἐπ' ἀλλήλοις ἔριν ὦρσαν
Τοὔνεκά τοι Βαβυλῶνα βροτοὶ πόλει οὔνομ' ἔθεντο.

Sed

Sed cum dicta ad rem fuerint collata, minatus
Quæ magnus Deus olim mortalibus illis,
Qui Turrim Aſſyriis in finibus ædificarunt,
Cùm cunctis eadem vox eſſet, ſtelliferumque
In cœlum vellent aſcendere, continuoque
Immortalis
Flatibus. At venti magnam ſublime ferentes
Turrim jecerunt, & litem conciliarunt
Inter eos, urbemque ideo Babylona vocarunt.

Hæc extant initio fere libri tertii Sibyllinorum, quæ hodie circumferuntur, Oraculorum. Verba autem Joſephi, quæ ſenſum horum Carminum exprimunt, recitantur etiam ab Euſebio de præpar. Evangel. lib. 9. cap. 15. Et quod imprimis obſervandum erat, ipſa hæc carmina Sibyllina laudantur à Theophilo Antiocheno in ſecundo ad Autolicum libro, ubi & lacuna iſta in verſu quinto ſuppletur hoc modo,

Αὐτίκα δ' Ἀθάνατος μεγάλην ἐπέθηκεν ἀνάγκην
Πνεύμασιν.

Vim magnam injecit Deus immortalis in illam
Flatibus.

Et ne quis dubitet an Theophilus hæc carmina ex Sibyllæ, qui tunc extabant, libris habuerit, ipſe id diſerte affirmavit, hæc iis præfatus, Σίβυλλα μὲν οὕτω σημαίνει, καταγγέλλουσα ὀργὴν τῷ κόσμῳ μέλλειν ἔρχεσθαι· ἔφη δὲ οὕτως, *Sic quidem Sibylla ſignificavit, mundo iram futuram annuncians. Sic enim ait.* Et tunc protinus carmina iſta recitat. Cùm Theophilus itaque, qui unà cùm Juſtino M. proximo poſt Joſephum ſeculo vixit, Sibyllina laudarit carmina, quæ idem prorſus continent, quod Joſephus Sibyllam dixiſſe ſcribit, nihil dubii eſſe poteſt, quin Joſephus eoſdem vidiſſet Sibyllinos libros, quos S. Juſtinus, Theophilus, aliique Eccleſiæ recens natæ Patres haud multis poſt illius obitum annis citarunt. Quin & ante Joſephum Strabo Geographiæ ſuæ lib. 1. & 12. antiqui vulgoque noti Oraculi meminit, his verbis concepti,

Ἔσσεται ἐσσομένοις, ὅτι Πύραμος εὐρυοδίνης
Ἠιόνα προχέων ἱερὴν ἐς Κύπρον ἵκηται.

Iſthæc evenient, vaſtis quo Pyramus undis
Tempore profuſo continget litore Cyprum.

Hoc autem Oraculum inter Sibyllina lib. 4. totidem fere verbis etiamnum extat, niſi quod pro κύπρον illic legatur νῆσον. Unde liquet hoc Sibyllinum Oraculum Strabonis diebus vulgo cognitum fuiſſe, ac proinde longe antequam alia ejuſmodi carmina tanquam à Sibyllis prolata, ab antiquis patribus laudata ſunt. Adhæc neminem latet antiquiſſimos qui extant Græcos pariter atque latinos ſcriptores frequentem de Sibyllis eorumque Oraculis carminibuſque mentionem feciſſe, Platonem dico, Ariſtotelem, Diodorum Siculum, Plutarchum, Pauſanium, Dionyſium Halicarnaſſæum, Dionem Caſſium, Ciceronem, Livium, Cornelium Tacitum, Ovidium, & ut alios mittam Virgilium, cujus Ecloga quarta Chriſto ut à Sibyllis deſcripto, multo melius clariuſque convenit, quam neſcio cui Salonino Pollionis filio, cui nullo modo accommodari poteſt. Nihil autem certius eſſe poteſt quam Poetam in iſtâ Eclogâ ad Sibyllæ carmina reſpectum habuiſſe, non modo quod majora hic quam alibi ſe prolaturum pollicetur, verumetiam quod de ultimo à Sibyllâ Cumæâ prædicto ſeculo diſerte agit, dicens

Ultima Cumæi venit jam temporis ætas.

Qui porro ea quæ Virgilius in iſtâ Eclogâ de aureo illo ſeculo quod futurum ait, poſtquam nova progenies cœlo dimiſſa eſt, cum iis comparaverit, quæ de ultimo ſeculo in Sibyllinis carminibus dicuntur, vix dubitabit quin Carmina vel Virgiliana ex Sibyllinis, vel Sibyllina ex Virgilianis ſumpta fuerint. Eadem enim utrobique celebrantur. Cum autem Virgilius Sibyllæ, ejuſque carminum & hic & alibi ſæpe meminerit, æquus lector eum ſua ex iis, potius quam è contra, hauſiſſe judicabit. Præſertim cum alia præſto ſint argumenta, quæ carmina Sibyllina iſtis diebus extitiſſe fidem faciunt.

X. Verum ne longe nimis à propoſito evagari videamur, miſſis aliis quæ de carminum Sibyllinorum antiquitate in eorum patrum, qui ea citarunt gratiam, proferri poſſunt, teſtimoniis: Quid nos de iis ſentiamus, paucis expedietur. Enimvero antiqui hiſtorici uno conſentiunt ore, libros quoſdam ſub Sibyllæ nomine religioſè olim Romæ cuſtoditos fuiſſe, & Senatum populumque eos conſulere ſolitos eſſe, quotieſcunque neceſſitas reipublicæ id poſtulare videretur. Conſtat etiam hoſce libros in Templi Capitolini cellâ ſubterraneâ, arcæ lapideæ incluſos, à decemviris aſſervatos fuiſſe incolumes uſque ad bellum Marſicum. Hoc enim Dionyſius

nyſius Halicarnaſſæus memoriæ tradidit. Antiq. Rom. lib. 4. Aliis compluribus ei ſuffragantibus. Sed octoginta plus minus annis ante Chriſti nativitatem exuſto Capitolio, hi libri unà abſumpti ſunt. Reſtituto autem poſtea Capitolio, Senatus tantam jacturam ægre ferens, legatos quoſdam miſit qui carmina Sibyllina ubicunque ea inveſtigare poterant, conquiſita Romam apportarent. Sic enim Corn. Tacitus, *Quod à majoribus quoque decretum erat*, inquit, *poſt exuſtum ſociali bello Capitolium, quæſitis Samo, Ilio, Erythris, per Africam etiam ac Siciliam & Italicas Colonias, carminibus Sibyllæ, una ſeu plures fuere, datoque Sacerdotibus negotio, quantum humanâ ope potuiſſent, vera diſcernere. Igitur tunc quoque notioni quindecim virûm is liber ſubjicitur.* Tacit. Annal. lib. 6. Sed & ante eum, necnon ante ipſam ſervatoris noſtri nativitatem Dionyſius Halicarnaſſæus libro ſuperius laudato eadem tradit, dicitque ſe è Terentio Varrone ea hauſiſſe. Λέγω δὲ, inquit, ἃ Τερέντιος Οὐάῤῥων ἱςόρηκεν ἐν τῇ θεολογικῇ πραγματείᾳ, *Dico autem ea quæ Terentius Varro in opere Theologico ſive de rebus divinis memoriæ tradidit.* De veritate igitur hujus hiſtoriæ nihil eſt quod dubitemus quandoquidem Terentius ille Varro, cujus libros rerum divinarum non tantum Dionyſius ſed & Lactantius aliique memorarunt, illis ipſis claruit diebus quibus hæc geſta ſunt. Feneſtella vero qui Tiberio imperante ſcripſit, ipſos nominat legatos qui hos libros tunc temporis conquiſitum à Senatu miſſi ſunt, videlicet P. Gabinium, M. Octacilium, & L. Valerium, *qui deſcriptos*, ut ait, *à privatis, verſus circa mille Romam deportarunt.* Apud Lactant. lib. 1. de falſâ relig. cap. 6. Quin idem etiam graviſſimus autor, ipſum notavit annum quo hæc contigerunt. Dicit enim legatos Erythras à Senatu eſſe miſſos ut Sibyllæ Erythrææ carmina Romam deportarentur, & ea Coſſ. Curio & Octavius in capitolio, quod tunc erat curante Q. Catullo reſtitutum, ponenda curarent. Feneſt. apud Lact. de irâ Dei cap. 22. Verumenimvero Cn. Octavius, & C. Scribonius Curio conſulatum agebant, an.U.C.IↃCLXXVIII. primo Olympiadis CLXXVI. ante æram Chriſti vulgarem LXXVI. Iſto itaque anno Carmina quædam ſub Sibyllarum nomine conquiſita ſunt, & in Capitolio repoſita. Nonnulla autem eorum ipſi etiam Romani ſuſpecta habuerunt, ac propterea Sacerdotibus, qui priora fortaſſe viderant, vera ac falſa diſcernere imperarunt. Cum hi vero libri variis è locis Romam deportati ſint, fieri non potuit quin ad aliorum æque ac Pontificum & Sacerdotum Romanorum manus pervenirent, adeo ut vulgo protinus noti eſſent. Quod ex eo etiam manifeſtum evincitur, quod iſtorum temporum ſcriptores nonnulla è Sibyllinis iſtis carminibus citarunt, ut Plutarchus, Pauſanias, aliique quos inter ipſe etiam Joſephus Antiquitatum Judaicarum ſcriptor, cujus verba ſupra retulimus. Quapropter mirum nemini

videatur, quod Chriſtiani poſtea in hos libros incidentes, unumque in iis Deum prædicatum, & nonnulla de magno illo Rege, Chriſto ſcilicet in mundum venturo dicta invenientes, in ſuis contra Gentiles diſputationibus, ad iſto; ſæpe appellarint, quippe quos ipſi Romani pro Sibyllinis jactitabant. Neque enim à memet ullis impetrare poſſum argumentis, nedum iis quæ Blondellus protulit, ut credam primos poſt Apoſtolos fidei Chriſtianæ propugnatores cauſæ ſuæ vel Chriſti potius tam male conſulere voluiſſe, ut libros quoſlibet à ſe confictos, & à Romanis nondum agnitos, ad eam illis adſtruendam laudarent. Non enim poterant non prævidere ſe fraudis ac vanitatis facillimè convinci poſſe, ſi tale facinus perpetrare auſi eſſent. Inter omnes autem conſtat hos libros non modo paſſim ab iis, idque coram ipſis Romanis, laudatos fuiſſe, verumetiam hoc iis nunquam vitio verſum eſſe, præterquam à Celſo, qui tamen & ipſe talia extare carmina, negare non potuit, nec aliud iis objicere, quam nonnulla illis à Chriſtianis inſerta eſſe: cui etiam objectioni Origenes reſpondit, ad antiquiora appellans exemplaria. Quæ quidem reſponſio tanto viro nunquam excidiſſet, niſi & ipſe ea quæ à Chriſtianis tanquam è libris Sibyllinis citata fuerant, in antiquioribus eorum exemplaribus inventa fuiſſe pro certo habuiſſet.

XI. His itaque præmiſſis ac perpenſis, nullus dubito, quin Carmina Sibyllina à Juſtino Martyre, Athenagora, Theophilo Antiocheno, Clemente Alexandrino, aliiſque primis fidei noſtræ aſſertoribus laudata, multis ante annis edita, paſſimque cognita fuiſſent, quam ab illis laudata ſunt. Quiſnam autem autor eorum fuerit, an à Vatibus divinitus inſpiratis, Quales inter Gentiles fuerunt Job & Balaam, edita, an è Prophetis Judaicis ſurrepta, an alio quovis modo literis mandata ſint, hæc ut non hujus loci ab aliis determinanda relinquo, ut & quanta eorum pars quæ hodie ſub Oraculorum Sibyllinorum nomine circumferuntur, cum antiquis illis conveniant libris qui duobus prioribus Eccleſiæ Chriſtianæ ſeculis extiterunt, & ab eorundem patribus laudati inveniuntur. Nos ſane hodiernæ Sibyllinorum, ut vocantur, Oraculorum rapſodiæ cauſam non defendimus, ſed iſtorum tantum carminum quibus antiquiſſimi religionis noſtræ aſſertores teſtimonium ſuum reddiderunt, de quibus æquum ex iis quæ nunc extant judicium ferri non poteſt. Quamplurima enim antiquitus laudata, ut omnibus notum eſt, in hodiernâ collectione deſiderantur. Alia quamplurima quindecim ſeculorum ſpatio de novo haud dubie addita, & interpolata ſunt. Ad quam quidem claſſem ea omnia referenda ſunt, quæ ſe ſcripta fuiſſe produnt, poſteaquam alia à patribus laudata ſunt. Cujuſmodi ſane haud pauca occurrunt. Ex iis autem contra alia ante citata diſputare, nihil aliud eſt quam ſuſque deque habere quo cum primis Eccleſiæ naſcentis patribus modo agamus, imo quidem eos propter quorum doctrinam, pietatem, & ſanguinem fidei no-

noſtræ confirmandæ cauſâ effuſum perpetuas Deo gratias debemus, incautos, ſtolidos, impudicos, & nullâ prorſus fide dignos, ſine omni rationis ſpecie pronunciare, ut ingenij noſtri in iis mordendis & ſugillandis acumen oſtendamus. At nobis non licet eſſe tam iniquis in doctos adeo pioſque viros: præſertim cum nonnulli etiam è Judæis Ethnicíſque ut oſtendimus, ſcriptoribus, multis ante patres Chriſtianos annis, carmina Sibyllina memorarint, ac laudarint. Quamobrem, licet antiqua hæc carmina non tanti ſint, ut quivis fidei articulus iis fundetur, licet nobis qui propheticis Apoſtolicíſque ſcripturis divinitus inſpiratis gaudemus, nulli prorſus hodie uſui eſſe videantur, licetque multa in iis quæ ſuperſunt, ſpuria, ſuppoſititia, & longo poſt tempore confićta ac interſerta deprehendantur, perſuaſum tamen habemus, ea quæ à S. Juſtino aliiſque ejuſdem ſeculi ſcriptoribus citata ſunt, multis ante annis ſub Sibyllæ nomine Romanis cognita fuiſſe, iiſque pro genuinis ejuſdem oraculis vulgo habita.

XII. Si obſervatori itaque librorum Sibyllinorum cauſam hâc ratione tueri placuerit, quod S. Juſtinus, Theophilus Antiochenus, Athenagoras, & Clemens Alexandrinus aliique eos laudaverint, nemoque illos certiores fecerit, libros iſtos ab ipſis Chriſtianis poſt Annum Domini CXXXVIII. confictos, ac Romanis propterea nondum agnitos fuiſſe: nobis quidem legitime ratiocinari videbitur. Ac proinde deſinat in poſterum mirari, quid ad hanc, ſi ita dicatur, Exceptionem, reſponſurus ſim: quam ille quidem eo tantum nomine protuliſſe videtur, quod ea quæ Blondellus contra Sibyllina carmina congeſſit, ediditque, ex tripode dicta eſſe, atque aliis æque ac ſibi perſuaſiſſe præſumpſerit, illa non tantum non Sibyllæ folia ſed & impudentiſſima Chriſtianorum figmenta eſſe, quæ vix citius ab impoſtore conſarcinata quam à Patribus laudata ſunt. Sed longe fallitur opinione vir doctus, ſi grande iſtud quod de Sibyllis volumen contexuit Blondellus, tanti apud omnes eſſe opinetur, quanti apud ſe ſit. Ut alios enim taceam, ipſe nihil in eo invenire poſſum quod quempiam nullâ præjudicatâ opinione corruptum, in ſuam de carminibus Sibyllinis antiquitus laudatis ſententiam inducat. Quod tamen altâ adhuc mente repoſitum habuiſſem, nec aliis divulgâſſem, niſi ab Obſervatore incitatus, dicente, me Objectionem ejus diluere non poſſe quin meam pariter diluam, neque ei reſpondere, quin mihimet etiam ipſe reſpondeam. Reſpondeo enim ex eo quod hæc carmina ab antiquis iſtis patribus laudata ſunt, ſummâ ratione concludi, ea inter nuperrime conſarcinata impoſtorum figmenta non recenſenda eſſe. Hoccine autem eſt mihimet reſpondere? aut meam ipſius contra Dallæum objectionem diluere? Sed nihil facilius eſt quam ſubodorari ex quo fonte hæc dimanarint. Eruditus ſcilicet Obſervator, me omneſque alios in Blondelli de carminibus Sibyllinis ſententiam ſecum iviſſe, quâ ratione

ductus neſcio, pro conceſſo ſumit, ideoque nihil dubitávit, quin validiſſimis ut ipſi videntur, Blondelli argumentis victus, ei largiturus eſſem, libros Sibyllinos neque hâc neque ullâ aliâ ratione defendi poſſe, etiamſi illi ſoli intelligantur, qui ab antiquis celebrati ſunt. E præmiſſis autem ni fallor conſtat, me ſalvâ meâ contra Dallæum objectione, huic Obſervatoris exceptioni reſpondiſſe. Adeo ut incaute nimis & inconſultè egerit vir doctus, cum me ipſi reſpondere non poſſe quin mihimet reſpondeam, prius aſſeruit, quam quid ipſe ei reſponſurus eſſem, ullo modo vel cognovit, vel cognitum habere potuit.

XIII. Quod poſtea addit Eruditus Obſervator, ſe *idem dicere de Conſtantino Imperatore qui de Sibyllinis oraculis magnificentius loquutus eſt, quam de Canonibus Apoſtolicis Juſtinianus*, ejuſdem prorſus ac priora, farinæ eſt, ut non opus ſit de novo ei reſpondeatur. Obſervare tamen liceat, non mirum eſſe quod Conſtantinus tam magnificè de libris Sibyllinis locutus ſit, cum eminentiſſima Eccleſiæ lumina eos toties ante ipſum teſtimonio ſuo comprobâſſent. Prius enim quam ille imperium adeptus eſt, libri illi per ducentos fere annos ab Eccleſiaſticis ſcriptoribus laudati fuerant. Adeo ut ipſo etiam Blondello judice Carmina Sibyllina multò longiori temporis ſpatio ante Conſtantini ætatem cognita fuerint, quam Canones Apoſtolici juxta Dallæi opinionem ante Juſtiniani teſtimonium iis tributum. Si libri illi quinquaginta duntaxat annos ab obſcuro aliquo impoſtore conſarcinati fuiſſent, Conſtantinus haud dubie iſtos tanto elogio non dignatus eſſet. Ut autem ex eo quod ille libros Sibyllinos maximis laudibus celebrârit, legitime inferamus eos haud nudiuſterius confictos eſſe, ſed pro venerandâ ſaltem ipſorum antiquitate aliqualem ab eo laudem meruiſſe: Sic etiam ex eo quod Juſtinianus Imperator Canones Apoſtolicos tam magnificè laudarit, neceſſario conficitur, & ipſum & totam iſtius ætatis Eccleſiam in eâ fuiſſe ſententiâ, quod illi Canones non ab hæretico aliquo recentis memoriæ impoſtore contexti, ſed multis ante annis collecti, & ab antiquis Eccleſiæ patribus ſub ipſo Apoſtolorum nomine traditi fuerant, Alioquin ſane permirum cuipiam merito videatur, inter omnes iſtos doctiſſimos Eccleſiæ præſules, & juriſconſultos in omni antiquitate verſatiſſimos, ex quorum conſilio ille leges ſuas ſanxit, nullum extitiſſe Dallæum, nullum Obſervatorem, qui Imperatori, ut dixi, aurem velleret, eumque certiorem faceret, Canones ab ipſo laudatos, non inter antiqua nedum Apoſtolica decreta, ſed inter nuperrime conſarcinata hæreticorum figmenta recenſendos eſſe. Cum hoc autem nemo Imperatorem tunc temporis admoneret, nec Dallæus, nec Obſervator prudentem quempiam ſuique juris virum eo inducet, ut Canones hoſce ante quinquaginta annos non extitiſſe credat.

XIV. Sed aliud adhuc vir doctus adinvenit, quo ſe, ſi fieri potuit, tueatur. Addit enim, *Sed ut ad ipſos Canones propius accedamus, quos ab*

Apoſtolis

Apoſtolis ſancitos opinabatur Juſtinianus miror nullum tunc temporis extitiſſe Beveregium, qui Imperatori aurem velleret, eumque certiorem faceret, ab Apoſtolis minime conditos eſſe, ſed ſecundo exeunte, tertiove nondum adulto ſeculo à primitivis Synodis conſtitutos, & mox etiam in corpus iſtud quod etiamnum habemus collectos fuiſſe. Nam hæc eſt de horum Canonum antiquitate viri docti ſententia. Tamen quemadmodum ex eo quod nullus Beveregius Imperatorem hâc de re monuit non ſequitur Canones ab ipſis Apoſtolis ſancitos eſſe, ſic etiam ex eo quod nullus tunc temporis Dallæus extitit, qui Juſtinianum certiorem redderet, iſtorum Canonum ſyllogen à recentioribus Impoſtoribus in eam quam habemus formam conflatam eſſe, non ſequitur adeo vetuſtam eſſe, ut exiſtimavit vir doctus. Obſerv. pag. 58. Tota hæc Obſervatoris diſputatio ſupponit & pro conceſſo ſumit, æque facile fuiſſe Imperatori dignoſcere, utrum hi Canones ad Apoſtolicam inſtitutionem referendi ſint, ac diſcernere annon patris ſui ætate confícti fuiſſent. Si prius enim difficilius eſſet intellectu quam poſterius, nemo mirari poteſt, ſi in illo potius quam in hoc hallucinatus fuerit Imperator. Quod primo autem ad poſterius ſpectat, ſi nuperrimè & poſt recentem hominum tum viventium memoriam hi Canones conſarcinati fuiſſent, hoc Imperatorem latere non potuit, utpote qui multos ſecum haberet, qui primam eorum editionem ſuâ adhuc memoriâ retinerent, quique propterea illum facillimè monere poterant, hos Canones uſque adeo ab Apoſtolis non ſancitos fuiſſe, ut nec inter antiquas Eccleſiæ ſanctiones recenſeri mereantur. Verum non adeo facile fuit ut quiſpiam Imperatorem tunc temporis certiorem faceret, eos ab ipſis Apoſtolis non conſtitutos fuiſſe, quippe quos à majoribus ſuis ſub Apoſtolorum nomine ſibi traditos acceperant. Hoc enim nomen non iſtis primo temporibus ſed aliquot retro ſeculis hiſce Canonibus inſcriptum fuerat, idque non admodum immerito: quandoquidem iſtis ſanciti ſunt diebus quibus omnes Eccleſiaſticæ ſanctiones Apoſtolicis traditionibus fundatæ ſunt. Enimvero ſecundo ſaltem ſeculo ſingulæ provinciæ Apoſtolorum illorum, quorum miniſterio Eccleſia ibi conſtituta eſt, quaſdam ſibi traditiones vindicabant, ex quibus Eccleſiaſticam ſuam diſciplinam formare conſuetæ ſunt. Quo factum eſt, ut leges ſive Canones Eccleſiaſtici tunc temporis ſanciti, ipſis Domini Apoſtolis adſcripti fuerint. Quapropter non mirum eſt, ſi Canones iſtis diebus divulgati, & ab eo uſque tempore S. Apoſtolorum nomen præ ſe ferentes, Juſtiniano Imperante, ipſis Apoſtolis accepti referrentur. Miror potius ut Obſervator hoc argumentum ad ſuam adſtruendam opinionem torquere conetur, quod eam funditus evertit. Cum enim Juſtinianus hos Canones ab ipſis Apoſtolis conditos, & Eccleſiæ relictos affirmet, nemoque eum erroris propterea admoneret, hinc conſtat, doctiſſimos quoſque iſtius ſeculi patres eandem atque nos hodie de his Canonibus ſententiam eo tenuiſſe,

quod

quod iſtos antiquos admodum & Apoſtolicis temporibus editos arbitrati eſſent. A Dallæanâ autem opinione, quæ, ipſo fatente Obſervatore, Canones hoſce quinquaginta tantummodo ante Juſtinianum annis confictos ſtatuit, illi quam longiſſimè abhorruerunt: cùm eos non eodem nec præcedente ſeculo, non ab hæretico, non ab impoſtore quovis conſarcinatos, ſed ab ipſis Apoſtolis traditos, atque à patribus majoribuſque ſuis obſervatos fuiſſe aſſeruerint. Nihil enim dubii eſſe poteſt quin Imperator communem Eccleſiæ & doctiſſimorum iſtius ſeculi virorum ſententiam nobis tranſmiſerit. Atque ideo licet ex eo quod Imperator hos Canones Apoſtolis adſcripſerit, nemoque de hâc re eum admonuerit, non ſequatur, ab ipſis eos Apoſtolis reapſe ſancitos eſſe, clariſſime tamen exinde ſequitur, eos antiquos adeo tunc temporis habitos eſſe, ut non conſtaret, annon ab ipſis Apoſtolorum diebus traditi & in Eccleſiâ perpetuo obſervati fuiſſent. Quod quidem Dallæi ac Obſervatoris de horum Canonum antiquitate opinionem deſtruit, noſtram autem ſententiam egregie confirmat.

CAPUT

CAPUT XV.

Synopſis.

I. Joh. Antiocheni *teſtimonium ab Obſervatoris exceptionibus defenditur. Canones Apoſt. Nomocanoni ante eum inſerti fuerunt.*

II. *Nomocanon quid proprie vulgoque ſignificet.* Joh. Antiochenus *Nomocanonem componere non potuit, nec quoſvis ei Canones inſerere. Neque hoc in ſe ſuſcepit.*

III. *Etſi* Juſtinianus & Joh. Antiochenus *hos Canones ipſis Apoſtolis adſcripſerint, noſtra tamen ex eorum teſtimonio ſententia clare ſatis evincitur. Dallæana autem penitus evertitur.*

IV. *Inter* Gelaſii P. R. *noſtramque de Canonibus Apoſt. ſententiam nulla eſt ἀσυςασία.*

I. ISTIS everſis exceptionibus, quas contra Juſtiniani Imp. pro Canonum Apoſtolicorum antiquitate teſtimonium machinatus eſt Obſervator, reliquum eſt, ut eas etiam expendamus, quibus clariſſimi ejuſdem ætatis ſcriptoris, Joh. Scholaſtici ſive Antiocheni eâ de re teſtimonium elevare molitus eſt. Nimirum Joh. Scholaſticus, qui à Juſtiniano ad thronum CP. promotus eſt, omnes qui tunc temporis in Eccleſiâ Orientali obtinebant Canones, in quinquaginta titulos ſive rerum capita diſtribuit, atque inter alios Synodorum Canones etiam Apoſtolicos recenſuit, aliiſque ità interſeruit, ut nihil dubii eſſe poſſit, quin illi in Nomocanonem ſive in Codicem Canonum Eccleſiæ Orientalis antea collecti fuiſſent. His autem ſe opponit Obſervator dicitque, *Si oſtenderet vir doctus extitiſſe ante Johannem Antiochenum Nomocanonem cui inſerti erant Apoſtolici Canones, concederemus à Johanne Antiocheno aliorum exemplo ſuo inſertos eſſe. At quia nihil ejuſmodi demonſtrare poteſt, perperam aſſerit Johannem Antiochenum Apoſtolorum Canones ſuo Nomocanoni inſeruiſſe, eo nomine quod pars Nomocanonis prius Conſtituti eſſent. Certe ſatius erit dicere, Johannem Antiochenum ſuâ ſponte, nulloque provocatum exemplo hoc feciſſe, poſt ſuam*

Canonum collectionem ante Nomocanonem elaboratam, & in quâ primi occurrunt Apoſtolici, ſaltem dum exhibetur Canonum ordo ſeu diſpoſitio, necnon in totius operis præfatione. Obſerv. pag. 58, 59. Hactenus Obſervator, cujus confidentiam ſatis mirari nequeo, diſerte affirmantis, me non poſſe demonſtrare ullum extitiſſe Nomocanonem ſeu Canonum collectionem ante Joh. Antiochenum, cui Apoſtolici inſerti erant. Qui enim quæſo ille prævidere potuit quid ipſe demonſtrare poſſim? Sane quantâcunque vel Obſervandi vel prævidendi peritiâ imbutus ſit, hic ſe in graviſſimum errorem præſumptæ ſuæ opinionis cauſâ præcipitem dedit. Quod iſte enim aſſeveravit me non poſſe demonſtrare, id ipſum antea clariſſime demonſtravi: ubi ſcilicet inſigne hoc Johannis Antiocheni teſtimonium in medium protuli, & explicavi. Ibi enim demonſtratum dedi Canones Apoſtolicos ante Joh. Antiochenum Nomocanoni inſertos & inter alios Synodorum Canones collectos fuiſſe, non tantum ex eo quod abſurdum fuiſſet iſtos inter alios Eccleſiæ Canones in L. titulos diſtribuere, ſi nondum in Nomocanonem inſerti fuiſſent, verum ex eo præſertim quod ipſe Joh. Antiochenus in ſuâ ad Canonum Collectionem præfatione, conceptis verbis aſſeruerit, aliam ſuâ antiquiorem fuiſſe collectionem Canonum, in quâ omnes à ſe recenſiti Canones in LX. titulos diſtributi fuerant, præter eos quos S. Baſilius edidit, ut quos ſolos ille in antiquiori illâ collectione prætermiſſos obſervat. Unde Apoſtolicos Canones ante Joh. Antiochenum partem Nomocanonis conſtituiſſe, certiſſimum conficitur.

II. Sed *certe* inquit vir doctus, *ſatius erit dicere Johannem Antiochenum, ſuâ ſponte, nulloque provocatum exemplo hoc feciſſe, poſt ſuam Canonum collectionem ante Nomocanonem elaboratam, & in quâ primi occurrunt Apoſtolici.* Hic autem in verbo *Nomocanonis* ludere videtur Obſervator, eo perinde utens, ac ſi talem perpetuo deſignaret Nomocanonem qualem Joh. Antiochenus poſt ſuam Canonum collectionem elaboravit; quo ſcilicet leges civiles Eccleſiaſticis Canonibus reſpondentes, unà cum iis exhibentur. Atqui doctiſſimum virum fugere non potuit, verbum *Nomocanonis* communi iſto ac vulgari ſenſu hic accipiendum eſſe, quo olim æque ac hodie paſſim uſitatum eſt, pro corpore ſive Codice Canonum in Eccleſiâ obtinentium. Cum itaque dicimus, Canones Apoſtolicos ante Joh. Antiochenum Nomocanoni inſertos fuiſſe, nihil aliud volumus, niſi iſtos Canones in corpus Canonum Eccleſiæ Orientalis receptos fuiſſe, priuſquam Joh. Antiochenus eos unà cum aliis in L. titulos diſtribuit. Atque idcirco non quæritur utrum Joh. Antiochenus hos Canones ſponte ſuâ an aliorum provocatus exemplo in ſuum Nomocanonem inſeruit, ſed an partem Codicis Canonum conſtituerint, antequam à Joh. Antiocheno inter alios collecti ſunt. Ipſe autem Obſervator hic fatetur, quod certiſſimum eſt, in Joh. Antiocheni collectione Canones primos occurrere

currere

currere Apoſtolicos; ſaltem dum Canonum ordo ſeu diſpoſitio exhibetur. Quæſtio igitur, ſi cuivis quæſtio videatur, huc redit, An Joh. Antiochenus ubi numerum ordinemque Canonum tunc temporis obtinentium recenſet, ipſe primus ſuâ ſponte, nulloque aliorum provocatus exemplo, Apoſtolicos aliis Synodorum Canonibus non modo interſeruit, ſed & omnibus antepoſuit? ſive quod idem eſt, utrum Johannes Antiochenus Codicem Canonum Eccleſiæ Orientalis ut à ſe deſcriptum primus compoſuit? Jure autem dubitavi, an hæc quæſtio cuipiam videatur, cùm extra omnem ſit controverſiam, Johannem Antiochenum Scholaſticum adhuc ſive in foro Eccleſiaſtico advocatum, Codicem Canonum, ex quo cauſas ageret, componere nec voluiſſe ſi potuit, nec potuiſſe ſi voluit. Hoc enim non in judicis,nedum in advocati,ſed in Synodi ſolius poteſtate ſitum erat. Quocirca Joh. Antiochenus hoc neutiquam ſibi arrogavit, ſed in ſe tantum ſuſcepit, Codicem Canonum ante compoſitum, & vulgo jam receptum, in certos quoſdam titulos ita diſtribuere, ut Canones de eâdem vel ſimili re editi, ſub eodem unà titulo invenirentur. Quin nec hoc etiam ille primus ſuſcepit, ſed aliorum exemplo provocatus, ut ex ejus præfatione ante obſervatum eſt. Unde liquet eundem Codicem Canonibus Apoſtolicis præmunitum ante Joh. Antiochenum in Eccleſiâ Orientali obtinuiſſe, ac proinde Canones Apoſtolicos longe prius receptos fuiſſe, quam ille iis inter alios diſtribuendis operam dedit.

III. Poſthæc doctiſſimus Obſervator à Johanne Antiocheno, cujus teſtimonium nullo unquam modo vel evitari poteſt, vel elevari, ad Juſtinianùm Imp. ſe iterum convertit, dicitque nihil cauſæ eſſe cur Juſtiniani Imperatoris dignitatem atque doctiſſimorum virorum quos ille ad Eccleſiaſticas pariter atque civiles colligendas leges undique convocaverat, urgeamus eruditionem, perinde ac Johannis Conſtantinopolitani Epiſcopi,reliquorumqueGræcarum Eccleſiarum Antiſtitum,ut inde concludamus Canones Apoſtolicos, quos ab omnibus obſervari præcipiunt, adeo vetuſtos eſſe, ut ſi non ab ipſis Apoſtolis, à viris ſaltem Apoſtolicis ſecundo tertiove poſt Chriſtum incarnatum ſeculo conſtituti ſint. *Plus enim*, inquit, *ei largimur quam poſtulat. Fatemur ſiquidem Juſtinianum & viros illos doctiſſimos, quorum meminit, exiſtimâſſe Canones, de quibus lis eſt, ab ipſis Apoſtolis verè conditos eſſe, ac proinde antiquiſſimos, utpote primis Chriſtianiſmi ſeculis conſtitutos, & niſi hoc iis perſuaſum fuiſſet, eos dubio procul tanquam fictos & ſpurios rejeciſſent. Beveregius autem diſerte negat, ab Apoſtolis fuiſſe ſancitos. Nihil ergo in gratiam hypotheſis ſuæ exſculpere poteſt, vel à Juſtiniano, vel à Johanne Antiocheno, vel à cæteris quos deſignat, viris doctiſſimis. Antiquitas enim quam Canonibus adſcribunt Apoſtolicis, ab eâ plane diverſa eſt,*

quam illis tribuit vir doctus. Obſervat. pag. 59, 60. Primo autem ubi dicit ſe plus nobis largiri quam poſtulamus, dicere, ni fallor, voluit, quam poſtulare opus habemus: neque enim opus eſt id poſtulemus quod omnibus notum eſt, ipſeque Obſervator diffiteri nequit, Juſtinianum ſcilicet & doctiſſimos iſtius ætatis viros hos Canones antiquiſſimos exiſtimâſſe, ut ab ipſis Apoſtolis traditos. Sed hæc, inquit, ſententia à noſtra diſcrepat, qui Canones hoſce non ab ipſis Apoſtolis non primo Chriſtianiſmi ſeculo, ſed à viris Apoſtolicis ſecundo tertiove poſt Chriſtum incarnatum ſeculo ſancitos arbitramur. Eſto. Quid ergo? Ergo, inquit, nihil hinc in noſtræ hypotheſis gratiam exculpere poſſumus. Itane vero? Annon clariſſimè hinc conficitur Canones Apoſtolicos longe antiquiores eſſe quam Dallæus voluit & poſt eum Obſervator? Et hoccine nihil ad noſtram hypotheſin confert? Quænam obſecro quæſtio à nobis agitur? Nonne de antiquitate Canonum Apoſtolicorum inſtituitur? Quid itaque ſi illis aliter atque nobis viſum eſt de Canonum horum inſtitutione? Hoc non eſt quod quærimus. Atque ideo nihil refert, utrum illi ab ipſis Apoſtolis, an nobiſcum à viris Apoſtolicis conditos fuiſſe hoſce Canones exiſtimarunt. Nobis cauſæque noſtræ ſufficit, quod ſexto ineunte ſeculo, Antiſtites & doctiſſimi quique viri eos, fatente ipſo Obſervatore, antiquiſſimos habuerant, & longe ante tempus à Dallæo denotatum conſtitutos. Quod autem illis antiquiores viſi ſunt quam nobis, hoc noſtram de eorum antiquitate opinionem uſque adeo non deſtruit, ut multo magis confirmet. Si tantorum enim virorum autoritate victus Obſervator, hos Canones adeo antiquos eſſe concedat, ut illi autumarunt, Dallæi de iis ſententiæ valedicat, noſtramque veritati longe propiorem eſſe fateatur neceſſe eſt. Et præterea ſi adeo antiqui fuerint, ut illis perſuaſum eſt, haud minoris ſane antiquitatis eſſe poſſunt, quam nos ſtatuimus. Sed inſtat vir doctus, dicitque, *Hæ duæ opiniones, ut quivis videt, ſibi invicem adverſantur, nec amicè conciliari queunt. Nam ſi obtinet Juſtiniani de Canonum antiquitate ſententia ruit Beveregiana. At ſi ſtat Beveregiana, peſſum ibit Juſtinianea. Quomodo quæſo unà conſiſtere poſſunt duæ opiniones, quarum altera Canones ab ipſis Apoſtolis ſancitos affirmat, altera vero tertio ineunte ſeculo longe poſt mortem Apoſtolorum conſtitutos eſſe contendit?* pag. 60, 61. Verum & hic in aliam omnino controverſiam incautus tranſilit Obſervator. Nos enim contra Dallæum contendimus Canones Apoſtolicos ante quintum adultum ſeculum divulgatos fuiſſe: idque ex eo probamus, quod ſexto ineunte ſeculo Juſtinianus eos adeo antiquos eſſe crediderit, ut ipſis Apoſtolis attribuendos eſſe cenſeret. Reſpondet Obſervator hanc Juſtiniani

niani opinionem noſtræ adeo adverſari ut unà conſiſtere non poſſint. Quoniam ſcilicet ille eos ab ipſis Apoſtolis, nos autem poſt illorum mortem conſtitutos eſſe aſſerimus. Quid hoc autem ad præſentem quæſtionem? Nos Juſtiniani ſententiam non defendimus, ſed ex eâ Dallæanam tantummodo oppugnamus: ac proinde verane illa ſit, an falſa, nos nihil hic laboramus, cum utcunque ſe habeat, Dallæi de his Canonibus opinionem funditus evertat. Etiamſi enim erraverit fortaſſe Imperator, in Canonibus hiſce Apoſtolicæ inſtitutioni aſſignandis, ex eo tamen clare ſatis evincitur, eos multis ante ejus ætatem annis conditos fuiſſe, uſque adeo ut iſtis etiam diebus incertum eſſet, annon ipſi eos Apoſtoli condidiſſent. Quod ſi vera ſit Juſtiniani opinio, Dallæana falſiſſima ſit neceſſe eſt. Nec refert omnino, utrum ſententia Juſtinianea noſtræ ad amuſſim quadret, an aliquantulum ab eâ diſcrepet, cum utraq; ad Dallæanam evertendam amicè conſpirent, à quâ etiam Imperatoria illa longiùs quam noſtra recedit.

IV. Verumenimvero ut ut futilis ac impertinens ſit hujuſmodi ratiocinandi, vel excipiendi ratio, erudito Obſervatori quam plurimum arriſiſſe videtur: utpote qui paulo etiam ante ſimili uſus eſt. Nimirum ſuppoſito quod Dallæus poſtulavit, Gelaſium Epiſcopum Romanum Canones Apoſtolorum inter Apocrypha deputaſſe, ex eo nos conſtare diximus, Canones iſtos Gelaſii ætate, hoc eſt, quinto labente ſeculo antiquos admodum exiſtimatos eſſe, & longe antea conditos, quandoquidem incredibile eſt ut poſt quadringentos & amplius ab Apoſtolis annos, ipſum eorum nomen libro alicui inſcriberetur, qui non multis ſaltem ante illud tempus annis conſcriptus fuerat. Paulo autem ante, in Annotationibus, dixi quoque nemini dubium eſſe poſſe, quin ſi Apoſtolorum nomen hiſce Canonibus nunquam inſcriptum fuiſſet, ſed Eccleſiaſtici ubique Canones appellati eſſent, nec Gelaſius eos inter libros Apocryphos recenſuiſſet, nec Dallæus eorum antiquitatem tot unquam verbis oppugnâſſet. Quid ad hæc Obſervator? *Hæc*, inquit, *adeo* ἀσύστατα *videntur, ut difficile conciliari queant. Vix enim concipi poteſt, unum eundemque libri cujuſdam titulum, ad illius honorem ſimul & ignominiam præfixum fuiſſe. Tamen dum ex Apoſtolorum nomine Canonibus inſcripto eorum infers antiquitatem, ad honorem inſcriptum profiteris. At dum in eodem quo prænotati ſunt nomine damnationis eorum materiam quæris, & argumentum ad ignominiam impoſitum non diffiteris. Quæ duo meo quidem judicio unà conſiſtere non poſſunt.* Obſervat. pag. 54, 55. Recte dixit, ſuo quidem judicio hæc ἀσύστατα videri

& conciliatu difficilia. Alium enim ita judicantem vix inveniet. Quid enim obſtat quo minus unus idemque hujus vel alius cujuſpiam libri titulus materiam præbeat, ex quâ pro varia hominum indole ac ingenio, antiquitas ejuſdem ab aliis eliciatur, ab aliis autem totus propterea liber oppugnetur, licet illud in honorem ſit, & hoc in ignominiam. Quænam quæſo hic eſt ἀσυςασία. Ex eo quod quinto labente ſeculi hi Canones Apoſtolorum à Gelaſio dicti fuerunt, nos illos antiquos admodum fuiſſe concluſimus, ſiquidem nihil à ratione magis abhorrere videtur, quam quod S. Apoſtolorum nomen iſtis demum diebus libro cuilibet inſcriberetur, qui non multis retro annis conſcriptus cognituſque fuerat. Neque ullum in totâ illius ſeculi hiſtoriâ extat ullius libri exemplum, qui tunc demum primo confictus ſub ementito ſanctorum Apoſtolorum nomine publicatus eſt. Hoc ſecundo fateor ſæpe, nonnunquam & tertio fiebat ſeculo, ut & quinto autem eoque labente fieret, nec rationem habet nec exemplum. E contra autem Gelaſius Synoduſque Romana ſub eo habita, Canonicos ac Apocryphos, veros ac falſos S. Apoſtolorum aliorumque ſcriptorum Eccleſiaſticorum libros ſecernere omni ope atque opere enitens, & S. Apoſtolorum nomen huic inſcriptum libro inveniens, eum propterea inter Apocryphos rejecit, ut magnum illud nomen falſò præ ſe ferentem, quod Eccleſia univerſa nulli unquam libro impoſuit, præterquam iis quos in SS. Scripturæ Canonem recepit. Et poſt mille & quod ſupereſt à Gelaſio annos, clariſſimus vir, Johannes Dallæus in pſeudepigrapha Apoſtolica ſtylum exercens, hos etiam Canones eo nomine confodit, quod S. Apoſtolorum dicerentur. Alioquin enim inter pſeudepigrapha Apoſtolica recenſeri non potuerunt. Adeo ut cuivis pateat, tam Dallæum quam Gelaſium ex hoc ſolo eorum titulo Canones hoſce configendi occaſionem arripuiſſe, ex quo nos eorundem antiquitatem conſtare aſſerimus. Quid autem in hiſce eſt inconſiſtentiæ? Quid vetat quin alii diverſo reſpectu ignominiam in hos Canones conjiciendi materiam ex eodem nomine acciperent, ex quo nos honorem propter antiquitatem iis debitum eſſe contendimus? Sed nihil eſt quod his diutius immoremur. Cùm ipſe Obſervator hæc plane ἀσύςατα eſſe non dixerit, ſed tantum *adeo ἀσύςατα videri, ut difficile conciliari queant*. Quod ſi ullo modo conciliari queant etiamſi difficillimè, poſſibile ſane eſt ut unà conſiſtant. Quod tamen ſuo quidem judicio fieri non poſſe, diſerte poſtea affirmat ſui oblitus Obſervator. Verum ſi hanc cauſam non ſuo, ut præconceptâ opinione corrupto, ſed aliorum judicio commiſerit, citò definietur, hæc

adeo

adeo non eſſe ἀσύςατα, ut nullâ prorſus conciliatione indigeant, ipſumque Obſervatorem inconſideratè nimis hæc protuliſſe, quæ nihil plane ad præſentem quæſtionem faciunt. Si alii enim titulum quem nonnunquam præferunt, ut probrum hiſce Canonibus objiciant, hoc ad nos nequicquam ſpectat: ipſi viderint. Nobis abunde ſat eſt, quod quinto labente ſeculo hi Canones Apoſtolorum dici non poterant, niſi multis ante annis conſtituti fuiſſent.

CAPUT

CAPUT XVI.

Synopſis.

I. *Quare Canones Apoſt.* Codici Canonum Eccleſiæ univerſæ *non ſunt inſerti.*

II. *Eum qui Codicem iſtum compoſuit eos tantum Canones quos Synodus* Nicæna *edidit vel recepit, quique poſtea ſanciti ſunt colligere in animo habuiſſe probatur.*

III. *Canones* Ancyrani & Neocæſarienſes *Codici propterea inſerti ſunt quod à Synodo Nic. recepti. Idem dici nequit de* Sardicenſibus *à ſecundâ Synodo, ut Patribus* Florentinis *viſum eſt, receptis. Ipſi ſecundæ generalis Synodi Canones Codici non ſunt inſerti ante quartam* Chalcedone *habitam. Synodi* Florentinæ *teſtimonium in hâc cauſâ vindicatur.*

IV. *Etſi Canones* Ancyrani & Neocæſarienſes *non fuiſſent à Synodo Nic. confirmati, Codici tamen inſerendi erant, ut iiſdem diebus editi.*

V. *Canones Apoſt. primitivæ ante* Syn. Nic. *Eccleſiæ diſciplinam exhibere aſſeritur. Collectores Canonum Eccleſiæ univerſæ nullam Apoſtolicos memorandi occaſionem habuerant.*

VI. *Nullum ex antiquis iſtius Eccleſiæ decretis Codici Eccleſiæ Africanæ inſertum eſt.* D. Cyprianus *nihil de tranſmarinis appellationibus ſtatuit. Non opus erat ut antiquior iſtius Eccleſiæ Codex novo conjungeretur, vel in eo commemoraretur.*

VII. *Ex eo quod Synodi antiquæ Canones Apoſt. non nominatim memorarunt, non ſequitur eos tunc non extitiſſe.*

VIII. *Canones Apoſt. Patribus Nicænis, Antiochenis, &c. incognitos fuiſſe, neutiquam ex eo ſequitur quod ab iſtis indicato Canonum numero non laudentur. Omnia antiquiorum Conciliorum Acta interciderunt.*

I. VIDIMUS quantis quamque perſpicuis veterum teſtimoniis noſtra de Canonum Apoſtolicorum antiquitate opinio nititur, eademque omni exceptione majora eſſe oſtendimus. Reſtat modo ut ea expendamus quæ Dallæus ſuæ adſtruendæ opinioni ex formâ

formâ eorum (de materiâ enim proximo libro fuſius, Deo volente, acturi ſumus) protulit, quæque eruditus Obſervator contra reſponſiones noſtras in Annotationibus allatas vindicare conatus eſt. Primo itaque Dallæus de pſeudepigr. Apoſtol. lib. 3. cap. 21. pag. 672. hanc Canonum collectionem non breviarium eſſe ac Epitomen Eccleſiaſticorum ante Synodum Nicænam decretorum, nec ante iſtam Synodum conſtitutos eſſe contendit, hâc ratione, *Si res*, inquit, *ita ſe haberet, omnino hanc Syllogen Codici Canonum Eccleſiæ univerſalis ejus autores inſeruiſſent, imo primo Codicis loco poſuiſſent, velut à viris Apoſtolicis exortum, & ipſâ antiquiſſimi temporis vetuſtate venerabile monumentum.* Ad hæc in Annotationibus repoſui, Autori Codicis Canonum Eccleſiæ univerſalis propoſitum eſſe à Canonibus Nicænis exordium ducere, eoſque ſolos colligere, qui ab iſtâ Synodo ſanciti ſunt vel confirmati aut ab aliis poſt eam conſtituti. Quo factum eſt, ut nulli antiquiores Synodo Nicænâ Canones ab eo colligantur præter Ancyranos & Neocæſarienſes, quos etiam ab iſtâ Synodô confirmatos eſſe Acta Concilii Florentini teſtantur. Et præterea hic Codex Canonum Eccleſiæ primitivæ longe antea collectus fuerat, & ſeorſim in Eccleſiâ diu obtinuerat, ac proinde non opus erat ut Canones in eo comprehenſi de novo colligerentur, nedum ut antiquus iſte Codex novo conjungeretur, qui non eo nomine compoſitus fuit, ut antiquam ſed ut præſentem Eccleſiæ diſciplinam exhiberet, eam nimirum quæ à Conciliis nuper celebratis conſtituta eſt. Quod etiam in Codice Canonum Eccleſiæ Africanæ obſervare licet, quo ſcilicet nec unum è decretis quæ ſub D. Cypriano aliiſque vetuſtioribus Africæ Conciliis divulgata fuerant, continetur (etiamſi juxta Dallæi argumentum ea omnia primo in loco propter venerabilem antiquitatem poni debuiſſent) ſed ea tantum quibus Eccleſiaſtica diſciplina iis, quibus collectus eſt iſte Codex, diebus adminiſtrabatur. E quibus, ut dixi, patet quam fruſtra interroget Dallæus quare Apoſtolici æque ac Antiocheni Canones Codici Canonum Eccleſiæ univerſæ non inſerti ſunt? Antiocheni enim ad præſentem Eccleſiæ ſtatum pertinebant, non item Apoſtolici, qui Eccleſiæ continuis fere perſecutionum procellis jactatæ, & Eccleſiaſticis quæ iis temporibus emergebant negotiis accommodati ſunt.

II. Contra hæc Obſervator plurima congeſſit. *Primo*, inquit, *unde quæſo habet Beveregius auctori Codicis propoſitum fuiſſe, eos ſolos Canones colligere, qui vel à Nicænâ Synodo confirmati ſunt vel poſt eam conſtituti? Edat vel unum vetuſtum ſcriptorem qui hoc teſtetur, & cujus teſtimonium omni ſit exceptione majus. Cùm autem nullum plane proferat, & de ſuo tantum hoc affirmet, non ægrè laturum illum puto, ſi à nobis eâdem, quâ profertur facilitate contemnatur.* Obſerv. pag. 37. Ad hanc exceptionem eodem quo concipitur, modo reſpondeo, interro-

interrogando, Quid opus eſt teſtibus ubi res ipſa loquitur? Annon ipſa compoſitio Codicis Canonum Eccleſiæ univerſæ clarè ſatis indicat, clamatque ſuum autorem nihil aliud in ipſo elaborando ſibi propoſuiſſe, quam iſtos ſolos Canones colligere qui à Synodo Nicænâ confirmati vel poſt eam conſtituti ſunt? Revolve quæſo iſtum Codicem, & dic tandem nobis unde incipit? Annon à Canonibus Nicænis? Quid ita ſi autor antiquiores iſtâ Synodo & ab eâ non confirmatos Canones colligere in animo habuiſſet? Neſciſne quamplurimos ante iſtud concilium editos fuiſſe Canones, qui dicto Codici non inſeruntur? Quamobrem autem iſti etiam inter alios hic non ſunt collecti, ſi autori antiquiores etiam Canones colligere propoſitum fuiſſet? Neminem ſane fugit plurimas ante Nicænam habitas fuiſſe Synodos, plurimoſque ab iis conſtitutos Canones, qui tamen omnes præter Ancyranos & Neocæſarienſes paulo ante ſancitos, in hoc Codice omittuntur. Quod quidem fieri nec debuit nec potuit, ſi autor ſibi conſtituiſſet, omnes in unum corpus colligere Canones qui ante Concilium Nicænum editi & recepti fuerunt.

III. Quod autem diximus Canones Ancyranos & Neocæſarienſes à Synodo Nicænâ confirmatos eſſe, idque ex Actis Concilii Florentini conſtare, negat Obſervator ullam hujuſce confirmationis extare mentionem in Synodi Florentinæ ſeſſione ſeptimâ quam citavimus. En inquit Synodi verba, *Ante primam Synodum multæ aliæ celebratæ ſunt, Antiochiæ adverſus Paulum Samoſatenum, Ancyræ contra eos qui non ſuſcipiebant accedentes ad fidem, quod priùs Chriſtum abnegaſſent propter tormenta, & Neocæſareæ tertia. Quas omnes Synodos recepit Synodus Nicæna.* Ex his verbis ſic diſputat Obſervator, *Synodos illas admiſit Concilium Nicænum, ab eo confirmatas eſſe non dicitur.* Obſerv. pag. 37. Egregia quidem Obſervatio! Nimirum ac ſi quas Synodos Nicæna recepit eaſdem non confirmavit. Annon autem receptio à tantâ Synodo ampla ſatis eſt earum confirmatio? Quo demum pacto prima univerſalis Synodus alias confirmare poterat, niſi eas ut Catholicas ſive Orthodoxas recipiendo? Sed addit vir doctus, *Et ſi ob id tantum Codici Canonum Eccleſiæ univerſæ inſerti ſunt Canones Ancyrani & Neocæſarienſes, quia à Synodo Nicænâ recepti ſunt, eâdem plane ratione inſerendi erant Sardicenſes à ſecundâ Synodo Oecumenicâ, ſi iiſdem Florentinis patribus credimus, ſuſcepti. Quamvis hallucinatos eſſe Florentinos Patres non dubitem. Non enim de Sardicenſi Synodo loquuntur Conſtantinopolitani Patres Can. V. ut opinabantur Florentini, ſed de Antiochenâ Anno Domini CCCLXXVIII. habitâ, in quâ lectus eſt tomus Occidentalium, Epiſtola ſcilicet Synodica Damaſi Papæ ante paucos annos ſcripta, cui ſubſcripſerunt Epiſcopi Orientales numero CXLVI.* Obſervat. p. 37, 38. Reſpondeo primo de errore patrum Florentinorum in quinto ſecundæ generalis Synodi interpretando Canone,

non eſt quod hic laboremus, cum de iſtâ re in Annotationibus ad iſtum Canonem fuſè commentati fuerimus. Hic tantum obiter adnotare liceat, Florentinos Patres hoc in loco ex communi Græcorum ſenſu locutos eſſe, qui per aliquot retro ſecula Canonem iſtum Conſtantinopolitanum ita interpretati ſunt. Sed quod ad rem noſtram ſpectat, etiamſi Canones Ancyrani & Neocæſarienſes Codici Canonum Eccleſiæ univerſæ propterea tantum inſerti ſint, quod à Synodo Nicæna recepti fuerunt, non tamen ſequitur Sardicenſes etiam Canones eidem inſerendos eſſe, eo quod à ſecundâ generali Synodo, ſi Patribus Florentinis fides habeatur, ſuſcepti ſunt. In Codice enim iſto quo Canones Ancyrani & Neocæſarienſes primo inter alios collecti ſunt, ipſi Canones ſecundæ generalis Synodi deſiderabantur, ut liquet ex Actis Concilii Chalcedonenſis, in quibus Codex iſte aliquoties relectus eſt. Enimvero Actione XVI. ejuſdem Concilii, Lucentius Vicarius ſedis Apoſtolicæ dixit, *Accedit ad cumulum quod trecentorum decem & octo conſtitutionibus poſtpoſitis, centum quinquaginta, qui in Synodicis Canonibus non habentur, mentionem tantum feciſſe noſcuntur: quæ dicunt ante octoginta prope annos conſtituta fuiſſe.* Act. Concil. Calced. p. 340. Edit. Col. An. 1618. Quod ſi ipſi Canones Patrum CL. qui ſecundam generalem Synodum Conſtantinopoli celebrarunt, inter Synodicos Canones, ſive in Codicem Canonum Eccleſiæ univerſæ ante Concilium Chalcedonenſe non collecti ſunt, quo demum pacto Canones Sardicenſes, ab iis, ut Patribus Florentinis viſum eſt, ſuſcepti, in iſtum Codicem multo ante factum referri potuerunt, eo quod à ſecundâ generali Synodo recepti, ſive confirmati eſſent? At longe alia eſt ratio Canonum Ancyranorum & Neocæſarienſium, qui cùm primò Codex Canonum Eccleſiæ univerſæ conditus erat, unà cum Nicænis in eum colligebantur, propterea quod à Nicænâ Synodo recepti fuerant, ſive approbati, ut Patres Florentini teſtati ſunt. *Sed donemus,* inquit Obſervator, *Beveregio Canones Ancyranos & Neocæſarienſes à Synodo Nicænâ juxta Florentinos Patres fuiſſe confirmatos, nihil propterea proficiet. Synodus quippe Florentina nimis recens eſt, ut de re adeo antiquâ ſine vetuſtioris autoritate teſtari queat, cenſit,* (centum haud dubie legendum eſt) *& tredecim annos ſupra mille poſt conſeſſum Nicænum: præſertim cùm nihil ejuſmodi occurrat in antiquis Eccleſiæ ſcriptoribus, nec in ipſo Canonum Eccleſiæ univerſæ Codice.* Hactenus Obſervator, cui ſingulares habemus gratias, quod illud nobis donare dignatus eſt, quod nemini negare potuit. Hoc autem utrinque conceſſo, niſi ſe omnibus Florentinis Patribus doctiorem prudentioremque dixerit, Canones Ancyranos & Neocæſarienſes à Synodo Nicænâ confirmatos eſſe fateatur neceſſe habet. Et præterea ſi Synodus iſta nimis recens ſit ut de re adeo antiquâ ſine vetuſtioris autoritate teſtari queat, ille quidem iſtâ Synodo multo eſt recentior, ac proinde multo major Patri-

 bus

bus Florentinis quam Anonymo Obſervatori habenda eſt fides, etiamſi pro certo haberemus eos ſine vetuſtioris cujuſvis viri Synodive autoritate hoc teſtatos fuiſſe. Neque enim ille unum vetuſtiorem è contrario teſtem proferre poteſt. Unde vero ei conſtat Patres Florentinos ſine vetuſtioris autoritate hoc affirmaſſe? Sane niſi ſolidiſſimam aſſertionis adeo cenſoriæ rationem reddiderit, fides penes ipſum erit, ab aliis enim nullam habebit. Nobis profectò omnem excedit fidem, ut tot tantique Patres tale quid de ſuo ingenio excogitarent, vel ut illud aſſererent, niſi idoneis veterum teſtimoniis veriſſimum eſſe pro certo habuiſſent. Nec magni refert, quod ſcriptis non mandarunt, quibus adducti rationibus aut teſtimoniis id aſſeverarunt. Iſtud enim haud neceſſe erat, cùm nemo tunc temporis id negaret. Nullus autem dubito quin ſi Obſervator aliquis adverſus reſtitiſſet, illi omnes ejus exceptiones competenti veterum autoritate evertere potuiſſent. Interim Patrum ſaltem Florentinorum habemus teſtimonium, quod quidem privati ac Anonymi Obſervatoris opinioni non æquivalet modo, ſed & longe præponderat: præſertim cùm is, licet enixè conatus ſit, nullam exculpere potuit rationem quâ contrarium evinceret. Ecce enim qualem ſimulat, *Imo contrarium*, inquit, *ex ipſo Codice colligitur: Hic enim titulus Ancyranis præfixus eſt Canonibus* Concilii Ancyrani Canones XXV. qui quidem priores ſunt Nicænis, ſed ideo poſtpoſiti ſunt, propter autoritatem Synodi Oecumenicæ. *Si à Synodo Nicænâ confirmati fuiſſent, lectorem hac de re moniturum eſſe collectorem par eſt credere: Idem dico de Canonibus Neocæſarienſibus, hoc titulo prænotatis*, Concilii Neocæſarienſis Canones XIV. qui quidem ſunt Ancyranis poſteriores, Nicænis vero antiquiores, Obſerv. pag. 38. 39. Mira quidem ratiocinandi ſubtilitas! Qui Codicem Canonum Eccleſiæ univerſæ primus condidit, vel quod veriſimilius eſt, aliquis qui iſtum poſtea tranſcripſit, dixit Canones Ancyranos & Neocæſarienſes Nicænis priores fuiſſe, ſed iis poſtpoſitos propter autoritatem Synodi Oecumenicæ. Ergo ſi à Nicænâ Synodo confirmati eſſent, lectorem hâc de re moniturum eſſe collectorem par eſt credere. Quid ita quæſo? annon ipſi tituli clare ſatis indicant quare præfixi ſunt, nimirum ut lectorem certiorem facerent quare Canones ante Nicænos conditi, poſt eos in Codice collocati ſunt, propter ſummam ſcilicet Synodi iſtius Oecumenicæ autoritatem? Cum hoc itaque ſolum in titulis iſtis præfigendis propoſitum fuiſſet collectori, non opus erat ut iſtos etiam Canones à Synodo Nicænâ confirmatos eſſe indicaret; neque par eſt credere eum de hâc re lectorem in titulis moniturum eſſe, quandoquidem hoc clare ſatis in ipſâ collectione indicatum putavit; eo ſcilicet quod licet à Canonibus Nicænis inciperet, tamen & hos etiam paulo ante conſtitutos collegerat, quod nunquam feciſſet, niſi eos aliqualem ab iſtâ Synodo autoritatem accepiſſe reſciſſet. Quod quidem nobis ex eo etiam veriſimillimum

mum videtur, quod magna pars Patrum qui Ancyranos & Neocæſarienſes Canones condiderant, Synodo Nicænæ paucos poſt annos habitæ interfuerunt, ut è ſubſcriptionum collatione patet. Hos enim, ſi Obſervatoris argumentandi modo utamur, par eſt credere, à Synodo iſtâ impetrâſſe ut Canones quos ipſi in ſuis Provinciis ſanxerant, ab Oecumenico iſto Concilio approbarentur, quo majorem in Eccleſiis quique ſuis, vim atque pondus obtinerent.

IV. Quid autem ſi demus Obſervatori, quod tantopere exoptat, Canones nimirum Ancyranos & Neocæſarienſes à Synodo Nicænâ non eſſe confirmatos? Nihil ſane exinde conficiet. Concilia enim Ancyranum & Neocæſarienſe paucis tantum Annis ante Nicænum & ſub eodem auſpicatiſſimo Eccleſiæ Chriſtianæ Imperatore Conſtantino M. celebrata ſunt. Quapropter autor Codicis propoſitum habens Canones iſto ſeculo poſt pacem Eccelesiæ reſtitutam editos in unum corpus colligere, etiamſi à primâ univerſali Synodo exordiri apud ſe ſtatuiſſet, Ancyranos tamen & Neocæſarienſes omittere non potuit, ut iiſdem diebus editos. Quod autem ad alios ſpectat Canones, longo ante tempore conſtitutos, quales Apoſtolicos eſſe contendimus, ſi eos, vel ullos eorum colligere in animo habuiſſet, nonnullos procul omni dubio collegiſſet: neque enim omnes prioribus ſanciti ſeculis eum latere poterant. Cùm autem ex ipſo Codice pateat, nullos Ancyranis antiquiores ab eo collectos fuiſſe Canones, nihil dubii ſupereſſe poteſt, quin à Canonibus iſtis diebus conſtitutis Codicem ſuum incipere animo propoſuiſſet: ac propterea non mirum eſt, quod Apoſtolicos multo ante ſancitos reliquis non inſeruit. Hoc enim modo conſtitutos ſibi limites tranſiliiſſet.

V. Præterea ad iſtam Dallæi objectionem reſpondi Codicem Canonum Apoſtolicorum diu in Eccleſiâ ſeorſim obtinuiſſe ac propterea non opus eſſe ut Canones in eo comprehenſi de novo colligerentur, multo minus ut antiquus iſte Codex novo conjungeretur, qui non eo nomine compoſitus fuit ut antiquam ſed tantum ut præſentem Eccleſiæ diſciplinam exhiberet, eam ſcilicet quæ à Conciliis nuper celebratis conſtituta eſt. Contra hæc autem Obſervator multa excepit, paucis diſcutienda. *Primo* inquit, *pro conceſſo & pro vero ſibi ſumit quod nos negamus, nempe antiquiſſimam eſſe Canonum Apoſtolicorum collectionem, quam Codicem Canonum Eccleſiæ primitivæ nuncupare amat, etiamſi tantam illius vetuſtatem nondum probaverit.* Obſerv. pag. 39. Reſpondeo primo me nihil pro conceſſo aut vero mihimet ſumpſiſſe, niſi quod ibi probatum, & hic ab omnibus Obſervatoris exceptionibus vindicatum dedimus. Et præterea hoc in loco non de antiquitate horum Canonum diſputamus, ſed de ratione quare Codici Canonum Eccleſiæ univerſæ non ſunt inſerti. Quæ

cum ſit alia plane quæſtio, de eâ ex ſuppoſitâ eorum antiquitate diſputare licet. Dallæus enim hoſce Canones non adeo antiquos eſſe ex eo probare nititur, quod non ſunt Codici Canonum Eccleſiæ univerſæ inſerti. Noſque propterea juxta legitimas diſputandi regulas ei repoſuimus, non neceſſe eſſe ut iſti Codici infererentur, etiamſi adeo antiqui eſſent, ut nos contendimus. Imo eò quod adeo antiqui eſſent, novo iſti Codici non inſerendi erant. *Secundo*, inquit, *æque falſum eſt, quod innuit, Canones videlicet Apoſtolicos ad Eccleſiæ diſciplinam Synodo Nicænâ antiquiorem ſpectare tantum. Plures tamen ex iſtis Canonibus ad diſciplinam quæ longe poſt Concilium Nicænum in Eccleſiâ obtinebat, pertinere, nemo dubitabit, qui eos accurate legerit.* Pag.39,40. Sed quare tot uſus eſt verbis, cum uno hæc omnia complecti potuit, dicendo, *Mentiris*? Si ipſe quidem ei ita reſponderem, ut ille mihi, hoc modo diſputarem, Æque falſum eſt quodcunque in ſecundâ hâc exceptione affirmat Obſervator. Sed vereor ne ſi ipſe ita diſputarem, riſum lectori moverem, eidemque ludibrio haberer. Veruntamen ingenue fateor me non videre, quo demum modo huic exceptioni aliter reſpondeam, quippe quâ nihil aliud objicit, quam id de quo quæritur falſum eſſe. Quod enim poſtea addit plures ex illis Canonibus ad diſciplinam, quæ longe poſt Concilium Nicænum obtinebat, pertinere, neminemque de eo dubitare poſſe qui eos accuratè legerit, ejuſdem prorſus farinæ eſt ac prius. Hoc enim affirmat & affirmanti credendum eſt. E pluribus enim quos memorat, nec unum producit Canonem Apoſtolicum, qui tantum ad Eccleſiæ poſt Nicænum Concilium diſciplinam pertinet. Noſque contrarium proximo libro oſtenſuri ſumus. Hac itaque novi generis exceptione Anonymo ſuo autori relictâ, ad proximam tranſeamus. *Tertio*, inquit, *nulla igitur afferri poteſt idonea cauſa ob quam Codici Canonum Eccleſiæ univerſæ inſerti ſunt Canones Ancyrani & Neocæſarienſes, Apoſtolici nequaquam, præter iſtam, quod ſcilicet nondum confictí erant Canones Pſeudapoſtolici, & in unum corpus collecti:* Primo intuitu patet, hanc exceptionem nihil eſſe quam conſequentiam ſive illationem à præcedente. Ibi ſcilicet pronunciaverat falſum eſſe, quod nos aſſerimus, Canones Apoſtolicos veteris Eccleſiæ diſciplinam exhibere: & ex eo à ſe pronunciato hic concludit, nullam idoneam afferri poſſe cauſam quare Canones Apoſtolici Codici Canonum Eccleſiæ univerſæ non ſunt inſerti, niſi quod nondum confictí erant. Quænam amabo hæc eſt conſequentia? Nos aſſerimus Canones Apoſtolicos primitivæ Eccleſiæ diſciplinam ante Concilium Nicænum Obſervatam, continere, hancque idoneam eſſe cauſam quare novo Codici non ſunt inſerti. Obſervator autem illud negat, & ex nudâ ipſius negatione infert, non modo hanc non eſſe, ſed & nullam omnino eſſe nec adferri poſſe idoneam cauſam, quare hi æque ac alii Canones novo Codici non ſunt inſerti, niſi quod nondum

confiϲti eſſent. Si hoc ſane modo argumentari liceat, nullus erit diſputandi finis, neque etiam fructus. Sed videamus annon primariam exceptionem in ultimum locum reſervârit. *Denique*, inquit, *ſi collectores Canonum Eccleſiæ univerſæ collectioni ſuæ inſerere noluiſſent, hunc Canonum Eccleſiæ primitivæ Codicem, ut illum indigitat Beveregius, vel ut loquitur Albaſpinæus hoc breviarium ac Epitomen Eccleſiaſticorum ante Nicænam Synodum apud Græcos decretorum, alicubi ſaltem honorificam illius mentionem erant facturi, ne adeo venerandum antiquitatis Eccleſiaſticæ monumentum ab illis contemptum videretur. Quod cum nullibi fecerunt, certo certius eſt iis prorſus incognitam fuiſſe hanc Canonum Apoſtolicorum ſyllogen.* Pag. 40. Quid vero hic audimus? Collectores Canonum Eccleſiæ univerſæ, Apoſtolicorum etiam mentionem facturos eſſe, ſi eos cognitos habuiſſent? Ubi quæſo Patris ullius, vel Synodi vel Canonis cujuſcunque mentionem faciunt, præterquam eorum quos ipſi collegerunt? Nemo oculos in Codicem iſtum conjiciat, quin ſtatim videbit, primos illius collectores nihil ſibi conſtituiſſe niſi ut eos ſolos in unum corpus Canones compingerent, qui quarto currente ſeculo poſt diſcuſſas perſecutionum nebulas ab Orientali Eccleſiâ conſtituti ſunt. Quo factum eſt, ut primo quidem ſoli Canones Nicæni, Ancyrani, Neocæſarienſes, Gangreni, Antiocheni & Laodiceni ab illis collecti ſunt: quibus poſtea Canones Conſtantinopolitani à ſecundo ſcilicet univerſali Concilio editi, ſubjuncti ſunt, & deinceps alii ab aliis. Per totam autem collectionem Canones, ordine quiſque ſuo, nudè proponuntur, nec ulla prorſus aliorum quorumcunque Canonum facta eſt mentio, nec fieri potuit ſine manifeſtâ ac abſurdâ à propoſito digreſſione. Quâ itaque ratione, quo Codicis loco Apoſtolicorum mentio induci potuit? Ex eo tamen quod hoc non factum eſt, quod ſine ineptâ excurſione nequaquam fieri potuit, rotundè pronunciat Obſervator, certo certius eſſe primis Codicis collectoribus prorſus incognitam fuiſſe Canonum Apoſtolicorum ſyllogen. Quod ſi hæc ſit certâ certior ex iſtis præmiſſis conſequentia, non opus eſt in poſterum de argumentis laboremus, modo concluſionem, qualiſcunque fuerit, confidenter ſatis inferamus.

VI. Denique hanc noſtram Canonum Apoſtolicorum, à Dallæanâ iſtâ objectione, defenſionem illuſtravimus exemplo Codicis Canonum Eccleſiæ Africanæ, utpote cui nullum è decretis quæ ſub Cypriano, & ab antiquioribus Africæ Conciliis edita fuerant, inſertum eſt, ſed ea ſolâ quibus Eccleſiaſtica diſciplina, eo quo collectus eſt iſte Codex tempore adminiſtrabatur; etiamſi juxta hoc Dallæi argumentum, ea omnia & quidem primo in loco ob venerabilem eorum antiquitatem poni debuiſſent. Ad hæc Obſervator, *Forte*, inquit, *imo contrarium plane liquet ex Epiſtolis Cypriani, in quibus cernere eſt eadem adverſus tranſmarinas appellationes decreta, quæ in Codice leguntur Africano.* Obſervat.

pag.

pag.40. Reſpondeo primo nihil prorſus in D.Cypriani Epiſtolis de tranſmarinis appellationibus haberi. Dicit tantum in Epiſtola LV. quæ eſt ad Cornelium de Fortunato & Feliciſſimo, *Nam cum ſtatutum ſit omnibus nobis & æquum ſit pariter ac juſtum, ut uniuſcujuſque cauſa illic audiatur ubi eſt crimen admiſſum, & ſingulis paſtoribus portio gregis ſit adſcripta quam regat unuſquiſque & gubernet, rationem ſui actus Domino redditurus. Oportet utique eos quibus præſumus, non circumcurſare, nec Epiſcoporum concordiam cohærentem ſuâ ſubdolâ & fallaci temeritate collidere, ſed agere illic cauſam ſuam, ubi & accuſatores habere & teſtes ſui criminis poſſint.* Nihil hic,ut videre eſt, de tranſmarinis appellationibus,de quibus agitur in Codice Africano Can.XXXI. al. XXVIII. neque omnino de appellationibus loquitur ſanctus Pater,quemadmodum & ipſe D. Chamierus obſervat, probatque de œcumenico Pontifice lib. 13.cap.9. Ubi itaque nihil de appellationibus, nedum de tranſmarinis, dicitur, quomodo eadem adverſus tranſmarinas appellationes decreta inveniantur, quæ in Codice leguntur Africano? Quinetiam ſi hoc, quod falſum eſt, Obſervatori demus, nihil ex eo proficiet. Etenim ſi ex eo quod in Codice Canonum Eccleſiæ Africanæ nonnulla iſtiuſmodi decreta inveniantur, quæ D.Cypriani temporibus ſtatuta fuerant, antiqua iſta decreta dicto Codici inſerta dicantur; eodem jure nos maximam Canonum Apoſtolicorum partem Codici Canonum Eccleſiæ univerſæ inſertam fuiſſe dicamus. Eadem enim quæ in pleriſque Canonibus Apoſtolorum decernuntur, in iſtius etiam Codicis Canonibus decreta habemus. Quod ſi ex hoc non ſequatur Canones Apoſtolicos dicto Codici inſertos eſſe, neque etiam antiqua Eccleſiæ Africanæ decreta Codici Africano inſerta eſſe ex eo ſequatur, quod ſimilia ibi decreta extent. *Sed præterea*, inquit, *veriſimile eſt*, *plura iſtiuſmodi decreta ſuo Codici inſerturos eſſe Patres Africanos*, *ſi in prædeceſſorum ſcriptis frequentiora occurriſſent*, *vel ſi extitiſſet in Eccleſiis Africanis Codex alius vetuſtior*, *eum commemorare dubio procul illos non piguiſſet.* Nimirum ac ſi Patres Africani, qui Codicem Canonum Eccleſiæ ſuæ condiderunt, nulla habuiſſent majorum ſuorum ſcripta aut Commentaria, è quibus veterem Eccleſiæ ſuæ diſciplinam elicere potuerunt. Ipſe tamen Obſervator diffiteri nequit D. Cypriani opera iis cognita fuiſſe: Ibi autem plura commemorantur concilia ejus temporibus & ante celebrata, quæ Eccleſiaſtica decreta ediderunt: E quibus tamen omnibus Obſervator nec unum nominàre potuit quod Codici Africano inſertum eſt. Unde etiam habuit Obſervator, nullum extitiſſe in Eccleſiis Africanis Codicem Canonum illo vetuſtiorem, quem hodie habemus? An veriſimile ei viſum eſt, iſtas Eccleſias quatuor fere ſeculorum ſpatio ſine Canonibus ſive decretis Eccleſiaſticis adminiſtratas fuiſſe? vel Canones illos in corpus unum ſive Codicem nunquam collectos eſſe? Ita quidem ei viſum eſt, idque hâc

hâc ratione, quod ſi talis antiquior extitiſſet Codex, Patres qui poſteriorem compoſuerunt Codicem, iſtum commemorare proculdubio non piguiſſet. Ut nihil autem fidei magis abſonum & incredibile eſſe poteſt, quam tantam tamque celebrem Eccleſiam, quanta qualiſque fuit Africana, nullam habuiſſe Canonum collectionem juxta quam adminiſtrabatur, ante quintum inceptum ſeculum quo Codex vulgaris conditus fuit: Ita nulla etiam cauſa fuit, quare poſterioris hujus Codicis conditores, prioris iſtius uſpiam mentionem facerent. Utpote quibus iſtos ſolos Canones qui ſub Aurelio Carthaginienſi Epiſcopo ſanciti ſunt, memorare ac colligere ſtatutum fuit: ut ex ipſâ collectione patet, cui nulli prorſus Canones inſeruntur præter eos qui ſub iſto Epiſcopo conſtituti ſunt.Quod quidem noſtræ de Canonibus Apoſtolicis ſententiæ multum lucis affert, Dallæanam vero contra eam objectionem penitus refellit. Enimvero Codex Canonum Eccleſiæ univerſæ iiſdem fere diebus compoſitus fuit, ac Codex Canonum Eccleſiæ Africanæ, qui à Concilio Carthaginienſi An. Dom. CCCCXIX. habito, probatus primo & confirmatus fuit. Cùm ergo Codici Canonum Eccleſiæ Africanæ, antiquiores iſtius Eccleſiæ Canones ſecundo, tertioque ſeculo editi, non inſerti ſunt; mirum nemini videatur, quod Canones Apoſtolici à primitivis Synodis ſanciti, in Codicem Canonum Eccleſiæ univerſæ non collecti fuerunt. Eadem enim ratio utrobique valet, nimirum quod primi utriuſque Codicis conditores, eos ſolos qui paucis ante annis conditi fuerant, Canones colligere apud ſe conſtituebant, non item eos qui primis Chriſtianiſmi ſeculis, cùm diræ adhuc perſecutiones graſſabantur, editi fuerunt.

VII. Porro Dallæus Canonum Apoſtolicorum antiquitatem oppugnans ait, *Tum ſi quis extitiſſet hujuſmodi Codex, cur nunquam eum diſerte ac nominatim memorant Ancyrani, Nicæni, Neocæſarienſes, Antiocheni aliique Patres?* Ad hæc in Annotationibus reſpondi, primò Codicem Canonum Eccleſiæ univerſæ collectum fuiſſe ante Concilium Epheſinum, ſive tertium Oecumenicum, à quo tamen nuſquam memoratur: ut autem dictum Codicem tunc temporis non extitiſſe ex eo non ſequatur quod ab iſto Concilio non laudetur: Sic etiam Codicem Canonum Eccleſiæ primitivæ ante Nicænam, Ancyranam, & reliquas iſtis diebus celebratas Synodos non extitiſſe, nequaquam ex eo ſequitur,quod ab iſtis nominatim non citetur. Et ipſe quidem Obſervator fatetur minime exinde ſequi Codicem Canonum Eccleſiæ univerſæ ante Concilium Epheſinum non extitiſſe quod ab eo non memoratur, *ſed ſequetur ſaltem*, inquit, *vel adhuc incognitum eſſe, vel nullam illius memorandi ſe obtuliſſe occaſionem.* Pag. 41. Codicem vero iſtum adhuc incognitum fuiſſe neutiquam exinde ſequitur: Nam multi proculdubio Codices Synodi Epheſinæ tempore cogniti fuerunt, qui nullibi ab eâ memorantur. Reſtat itaque ut nulla iſtius memorandi Codicis occaſio ſe obtulerit.Quod

quidem

quidem & de Codice Canonum Eccleſiæ primitivæ aliarum reſpectu Synodorum dici poteſt: quod propterea ſcilicet diſerte ac nominatim ab iis non memoratus fuit, quoniam nulla eum ita memorandi occaſio ſe obtulerit. Nos alia ſatis multa eodem in loco, vid. Annotat. pag. 6. num. 20. contra iſtam Dallæi objectionem excepimus, quibus cum Obſervator nullum reſponſum dederit, nihil eſt quod nos in iis vindicandis aut confirmandis immoremur. Præſertim cum idem Dallæi vel ejuſmodi ſaltem argumentum antè à nobis diſcuſſum ſit.

VIII. Dallæus autem idem argumentum proſecutus eſt, interrogando, *Cur non interdum aliquem ex iſtius Codicis Canonibus indicato ac nominato numero ſub quo in eo poſitus erat, citarunt, ac laudarunt? verbi gratiâ, hoc modo decernit Canon Apoſtolorum primus, vel triceſimus, vel quinquageſimus, &c. Sicuti à Patribus Chalcedonenſibus in Codice Eccleſiæ univerſalis uſurpatum eſt?* Interrogativo huic argumento nos in Annotationibus id genus reſponſum dedimus, interrogantes itidem primo. Si Codex Canonum Eccleſiæ univerſæ ante Concilium Epheſinum collectus fuit (quod omnes fatentur) cur nec ab iſto Concilio nec ab alio quovis ante Chalcedonenſe aliqui ex eo Canones indicato ac nominato numero citantur? Huic primo reſponſo Obſervator nihil repoſuit, niſi ſe diluiſſe quæ de Concilio Epheſino diximus, pag. 42. ubi autem eà diluit? ubi ſcilicet verbis paulo ante citatis dixerat, ex eo quod Codex Eccleſiæ univerſæ à Concilio Nicæno non citatur, *ſequi ſaltem eum adhuc incognitum fuiſſe, vel nullam illius memorandi occaſionem ſe obtuliſſe.* Hæccine autem reſponſio eſt ad præſentem quæſtionem? Nos Dallæanâ argumentandi formulâ utentes, interrogavimus, cur Codex Canonum Eccleſiæ univerſalis à nullo ante Concilium Chalcedonenſe ſub indicatis Canonum numeris citatus fuit? Huic queſtioni directè reſpondeat Obſervator, & Dallæanæ ſimul reſpondebit. Quæcunque enim aſſignari poteſt cauſa, quare nullum ante Chalcedonenſe Concilium Codicem Canonum Eccleſiæ univerſæ ita citavit, eadem & hic valebit, atque in Dallæum retorqueri poterit, interrogantem cur nullus ex Apoſtolicis Canonibus ab antiquis Synodis ſub indicato ac nominato numero laudatus fuit? Præterea interrogavimus. Quid ſi Patres Chalcedonenſes dictum Codicem nuſquam ita laudâſſent? Hocce argumento eſſet, eum tunc temporis non extitiſſe? Quid etiam ſi Acta Concilii Chalcedonenſis periiſſent? Iſtum quoque Codicem unà periiſſe neceſſe eſt? Sane nec Concilium Chalcedonenſe ſupradictum Codicem Canonum Eccleſiæ univerſæ in Canonibus ſed tantum in Actis ita laudavit. Nihil autem è Conciliis Ancyrano, Neocæſarienſi, Antiocheno, &c. hodie fere extat præter Canones, in quibus Canones Eccleſiæ primitivæ ſub indicato cujuſque numero æquè citantur, ac Eccleſiæ univerſæ in Chalcedonenſibus. Ad hæc reſpondet Obſervator dicens, *Hæc ambiguè dicuntur, quando-*

quidem

quidem ex conceſſione Codex Canonum Eccleſiæ univerſæ ante Concilium Chalcedonenſe compoſitus eſt, ex Concilii ſilentio non ſequeretur quidem tunc temporis non extitiſſe Codicem illum, at ſaltem ſequeretur vel patribus incognitum fuiſſe, vel nullam illis datam fuiſſe eum memorandi occaſionem. *Canonum autem Apoſtolicorum ſyllogen quod ſpectat, à Nicænis, Ancyranis, Neocæſarienſibus Gangrenſibus, Antiochenis Laodicenis, Conſtantinopolitanis, Epheſinis Chalcedonenſibus nunquam diſerte ac nominatim memorantur, etiamſi pluries eam memorandi occurrerit occaſio. Unde ſequitur neceſſario vel non conflatam eſſe, vel ſaltem in latebris delituiſſe, adeo ut penitus incognita fuerit.* Obſerv. pag.42,43. Hic ſibi ipſe reſpondet Obſervator, Fatetur enim ex Concilii Chalcedonenſis de Codice Canonum Eccleſiæ univerſæ ſilentio, non ſequi iſtum Codicem tunc temporis non extitiſſe. Eâdem itaque ratione Codicem Canonum Eccleſiæ primitivæ antea non extitiſſe ex eo nequaquam ſequitur, quod in antiquioribus Conciliis altum ſit de eo ſilentium. Quod autem ait Codicem Eccleſiæ univerſæ ex conceſſione ante Concilium Chalcedonenſe compoſitum eſſe, id quidem verum eſt, & utrinque conceditur. Sed quare utrinque conceditur? Annon ex eo quod Codex iſte à dicto Concilio memoratur? Si itaque Concilium Chalcedonenſe Codicem illum ita nominatim non memorâſſet, Dallæus idem prorſus argumentum contra iſtum habuiſſet, quod nunc contra Canonum Apoſtolicorum Codicem profert. Eadem enim ratio utrobique valeret. Sed addit Obſervator, quod ex Concilii Chalcedonenſis ſilentio *ſequeretur ſaltem iſtum Codicem Patribus incognitum eſſe, vel nullam iis datam fuiſſe eum memorandi occaſionem.* Prius nequaquam exinde ſequitur, plures enim iis cogniti fuerunt libri, qui nuſquam à Patribus iſtis memorantur. Nec poſterius, ſi omnes enim quorum memorandi ulla illis data eſt occaſio, ab iis memorati fuiſſent libri, multo plures haud dubie citâſſent, quam ab illis citatos fuiſſe conſtat. Et præterea ſi ex iſto Concilii ſilentio ſequeretur nullam Codicem iſtum memorandi occaſionem oblatam eſſe, idem etiam ex aliorum Conciliorum de Canonibus Apoſtolicis ſilentio ſequetur. Adeo ut neceſſario confiteri debeat hoc Dallæi argumentum contra Canonum Eccleſiæ univerſæ æque ac primitivæ Codicem valuiſſe, ſi vel Concilium Chalcedonenſe eum non memoraſſet, vel Acta quibus memoratur periiſſent. Sed *Canones*, inquit, *Apoſtolici à Nicænis, Ancyranis, Neocæſarienſibus, Gangrenſibus, Antiochenis, Laodicenis, Conſtantinopolitanis, Epheſinis, & Chalcedonenſibus nuſquam diſerte ac nominatim memorantur, etiamſi pluries eos memorandi occurrerit occaſio.* Hoc autem affirmanti nulla debetur fides, priuſquam oſtendit, ubi hiſce Conciliis Canones Apoſtolicos iſthoc quem requirit Dallæus modo memorandi oblata eſt occaſio, in Actis an in Canonibus quos ediderunt? Si de Actis loquatur, ubi ſunt? Nemo neſcit omnium horum Conciliorum

quæ enumerat, uſque ad Epheſinum, Acta jamdudum periiſſe. Et in Actis quidem Concilii Epheſini nulla Canonum Eccleſiæ univerſæ nedum primitivæ iſthoc modo memorandi oblata eſt occaſio. In Canonibus autem non inſolens modo & inſuetum ſed & abſurdum & perridiculum eſſet, ſi antiquiores Canones ſub indicato & nominato, quem in antiquo Codice obtinebant, numero recitarentur. Quod ſi de nudâ eorum citatione intelligi voluit, ſcrupuloſo Dallæi argumento non adhæret, quippe quo exigitur ut ipſe etiam locus quo Canon quiſque citatus ponitur, nominatim indicaretur, hoc eſt, ut hi Canones aliter atque omnes omnino alii ante Concilium Chalcedonenſe citarentur, ut fuſius ante oſtendimus. Et præterea ſi de nudâ loquatur citatione, iſthoc modo Codex Canonum Eccleſiæ primitivæ, in Nicænis Antiochenis aliiſque Canonibus æque diſertè citantur, atque Eccleſiæ univerſæ in Chalcedonenſibus, ut è teſtimoniis illis quæ ante adduximus, & ab Obſervatoris pariter atque Dallæi objectionibus vindicavimus, omnibus apertum eſt. Adhæc in Annotationibus diximus, Quod ſi Acta dictorum Conciliorum non minus quam Chalcedonenſis etiamnum extarent, in iis forſitan antiquiſſimum hunc Codicem indicato ac nominato Canonum numero laudatum inveniremus, non ſecus ac Canones Eccleſiæ univerſæ in Actis Chalcedonenſibus. Contra hæc Obſervator ſic diſputat, *Profectò ſi ſic argumentari liceat, nihil certi remanebit in antiquitatis Eccleſiaſticæ monumentis. Omnia ſiquidem voce forſitan incerta reddes, nec ubi conſiſtas habebis. Scilicet diſertius ſe victum fateri non poterat Beveregius, quam ita argumentando*, p. 44. Nihil fateor certi ex hujuſmodi argumento elici poteſt, cujus etiam fundamentum eſt incertum, ut quod ſupponitur tantum, non datur. Neque ipſe tanquam argumento uſus ſum. Dallæi enim objectioni ſatis ſuperque ante reſponderam. Hæc autem eo tantum nomine adjeci, ut aliis hujuſmodi incertis adverſariorum exceptionibus occurrerem. Cum nihil enim apertius eſſe poſſit, quam Canones Eccleſiæ univerſæ non in Canonibus ſed tantum in Actis Concilii Chalcedonenſis eo quem requirit, Dallæus modo, indicato ſcilicet ac nominato eorum numero, laudari, nihil valeat Dallæi contra Canones Apoſtolicos argumentum ex eo petitum, niſi eos nec in ſuperiorum Conciliorum Actis iſthoc modo memoratos eſſe oſtendat. Quod ſi iſta, ut dixi, extarent Acta, incertum eſt annon noſtræ potius quam ejus opinioni faverent. In iis enim antiquos hoſce Canones iſthoc etiam modo laudatos, non ſecus ac Canones Eccleſiæ univerſæ in Actis Chalcedonenſibus, forſitan inveniremus. Et merito quidem dubitandi particulam *forſitan* hic inſeruimus ut incerti pendentes, utrum hi Canones eo uſpiam modo ab antiquis Patribus citati fuerint: quandoquidem nullos omnino Canones ita ab iis citatos ante Concilium Chalcedonenſe invenimus. Adeo ut iniquiſſime cum Canonibus Apoſtolicis agant iſti qui veram iis antiquitatem eo denegant, quod illos nullibi antiquitus indicato ac nominato

nominato eorum numero, adeoque ſecus atque omnes alios Canones libroſque laudatos legimus. Quâ autem ratione triumphum hic ageret Obſervator, meque meo ipſius ore victum affirmaret, non video: licet enim tota hæc pericope omiſſa fuiſſet, firma nihilominus ſtabiliſque maneret noſtra ad Dallæanam objectionem reſponſio. Et quidem ſi qui conjecturis & incertis ſubinde hypotheſibus utuntur, victi propterea dicantur, Dallæus & Obſervator, velint, nolint, ſe victos fateri neceſſe habent: quippe quorum omnia hujuſmodi ſunt argumenta, quæ nihil certi probant ſed innuunt tantummodo rem ita forſitan ſe habere poſſe, ut ipſi opinantur. Omnium enim quibus contra Canonum Apoſtolicorum antiquitatem pugnant argumentorum ſumma huc fere redit, quod hi Canones in nullis quæ extant veterum monumentis ante quintum adultum ſeculum eo quo Canones Eccleſiæ univerſæ in Actis Concilii Chalcedonenſis modo citantur. Quid autem certi exinde concludi poteſt? Quid magis quam ergo forſitan nec in iis quæ interciderunt, ita citati ſunt? vel ergo forſitan Patribus incogniti fuerunt, ut qui eos ita forſitan citare voluerant, ſi eos cognoviſſent? Adeo ut tota eorum diſputatio negativis ſolis fundata argumentis, nihil aliud ſit, quam incertitudinum quarundam & dubiarum hypotheſium congeries. At nos è contra probavimus nequaquam neceſſarium eſſe, ut hi Canones iſthoc modo citarentur, eoſque longe ante quintum adultum ſeculum extitiſſe, ex affirmativis, quorum unum omnibus negativis præponderat argumentis, certiſſime, nec ſemel Obſervatoris occurrendo exceptionibus, evicimus.

CAPUT XVII.

Synopſis.

I. *Ex eo quod* Euſebius & Hieronymus *horum Canonum non meminerunt, nihil contra eorum antiquitatem concludi poſſe exinde evincitur, quod nec alios antiquos Canones memorarunt.*

II. *Canones Apoſtolici poſt* Synodum Nic. *in deſuetudinem abire cœperunt, aliis eorum loco ſubſtitutis. Ita tamen ut illorum memoria non penitus interciderit.*

III. *Hi Canones antiquitus* Eccleſiaſtici *ſæpius vocati ſunt.*

IV. *Primi eorum conditores in animo non habuerunt, ut hi Canones ab ipſis Apoſtolis ſanciti crederentur. Canones XXIX. L. LXXXII. & LXXXV. quibus Apoſtolorum nomen ſubindicatur, corruptos ac interpolatos eſſe oſtenditur.*

V. *Quatuor illegitimis quas Obſervator è præmiſſis ſuis infert, conſequentiis, breviter reſpondetur.*

VI. *Libri primi epilogus.*

I. POSTHÆC Obſervator noſtras contra Gelaſii decretum à Dallæo adductum exceptiones, à ſe adverſus doctiſſimum Pearſonium diſputante everſas eſſe aſſeverat. Quæ vero contra eas ibi protulit, nos etiam quantum ad rem noſtram ſpectat, ante excuſſimus. Quibus propterea hic prætermiſſis, videamus quibus rationibus Obſervator Dallæanam contra noſtras exceptiones opinionem tuetur. Dallæus nimirum Canonum Apoſtolicorum collectionem neque ante quintum adultum ſeculum innotuiſſe, & quinto exeunte jam extitiſſe, publicarique cœptam eſſe affirmat. Prius, ut dicit, demonſtratur ex univerſali omnium qui ante A. D. CCCCLI. vixerunt de eâ ſilentio. *Neque enim credibile eſt, inquit, nullam ejus mentionem ſi extitiſſet, facturos fuiſſe Euſebium, Hieronymum, & alios illorum temporum eruditiſſimos ſcriptores, qui etiam ea quæ Apocrypha judicabant, præcipuè quæ Apoſtolis afficta erant, diligenter perſequi & refellere ſolent.* De Pſeudepigr. lib. 3. cap. 21. pag. 686. Ad hæc reſpondi primò, falſum eſſe quod hic pro conceſſo ſibi aſſumit Dallæus, omnes nimirum qui ante An. Dom. CCCCLI. vixerunt, de hâc collectione ſiluiſſe, multo magis eum hoc abunde demonſtrâſſe, ut ex iis apparet quæ ſuperius diſputavimus. Obſervator è contra nihil aliud reponit, quam ſe argumenta noſtra

ſtra excuſſiſſe & refelliſſe. Cùm omnes autem ejus excuſſiones à nobis antea excuſſæ ſint, non opus eſt hic denuo diſcutiantur. Nos porro iſti noſtræ reſponſioni addidimus, quod ſi illud verum eſſet, minime probaret, nedum demonſtraret, hos Canones ante An. Dom. CCCCLI. non extitiſſe: neque enim Euſebius, nec Hieronymus nec alii quos ſcimus ejuſdem cum utrovis ætatis ſcriptores Canones Ancyranos aut Neocæſarienſes commemorarunt, quos tamen ante dictum annum conſtitutos eſſe ac divulgatos inter omnes convenit. Ad hæc Obſervator, *Si res*, inquit, *ut par eſt perpendiſſet Beveregius, non ita argumentatus eſſet. Ingens ſiquidem eſt diſcrimen. Non enim paria ſunt quæ de Canonibus Ancyranis & Neocæſarienſibus obſervat, cum iis quæ obſervat Dallæus de Apoſtolicis. Si Ancyrani & Neocæſarienſes Canones, Euſebii; vel Hieronymi, aliorumque illorum temporum ſcriptorum ætate, publico cuidam Canonum Eccleſiæ Codici inſerti fuiſſent, non dubitandum quin ab illis eſſent commemorandi; Saltem Codicis cui inſerti ſunt, aliquam feciſſent mentionem. At nondum in Codicem Canonum Eccleſiæ univerſæ relati erant. Non mirum igitur ſi Canonum iſtorum, qui in localibus & particularibus Synodis ſanciti erant, & qui ad paucorum adhuc notitiam pervenerunt, non meminerunt. Verum alia fuit Canonum Apoſtolicorum ſors atque fortuna.* Obſerv. pag. 46, 47. Tota hæc diſputatio eo nititur, quod Canones Ancyrani & Neocæſarienſes nulli publico Codici inſerti fuerunt, Euſebii & Hieronymi diebus. Quod quidem de Euſebii ætate conceditur. Incertum autem eſt, annon Hieronymi, qui non multis ante Concilium Epheſinum annis obiit, diebus Codici Eccleſiæ univerſæ inſerti fuerint. Verum haud multum refert, quo anno in publicum iſtum Eccleſiæ Codicem collecti ſunt; cùm eos utriuſque & Euſebij ſcilicet & Hieronymi ætate ſancitos fuiſſe ac divulgatos extra dubium ſit, ac propterea cauſa dici non poteſt, quare illi æque ac Apoſtolici Canones ab iis non laudarentur. Cùm autem & illos non memorarint, nullum contra Canones Apoſtolicos ex eo formari poteſt argumentum, quòd ab iis non memorati fuerunt. Enimvero & illi, & alii quicunque iſto claruerunt ſeculo ſcriptores, Eccleſiaſticos quoſvis Canones perraro commemorarunt, Codicem Canonum Eccleſiæ univerſæ nunquam, neque ullos cujuſvis Concilii Canones, niſi forſitan Nicænos ſubinde, ob ſummam iſtius Concilii in Eccleſiâ autoritatem. Si quos autem Eccleſiaſticos uſpiam Canones citarunt, ad nullum quem ſcimus alium niſi ad Apoſtolicum Codicem referri poſſunt, ut ante demonſtravimus. Quamvis igitur Euſebius, Hieronymus, aliique fortaſſe nonnulli iſtorum temporum ſcriptores nullam Canonum Apoſtolicorum mentionem feciſſent, hoc non magis probat eos tunc temporis non extitiſſe, quàm nullos omnino extitiſſe quos illi non memorarunt. Ex eo autem quod nos aſſeruimus, Canones Apoſtolicos ante Synodum Nicænam in unum corpus collectos fuiſſe, &

Co-

Codicem Canonum Eccleſiæ primitivæ conſtituiſſe, Obſervator ſic infert, *Quomodo ergo fieri potuit, ut Euſebium, Hieronymum, alioſque ejuſdem ætatus eruditiſſimos ſcriptores latuerit adeo venerandum ſuâ vetuſtate monumentum.* Quomodo? facillimè. Quid enim facilius etiam eruditiſſimis viris quam aliquid ignorare? Quis ante Obſervatorem unquam aſſeruit? quis poſt eum unquam aſſerturus eſt, nullum Eccleſiæ primitivæ monumentum Euſebium & Hieronymum latere potuiſſe? Quâ vero ratione probat ille antiquum hunc Canonum Apoſtolicorum Codicem iis incognitum fuiſſe? En. *Nam,* inquit, *ſi cognitus illis fuiſſet iſtiuſmodi Codex, illos alicubi eum memoraturos eſſe, eſt pluſquam veriſimile. Ex eo autem quod nullibi id præſtiterint, legitime colliges nullum tunc dierum extitiſſe talem Codicem.* Obſerv. pag. 47, 48. Itane vero? An veriſimile, an pluſquam veriſimile eſt, eos omnes memoraſſe vel memoraturos eſſe libros, Canoneſque quos ſibi cognitos habebant? Annon Euſebius Canones à Concilio Nicæno, cui interfuit, ſancitos probe novit? Dic autem, ſodes, quo loco eos memoravit? Quod ſi nec ipſos Nicænos, omnium celeberrimos, & ſuâ ipſius ætate conditos memoravit, quare aliorum obſecro mentionem faceret? Quin imo Canones Apoſtolicos Euſebio non incognitos fuiſſe è Conſtantini M. literis ad eum miſſis abunde conſtat, ubi ſcilicet unus ex iis diſerte laudatur, ut in teſtimoniis ferundis oſtenſum eſt.

II. Poſt verba ante citata, Obſervator hæc habet, *In deſuetudinem abiiſſe iſtos Canones & alios eorum loco generalium Synodorum autoritate ſubſtitutos hariolatur Beveregius, At unde hæc habet? Edat autorem a quo accepit, & quando nullum profert, neque proferre poteſt, adeo temerariæ aſſertionis idoneum teſtem, exſufflandæ ſunt vaniſſimæ viri docti conjecturæ, quæ à præconceptâ opinione & immoderato cauſæ ſtudio proficiſcuntur.* Obſerv. p. 48. Nimirum ac ſi ſolem meridianum lucere affirmanti, fides non habeatur, niſi teſtes etiam ac autores adeo temerariæ aſſertionis producat. Annon omnibus clariſſime patet, poſt primam generalem Synodum Nicææ habitam, primas ei partes è veſtigio conceſſas eſſe, & ſanctiones ab eâ editas aliis quibuſcunque antepoſitas? Annon ab eo uſque tempore facies Eccleſiæ mutata eſt, & novi propterea Canones ubique conſtituti & fœlicioribus iſtis temporibus accommodati? Annon etiam ſanctiones Eccleſiaſticæ æque ac civiles in deſuetudinem ſponte abeunt, cum novæ earum loco ſubſtituuntur? Quid igitur opus eſt teſtibus in re adeo perſpicuâ, ut etiam oculis judicare poſſimus? Primo enim intuitu Eccleſiaſticam hiſtoriam legenti patet, poſt Concilium Nicææ habitum, imo quidem poſt Conſtantinum M. Imperatorem renunciatum, omnia in externâ Eccleſiæ politiâ protinus mutata eſſe, concilia in ſingulis Provinciis libere celebrata, & Eccleſiaſticos ab iis Canones de novo ſancitos, & ubique receptos.

receptos. Quo factnm eſt ut veteres Canones antiquati propemodum & Obſoleti eſſent, vel novâ ſaltem formâ induti & ita retractati, ut alii quam ante eſſent: Uſque adeo ut ſi Apoſtolicos excipiamus ex plurimis illis qui tribus primis à Chriſti nativitate ſeculis ſanciti fuerunt Canones, nullos hodie extantes habeamus, nullos etiam præter Eliberitanos qui prius conſtituti ſunt, quam Conſtantinus M. Imperium adeptus eſt. Unde clariſſime elucеſcit, antiquos Eccleſiæ Canones in deſuetudinem abire cœpiſſe, ſimul ac publica Eccleſiæ tranquillitas, ſummâ Dei miſericordiâ, conceſſa eſt. *Sed ſiccine*, inquit Obſervator, *in deſuetudinem abierunt hi Canones Euſebii ætate ut eorum memoria penitus interciderit? Euſebij inquam qui Synodo interfuit Nicænæ, cujus tempore obtinebat adhuc juxta Beveregij ſupputationem Codex iſte Canonum Eccleſiæ primitivæ? Profecto hæc ſunt ſuavia vigilantium ſomnia*, pag. 48. Quid vero? Nihil in deſuetudinem abire poteſt, quin ſtatim memoria ejus penitus intercidat neceſſe eſt? Quis unquam hoc aſſeruit? Quocum hic pugnat Obſervator, præterquam ſuo ipſius figmento? Nos veteres hoſce Eccleſiæ primitivæ Canones Euſebii ac Hieronymi ætate, hoc eſt, quarto currente ſeculo in deſuetudinem multis ſaltem in locis abiiſſe, alioſque eorum loco ſubſtitutos fuiſſe affirmavimus, & adhuc affirmamus: Nuſquam autem diximus, nec dicere potuimus, eos ita in deſuetudinem abiiſſe ut etiam memoria eorum penitus interciderit. Ipſe enim Euſebius, totaque Nicæna, cui ille interfuit, Synodus antiquos hoſce Canones memoriâ adhuc retinebant, ſuoſque ex iis partim conflabant: Frequentem ſaltem ad eos reſpectum habuerunt, ut ante demonſtratum eſt. Quid itaque ſi Euſebius, Hieronymus, aliique iſtorum temporum Scriptores, antiquos hoſce & ad veterem Eccleſiæ ſtatum pertinentes diſerte non memorarunt Canones? Hinccine ſequetur, eos tunc temporis non extitiſſe? vel Patribus illis penitus incognitos fuiſſe? Iſtis, inquam, Patribus qui modo novis in Eccleſiaſticâ adminiſtratione Canonibus utebantur? Profecto, ſi dulciſſima Obſervatoris verba in ipſum retorqueamus, *Hæc ſunt ſuavia vigilantium ſomnia.*

III. Ad hanc Dallæi objectionem reſpondi ultimò, quod etiamſi Euſebius, Hieronymus, aliique eruditiſſimi ſcriptores ea quæ Apocrypha judicabant, præcipuè quæ Apoſtolis afficta erant, diligenter perſequi ac refellere conſueti ſint, non tamen neceſſe eſt ut horum etiam Canonum mentionem facerent. Nam nullus Turrianus, nullus Bovius adhuc exortus erat, qui eos ipſis Apoſtolis affingebat. Et quid illis opus erat opinionem oppugnare quæ nullos adhuc propugnatores habebat? vel probare hos Canones Apoſtolis falſò adſcriptos eſſe, cum nemo illud aſſerebat? Ad hæc Obſervator, *Non poſſum*, inquit, *ſatis mirari hæc tanto viro excidiſſe. Omnem enim culpam in Turrianum & Bovium rejicit, quaſi primi hoſce Canones Apoſtolis affinxiſſent*, pag. 49. Unde quæſo me

omnem

omnem culpam in Turrianum & Bovium rejeciſſe colligis? Unde illos primos hunc Canonum Eccleſiæ primitivæ Codicem Apoſtolis affinxiſſe? Ex eo quod eorum nomina uſurpavi, dixique nullos adhuc tales exortos eſſe qui Codicem iſtum ipſis Apoſtolis affingebant? Hocce idem ac dicere eos primos hoc feciſſe? vix credo. Licet enim illi, ut opinor, primi tantâ argumentorum acie illud evincere conati fuerint, plures tamen ante illos eandem atque illi de hiſce Canonibus opinionem tenuerant. Imo quidem per mille retro annos hæc conſtans fere Græcorum ſententia fuit. Eo ſcilicet fundata, quod hos Canones S. Apoſtolorum nomen præ ſe ferentes à majoribus ſuis accepiſſent. Antiquitùs autem, Euſebii ſaltem & Hieronymi ætate longè aliter ſe res habebat. Etiamſi enim nonnunquam S. *Apoſtolorum* & *Apoſtolici* Canones nuncupati eſſent, ob venerandam ſcilicet eorum antiquitatem, quodque à viris Apoſtolicis editi fuerant, Frequentius tamen ſimpliciter *Canones*, vel *Canones Eccleſiaſtici* vocati ſunt. Ut non modo ex iis patet teſtimoniis à nobis ante allatis ubi antiqui illi & Eccleſiaſtici Canones à vetuſtis Eccleſiæ Patribus Synodiſque laudati inter hos etiamnum inveniuntur, verum ex eo etiam quod in ipſâ Turrianicâ editione, nullâ S. Apoſtolorum mentione factâ κανόνες Ἐκκλησιαστικοὶ nominentur. Et hæc quidem prima videtur eorum inſcriptio; Poſtea autem S. Apoſtolurum nomen iis præfixum eſt, ob rationes ante redditas, & ut major iis autoritas conciliaretur.

IV. Sed aliter Obſervatori viſum eſt. Qui fatetur quidem graviter peccaſſe Bovium & Turrianum, dum Canones iſtos ab ipſis Apoſtolis conditos eſſe acerrime contenderunt. At in eo primos non peccaſſe, quod eorum nomine prænotatos eſſe voluerunt, ſed ab ipſis Canonum collectoribus id mutuo accepiſſe. Nam quicunque, inquit, ſunt qui hos Canones collegerunt, eorum certe mens fuit, ut vere ab Apoſtolis conditi atque editi crederentur: & hic qui eos continet, Codex ab ipſis Apoſtolis factus, digeſtus, conſcriptuſque & promulgatus cenſeretur. Et ne quis hæc ab eo gratis fingi putaret, ex ipſis Canonibus illud probare nititur, nimirum ex Canone XXIX. ubi dicitur, *Si quis Epiſcopus per pecunias, hanc ſit dignitatem aſſecutus, vel Presbyter vel Diaconus, deponatur & ipſe, & qui eum ordinavit, & à communione etiam omnino excindatur*, ὡς Σίμων ὁ Μάγος ὑπ' ἐμοῦ Πέτρου, *ut Simon Magus à me Petro.* Item ex Canone L. ubi ex Dionyſij Exigui verſione dicitur, *Non enim dixit nobis Dominus.* Item ex Canone LXXXII. ubi occurrit, οἷος καὶ ὁ ἡμέτερος Ὀνήσιμος ἐφάνη, *Qualis noſter quoque Oneſimus viſus eſt.* Et denique ex Canone ultimo, quo legitur, καὶ αἱ πράξεις ἡμῶν τῶν Ἀποστόλων, *& Actus noſtri Apoſtolorum.* Hæc autem Obſervator è Dallæo ſuo accepit, qui eadem obſervavit, de Pſeudep. lib. 3. cap. 21. pag. 681. Verum

rumenimvero hæc omnia loca interpolata eſſe, ex eo ſatis conſtat, quod nec unus eorum in omnibus Codicibus ita legatur. Quod enim ad primum ſpectat, pro ὑπ' ἐμοῦ Πέτρου, antiquitus lectum fuiſſe ὑπὸ τοῦ Πέτρου, ex Dionyſio Exiguo patet vertente *Sicut Simon Magus à Petro.* Et in Epiſt. Taraſij Patriarchæ Conſt. ad Adrianum Papam Romanum miſſâ, ubi hic Canon citatur, hoc in loco nihil aliud legitur, quam ὡς Σίμων ὁ Μάγος. Petri ſcilicet mentione penitus omiſſâ. In Canone quinquageſimo, omnes Græci Codices, quos plurimos conſuluit J. B. Cotelerius, omneſque Balſamonis & Zonaræ Codices tam MSS. quam impreſſi, conſtanter legunt, οὐ γὰρ εἶπεν ὁ κύριος. In Joh. Antiocheni collectione Canonum Tit. XXXVI. ex Juſtelli editione legitur, οὐ γὰρ εἶπεν ὁ Κύριος ἡμῶν. Quod alii æque ac Apoſtoli dicere potuerunt. Sed neſcio quo facto in MSS. Bodleiano, & Seigmerii, pro ἡμῶν ſubſtituitur ἡμῖν. modo & Dionyſius Exiguus legit, vertens, *Non enim dixit nobis Dominus.* Et ex omnibus quos ſcimus Codicibus hi tres ſoli ita legunt. Reliqui omnes, multo majoris & numeri & autoritatis aliter legunt, nempe vel οὐ γὰρ εἶπεν ὁ Κύριος, vel quod tantidem eſt, οὐ γὰρ εἶπεν ὁ Κύριος ἡμῶν. Adeo ut nihil dubij eſſe poſſit, quin alterutra harum, vera ſit ac genuina loci hujuſce lectio. Prima autem, quâ pronomen omittitur, nobis verior videtur, ut à longe pluribus Codicibus uſitata. Cum igitur in hoc & præcedente, ſive XXIX. Canone, pronomen alienâ à primi collectoris manu interſertum fuerit, idem & de duobus reliquis Canonibus, LXXXII. ſcilicet, & ultimo accidiſſe, jure merito cenſeamus. Et quidem in Codice iſto quo Joſephus Ægyptius, paraphraſtes Arabicus, uſus eſt, pro iſtis verbis in Canone LXXXII. οἷος καὶ ὁ ἡμέτερος Ὀνήσιμος, nihil aliud ſcriptum fuit, quam οἷος καὶ Ὀνήσιμος, vertit enim مثل اونيسيفوريس *Sicut Oneſiphorus* pro اونيسيمس *Oneſimus.* Qualis propriorum præſertim, nominum corruptio apud Arabes frequens occurrit. Sic etiam in ultimo Canone, pro Αἱ πράξεις ἡμῶν τῶν Ἀποστόλων, ille habet, وايضا تقلب السلكيين وهو الابركسيس *Atque Geſta Apoſtolorum, quæ ſunt* αἱ πράξεις. Legit ergo ſine pronomine, Αἱ πράξεις τῶν Ἀποστόλων. Et nemo quidem dubitare poteſt, quin hujuſmodi pronomina ab interpolatore aliquo primo interſerta fuerint, & librariorum poſtea incuriâ in nonnullos Codices tranſcripta. Alioquin enim omnes haud dubie Codices æque ac aliqui, in iiſdem lectionibus conſentirent. Omnia autem trium priorum æræ Chriſtianæ ſeculorum monumenta & commentaria, nefariis interpolatorum manibus miſera ſubjacuiſſe, nemo neſcit qui anti-

tiquitatem Eccleſiaſticam vel primis labris delibavit. Ac proinde non mirum eſt, ſi huic idem atque aliis iſtorum ſeculorum ſcriptis acciderit. Saltem cum ipſum S. Apoſtolorum nomen huic Canonum collectioni obſummam ejuſdem antiquitatem inditum fuiſſet, nemo mirari poteſt, quod incauti poſtea tranſcriptores & librarij iſtiuſmodi pronomina diverſis in locis ei interſeruerint, quibus ab ipſis Domini Apoſtolis condita crederetur.

V. Sed ut ut eſt, Eruditus Obſervator quatuor ex hâc ſuâ ipſius opinione concluſiones infert, quas paucis diſcutiamus oportet. *Primo*, inquit, *hinc conſequitur vaniſſimam eſſe Beveregij ad Dallæi argumentum reſponſionem, quando nunc conſtat, ipſos Canonum collectores eos Apoſtolis tribuiſſe*, pag. 51. Hæc vero conſequentia eâdem quâ infertur, facilitate repellatur. Nondum enim conſtat, nec conſtare unquam faciet Obſervator, primos horum Canonum collectores, eos ipſis Apoſtolis tribuiſſe, niſi demonſtraverit, hunc unum Codicem è communi omnium Eccleſiæ primitivæ monumentorum fato ereptum eſſe: quæ ſcilicet corrupta & plurimis in locis interpolata fuiſſe, inter omnes conſtat. Et præterea etiamſi demus, primos horum Canonum collectores; pro certo habentes eos multis ante annis à viris Apoſtolicis ſancitos eſſe, ipſis eos Apoſtolis tribuiſſe, ut à quibus traditi viderentur, valebit tamen noſtra contra Dallæi argumentum reſponſio. Minime enim ex eo ſequitur quod Obſervator ſecundo loco ponit, nimirum *ſeculo tertio non extitiſſe horum Canonum Codicem, alıter eum commemoraturi erant Euſebius, Hieronymus, aliique ejuſdem ætatis ſcriptores, cum illum præſertim ſanctis Domini Apoſtolis affictum viderent.* Etenim Athanaſius, Epiphanius, aliique ejuſdem ac Euſebius & Hieronymus ætatis ſcriptores plurimos commemorarunt libros ſanctis Domini Apoſtolis affictos, quorum tamen nec Euſebius, nec Hieronymus mentionem fecit. Et nihil quidem abſurdius, nihil incredibilius excogitari poteſt aut efferri, quam Euſebium & ex eo Hieronymum omnes omnino libros vidiſſe, aut ſibi cognitos habuiſſe, qui ſanctorum Apoſtolorum nomen præferebant. Quod tamen haud perinde dicimus ac ſi hos Canones Euſebio incognitos fuiſſe opinemur, utpote cui eos probe innotuiſſe ante probatum eſt. Quod ſi ſupponamus illos Euſebium latuiſſe, haudquaquam exinde concludi poteſt, eos ante non extitiſſe, quandoquidem Euſebium omnia quæ à privatis quibuſcunque Chriſtianis vel à Provincialibus Epiſcoporum Synodis ſcripta fuerant, nec adſpectu nec auditu tenuiſſe, ſaltem literis non mandâſſe pro certiſſimo habeamus. Ejuſdem prorſus eſt vanitatis tertia quoque Obſervatoris illatio, *non Eccleſiaſticos ſcilicet vocatos fuiſſe olim hos Canones, ſed Apoſtolicos, nam ab Apoſtolis conditos eſſe, omnibus perſuaſum voluerunt eorum primi collectores.* Enimvero ſi largiamur ei primos horum Canonum collectores & ſibi perſuaſiſſe & aliis perſuaſum voluiſſe, eos ab Apoſtolis conditos eſſe, eos tamen Eccleſiaſticos nunquam

vocatos

vocatos eſſe, neutiquam exinde ſequitur. Quid enim vetat, quo minus Canones qui ab ipſis Apoſtolis traditi videntur, *Eccleſiaſtici* æque ac *Apoſtolici* nominentur, cum *Eccleſiaſticam* contineant diſciplinam, & eo tantum nomine ſanciti ſint, ut *Eccleſia* juxta eos ritè adminiſtretur? Profecto illi ipſi, qui hos Canones ſanctis Apoſtolis acceptos retulerunt, Eos nihilominus *Eccleſiaſticos* vocare non dedignati ſunt, ut è variis eorundem inſcriptionibus videre eſt, quibus licet S. Apoſtolis plerunque tribuantur, *Eccleſiaſtici* tamen nuncupantur. In Cotelerij enim editione è MSS. codicibus erutâ, ſic inſcribuntur, Κανόνες Ἐκκλησιαστικοὶ τῶν αὐτῶν ἁγίων Ἀποστόλων. Et in ipſâ Dionyſij exigui verſione *Eccleſiaſticæ regulæ Sanctorum Apoſtolorum probatæ per Clementem Eccleſiæ Romanæ Pontificem.* Et, ut ante obſervatum eſt, in MS. quo uſus eſt Franciſcus Turrianus, ſimpliciter Κανόνες Ἐκκλησιαστικοὶ inſcribuntur. Et hæc quidem, ut ſimpliciſſima, prima nobis ac genuina videtur inſcriptio, cui, ob rationes ante allatas, Apoſtolorum nomen poſtea ſubjunctum eſt. Hinc ſaltem antiquos hoſce Canones *Eccleſiaſticos* olim vocatos eſſe, uſque adeo planum eſt ac indubitatum, ut ſatis mirari nequeam, quo demum fato obſervatori in mentem venerit, contrarium aſſeverare contra unanimem omnium fere Codicum fidem atque autoritatem. Denique ex hoc ſuo ipſius ſomnio, ex eo ſcilicet quod primi horum Canonum collectores eos ſanctis Apoſtolis tribuiſſe ipſi videantur, conſequi affirmat Obſervator, eos ab Apoſtolicis viris in unum corpus minime collectos fuiſſe. *Nam Apoſtolici*, inquit, *viri Apoſtolis Canones non erant adſcripturi, quos ab illis haud quaquam ſancitos probe noverunt.* Præterquam autem quod præmiſſa, è quibus hæc conſequentia infertur, falſa ſint, & talia propterea è quibus nihil legitime concludi poteſt, ipſa quoque conſequentia nos minime attingit, qui hos Canones à viris Apoſtolicis conſtitutos quidem, non item collectos fuiſſe aſſerimus. Hos enim Eccleſiæ primitivæ æque ac univerſæ Canones multis annis ante ſancitos fuiſſe opinamur, quam in unum corpus compacti ſunt. Ac propterea quodcunque iis nomen à collectoribus poſtea impoſitum fuit, eodem ab ipſis etiam conditoribus illos nuncupatos fuiſſe, nequaquam ſequitur. Proinde licet concedamus primos eorum collectores *Apoſtolicos*, & S. *Apoſtolorum* eos nominaſſe, exinde tamen non conficitur, Apoſtolicos etiam viros, à quibus conſtituti ſunt, ipſis eos Apoſtolis tribuiſſe. Quod tamen haud mirum eſt, ſi ab illis factum fuiſſet. Cùm viri enim Apoſtolici nihil in Eccleſiâ conſtituerent, niſi quod ab ipſis Apoſtolis traditum vel aliis eorum traditionibus conſonum eſſe judicarent, ut ante oſtenſum eſt, hos etiam Canones ex iſtiuſmodi traditionibus conditos ſub Apoſtolorum nomine aliis commendare facile potuerunt.

VI. Plura in illegitimas haſce eruditi viri conſequentias, necnon in ſingulas

gulas ejus obſervationes exceptioneſque contra teſtimonia pro Canonum Apoſtolicorum antiquitate allata , reponi poſſunt. Cùm autem ex iis quæ hucuſque diſſeruimus, ſatis abunde conſtet, hos Canones quarto currente, quintoque ineunte ſeculo à Patribus, Synodiſque laudatos, ac proinde longe ante tempus à Dallæo eorum editioni præfixum conditos pariter atque divulgatos fuiſſe, quicquid è contra Dallæus dixerit, vel ipſe etiam Obſervator, nihil eſt quod plura hic accumulemus. De Gelaſij enim decreto, de quo proximo ille agit, nos, quantum ad noſtram ſpectat opinionem, ſatis jam ante diximus. Nec quicquam poſtea producit reſponſione dignum, cui à nobis non clare ſatis reſponſum eſt. Adeo ut iis denuo reſpondere non poſſimus, quin Actum agamus, eademq; ad nauſeam uſque repetamus neceſſe ſit.

Finis Libri Primi.

CODICIS CANONUM ECCLESIÆ PRIMITIVÆ

Vindicati ac Illuſtrati

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

Synopſis.

I. *Diſcuſſis in priori Libro externis, interna contra Canones Apoſtolorum argumenta modo diſcutienda reſtant.*
II. *Si nihil in hoc Codice ſecundi tertiique ſeculi diſciplinæ diſſentaneum eſſe conſtiterit, controverſia de antiquitate iſtius, ut à nobis aſſertâ, dirimetur.*
III. *Hanc de rebus in hoc Codice comprehenſis, Adverſarii etiam nobis extorſerunt diſſertationem.*
IV. *Methodus ejuſdem, necnon finis fructuſque.*

I. CANONES Apoſtolicos, ſive Apoſtolorum vulgo dictos, non modo ante quintum adultum, verumetiam ante quartum inceptum æræ Chriſtianæ ſeculum ſancitos fuiſſe, collectos, ac divulgatos, ex iis quæ ſuperiori libro diſputavimus, abunde ſatis, ut

ut opinor, conſtat: Ubi ſcilicet Canones iſtos ab Imperatoribus à Patribus, necnon à Synodis, tam Oecumenicis quam provincialibus, nunc ſub Eccleſiaſticorum, nunc ſub antiquorum, nunc etiam ſub diſerto Apoſtolicorum nomine quarto quintoque ſeculo laudatos fuiſſe demonſtravimus. Et quandoquidem Johannes Dallæus, & veſtigiis ejus inſiſtens Anonymus Obſervator, quaſdam contra nonnulla è teſtimoniis, quæ adduximus, exceptiones excogitarunt, eas omnes quales quales, & quotquot fuerunt, quantâ potuimus brevitate pariter atque perſpicuitate expenſas, diſcuſſas, confutatas dedimus. Quinetiam alia omnia externa argumenta, quæcunque ab utrovis eorum vel è teſtimoniis vel è ſilentio veterum de hiſce Canonibus, ad aſtruendam ſuam, vel ad noſtram de iis opinionem evertendam adducta ſunt, profligavimus adeo & refellimus; ut nihil modo ad pleniſſimam ſententiæ noſtræ fidem faciendam ſupereſſe videatur, niſi ut oſtendamus inſuper, nihil in totâ hac Canonum Apoſtolicorum collectione occurrere, quod cum primitivæ Eccleſiæ diſciplinâ non accuratè admodum & politè convenit. Quod ſi & hoc etiam probatum dederimus, nemo ſanè, in re ſaltem adeo antiquâ, majorem requirat certitudinem, neque in poſterum dubitabit quiſpiam; quin hi Canones longe antiquiores fuerint, quam Dallæus & Obſervator opinati ſunt: & non minus antiqui, ſi non & antiquiores etiam, quam nos ſtatuimus.

II. Enimvero ſi in toto hoc Codice nihil prorſus decernatur, quod tribus prioribus Chriſtianiſmi ſeculis in Eccleſiâ non obſervatum fuit: ſi nullum uſurpetur verbum quod iſtis temporibus non uſitatum invenimus. Si nulla damnetur hæreſis, quæ non ante quartum ſeculum exorta eſt: Si nihil per totam dicatur ſyllogen ritibus ac inſtitutis Eccleſiæ primitivæ diſſentaneum: Si ſingulorum in eo Canonum, ſanctionum, phraſium, & ipſarum etiam vocularum idea purioribus iſtis religionis noſtræ ſeculis apprimè congruat, quâ quiſpiam ratione ſuſpenſus deinceps, & incertus hæreat, annon iſtis diebus conſtituti ſint hi Canones, quibus exactè adeo & ad amuſſim quadrant? Sane ſi hoc demonſtratum fuerit, tota hæc de Canonum Apoſtolicorum antiquitate controverſia finietur. Si nihil enim iis ineſſet, niſi quod omnibus placeret, antiquitas eorum in controverſiam nunquam veniſſet. Verumenimvero in illis Epiſcoporum ſupra Presbyteros eminentia ac autoritas aſſeritur; Jejunium quadrageſimale, & reliqua ab Eccleſiâ inſtituta, religioſè obſervanda eſſe præcipitur: Et alia iſtiuſmodi nonnullorum auribus ingrata occurrunt: Et hinc eſt quod tantum in eos odium concitatum fuit. Hinc eſt, quod tot eruditi viri omnia corraſerunt argumenta, quibus, ſi fieri potuit, ipſa etiam anquitas horum Canonum reſcinderetur, atque ita omnis iis in iſtiuſmodi agitandis controverſiis autoritas auferatur.

tur. Quod ſi nullum in hoc Codice decretum extare conſliterit, quod non ex aliis iſtorum ſeculorum monumentis æque ac ex eo probari poteſt, adeo ut quæcunque in eo decernuntur, ab Eccleſiâ primitivâ inſtituta eſſe ac obſervata manifeſtum fiat, etiamſi hic codex in lucem nunquam prodiiſſet, Quid opus erit de ejus antiquitate ulteriùs diſputemus? Hoc itaque eſt quod nos in præſenti demonſtratum imus, eo præſertim inducti, quod cardo, ut aiunt, controverſiæ in hoc fere vertatur. Ut ex quo neceſſario ſaltem conſequetur, omnes hoſce, quos Apoſtolicos vocamus Canones iſtis temporibus ſummè conſentaneos eſſe, quibus nos eos ſancitos editoſque fuiſſe arbitramur.

III. Adhæc, alia quoque ratio à nobis poſtulat, ut de ipſis rebus quæ in hâc antiquâ Canonum collectione conſtituuntur, paulò fuſiùs hic diſſeramus. Nimirum Dallæus Turriani, qui hos Canones ab ipſis Apoſtolis ſancitos, & à Clemente Romano editos fuiſſe contendit, opinionem impugnans, plurima ex ipſis etiam Canonibus argumenta petit, quibus eam evincat. Dum Turrianum autem internis hujuſmodi rationibus urget, nonnulla ſubinde inſerit, quibus credulo & incauto lectori perſuadere conatur, ex ipſis Canonibus manifeſtum eſſe, eos non à primitivâ Eccleſiâ, nec ante quintum adultum ſeculum conditos fuiſſe. Quapropter ne Obſervator, aliive poſthæc conquerantur, me omnibus tam internis quam externis Dallæi argumentis non reſpondiſſe, quicquid ille, vel poſt illum Obſervator, ex ipſis Canonibus ad ſuam de iis confirmandam noſtramve refellendam opinionem collegiſſe videtur, à nobis hic retundatur neceſſe eſt. Quod tamen fieri non poteſt, niſi totam percurramus ſyllogen, & ſi non ſingulos Canones, eos ſaltem omnes quos illi ad elevandam eorum autoritatem in medium portulerunt, Eccleſiæ primitivæ ritibus moribuſque conſonare oſtendamus.

IV. Quo hoc autem effectum demus, non opus eſt Dallæi procedamus methodo, qui primo contra ultimos XXXV. & ultimò contra primos L. Canones diſputat. Nos enim, ut ratio poſtulat, à primo incipientes, in ultimo ordinatim deſinemus, eoſque omnes non modo à primis Eccleſiæ Chriſtianæ ſeculis non abhorrere, ſed cum iis etiam ita conſentire demonſtrabimus, ut illis proprij ac peculiares videantur. Et ſi quid Dallæus aut Obſervator è contra objecit, illud, Deo volente, ita removebimus, ut cuivis conſtet, hos Canones primis iſtis temporibus optimè accommodatos eſſe, illorumque Eccleſiaſticam diſciplinam ita exhibere, ut ſi adverſariis demus, quod falſiſſimum eſt, eos non ante quintum vel etiam ſextum ſeculum in unum corpus collectos eſſe, longe tamen antea ſancitos fuiſſe ac conſtitutos pro certo habeamus & explorato. Unde liquidò ſimul patebit, hunc *Codicem Canonum Eccleſiæ*

cleſiæ primitivæ meritiſſimo jure nuncupari poſſe, utpote qui antiquiſſimos illos contineat Canones, quibus Eccleſia, ſi non univerſa, Orientalis ſaltem adminiſtrata fuit, priuſquam vel Nicæni, vel Ancyrani, vel alii, quos ſcimus, Canones in lucem emiſſi ſunt. E quibus hoc etiam boni commodique & nobis & aliis quibuſcunque ſe primitivorum Chriſtianorum moribus conformes gerere cupientibus emerget, quod præ oculis habeamus, qua ratione vitam noſtram ad eorum exemplar inſtituamus, quos plurimos martyrii coronâ redimitos, & ad ſummam gloriam evectos perfectâ in cœlis fælicitate ab eo uſque tempore perfructos eſſe, perfruique credimus.

CAPUT II.

Synopſis.

I. *Primus Apoſt. Canon vindicatur. Epiſcoporum ſupra Presbyteros autoritas nullo unquam Canone aut lege Eccleſiaſticâ inſtituta, fuit, & tamen ubique ſemper obtinuit. Unde eam Apoſtolicæ institutionis eſſe liquet.*

II. *Ut Epiſcopus à duobus aut tribus Epiſcopis ordinetur, Apoſtolorum doctrinæ conſonum eſt. Quid ſit* Πρεσβυτέριον *apud* D. Paulum.

III. *Secundus Canon defenditur. Epiſcopi & Presbyteri vocabula ſecundo ſaltem ſeculo diſtinctè uſitata ſunt. Proinde non mirum eſt, quod ita in hoc Codice uſurpentur.*

IV. *Secundo tertioque ſeculo præter Epiſcopos, Presbyteros & Diaconos alii in Eccleſiâ conſtituti ſunt Clerici, Hypodiaconi, Lectores, Cantores, &c.*

V. *Incenſum oblationis tempore à primitivâ Eccleſiâ uſurpari ſolitum, juxta quod tertio Apoſt. Canone præcipitur.*

VI. *Quartus Canon Apoſt. lege cæremoniali non innititur, ſed ei potius adverſatur.*

VII. *Fructuum primitias ab Eccleſiâ primitivâ offerri ſolitas, è quarti ſeculi, necnon ſecundi, tertiique monumentis probatur.*

I. PRIMO itaque antiquus hic Canonum Eccleſiaſticorum Codex ab Epiſcopi, per quem omnis Eccleſiaſtica diſciplina adminiſtratur, conſtitutione orditur, jubetque Epiſcopum à duobus tribuſve Epiſcopis Ordinari. Ἐπίσκοπος, inquit, χειροτονείσθω ὑπὸ ἐπισκόπων δύο ἢ τριῶν. Supponit igitur Epiſcopos iſtis etiam diebus ubique ordinatos, alioſque eorum denatorum loco ordinandos eſſe. Ut Epiſcopi enim à Presbyteris diſtincti iiſque ſuperiores ubique gentium ordinentur, nullus unquam Canon, nulla lex Eccleſiaſtica decrevit. Quod quidem luculento nobis eſt argumento, Epiſcopalem autoritatem, ordinem ac eminentiam non Eccleſiaſticæ, ſed Apoſtolicæ inſtitutionis eſſe: hoc eſt, Sanctos Apoſtolos à magiſtro ſuo noſtroque edoctos, talem

 in

in Eccleſiâ Paſtorum Evangelicorum ordinem inſtituiſſe, quibus incumberet Presbyterorum, aliorumque vitas inſpicere, in delinquentes animadvertere, & providere, ut fides Chriſtiana fideliter prædicetur, Chriſti præcepta & promiſſa religioſè promulgentur, & Sacramenta ab ipſo inſtituta ritè adminiſtrentur. Si tale enim officium ab ipſis Apoſtolis non inſtitutum fuiſſet, non dico incredibile, ſed & impoſſible prorſus eſſet, ut ipſis Apoſtolis adhuc ſuperſtitibus, vel proximè ſaltem poſt eorum mortem omnibus terrarum locis exerceretur, quibus religio Chriſtiana ſuſcepta eſt: idque licet nullum extaret Eccleſiaſticum decretum, quo illud introductum fuit, vel etiam introduci potuit, ſi ipſius Chriſti ac Apoſtolorum ejus inſtitutioni adverſaretur. Ipſi autem acerbiſſimi ordinis Epiſcopalis oppugnatores, nunquam diffiteri potuerunt, quin in ipſis Eccleſiæ primordiis tales ubique conſtituti ſint Epiſcopi, qui Eccleſiaſtica iſtiuſmodi munia obierunt: quales erant Clemens Romæ, Ignatius Antiochiæ, Polycarpus Smyrnæ, Annianus Alexandriæ. Hos enim ſimplices fuiſſe Presbyteros, aliosque ſibi ſubjectos non habuiſſe, non modo omni Eccleſiaſticæ antiquitati, verum ipſi etiam rationi contradicit, quæ ſcilicet nunquam permittet ut credamus, quod in tantis civitatibus, ubi tam numeroſi erant Chriſtiani, unus omnibus Eccleſiæ muneribus fungeretur. Quod ſi alii ibidem eſſent, quibus ipſi, in ſuâ quiſque Eccleſiâ, præſidebant, quo jure, quâ autoritate hanc ſibi præſidentiam arrogabant? Ab Eccleſiâ quidem eam habere non potuerunt, utpote in cujus poteſtate nunquam ſitum fuit, novum inſtituere Paſtorum ordinem, aut talem quibuſlibet autoritatem dare, quæ ipſis à Chriſto & Apoſtolis ejus negata fuit. Nemo etiam vel charitate, vel fide imbutus Chriſtianâ, credat eos qui toti erant in Deo Chriſtoque colendo, quique doctrinam & ritus à Chriſto inſtitutos ſanguine ſuo conſignare aſſiduo parati erant, ullam ſibi dignitatem uſurpare voluiſſe, quam nec à Chriſto nec ab Apoſtolis ejus traditam acceperant. Reſtat itaque ut quamcunque Epiſcopi tunc temporis autoritatem exercebant, eam totam, ſi non ipſi Chriſto, Apoſtolis ſaltem ipſius acceptam tulerint. Et hinc eſt quod in omnibus antiquis Eccleſiæ monumentis primæ Epiſcoporum ſupra Presbyteros conſtitutionis nec vola extet nec veſtigium. In hoc ſaltem vetuſto admodum Canonum Eccleſiæ primitivæ Codice, etiamſi frequentiſſima occurrat Epiſcoporum mentio, de primâ tamen eorum inſtitutione altiſſimum eſt ſilentium. Hic enim eos antea & ab origine inſtitutos fuiſſe pro confeſſo habetur, & propterea cavetur tantummodo quo ritu quiſpiam in hoc ordinum Eccleſiaſticorum faſtigium evehatur, nimirum à tribus vel duobus ſaltem ejuſdem ordinis. Quibus vero rationibus hæc cautio innitatur, in Annotationibus ad hunc Canonem explicuimus.

II. Verum Joh. Dallæus in hunc primum Apoſtolicorum Canonem graviſſime invehitur, contenditque eum, Epiſcopum à duobus aut tribus Epiſcopis ordinari præcipientem, Apoſtolicis temporibus alienum eſſe, *Ut quibus*, inquit, *ex Paulo conſtat à Presbyteris ſolitas imponi manus*. De Pſeudep. lib. 3. cap. 14. Et nos quidem non aſſerimus hunc Canonem, totidem ſaltem verbis, ab ipſis Domini Apoſtolis ſancitum eſſe. Veruntamen locus ille D. Pauli à Dallæo indicatus, minime vetat, quin ab iis ſanciri poſſet. Sic enim ait D. Paulus, μὴ ἀμέλει τοῦ ἐν σοὶ χαρίσματος, ὃ ἐδόθη σοι διὰ προφητείας μετὰ ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ πρεσβυτερίου, 1 Tim. 4. 14. Per πρεσβυτέριον hoc in loco Dallæus cœtum, vel claſſem, ut vocant, Presbyterorum intelligit, iſtiuſmodi ſcilicet qui iſthoc nomine hodie nuncupantur. Quo nihil abſurdius effingi poteſt. Dato enim vocabulum iſtud πρεσβυτέριον collective hic ſumendum eſſe, pro cœtu eorum qui iſtis diebus πρεσβύτεροι vocabantur: Nemo neſcit hanc vocem è Synagogâ Judaicâ in Eccleſiam Chriſtianam tranſlatam eſſe, eamque apud Judæos idem fere ſignificâſſe atque ἡγεμόνα ſive ἄρχοντας, ut è ſexcentis patet veteris Teſtamenti locis, quibus Præfecti, magiſtratus Eccleſiaſtici, ipſique principes זקנים Πρεσβύτεροι ſæpe appellantur. Quo factum eſt ut ipſi Apoſtoli in Eccleſiâ recens natâ hoc ſibi nomen primo vendicarent. Sanctus enim Petrus ſe πρεσβύτερον vocat, 1 Pet. 5. 1. necnon D. Johannes eodem ſe nomine appellat, initio ſecundæ, tertiæq; Epiſtolæ ab ipſo conſcriptæ. Ipſum etiam D. Paulum unum fuiſſe in hoc Presbyterio, à quo Timotheus χειροθεσίαν accepit, ipſe diſertiſſime atteſtatur, eidem Timotheo in alterâ Epiſtolâ hæc dicens, Δι᾽ ἣν αἰτίαν ἀναμιμνήσκω σε ἀναζωπυρεῖν τὸ χάρισμα τοῦ θεοῦ, ὅ ἐστιν ἐν σοὶ διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν μου. 2 Tim. 1. 6. Idem itaque χάρισμα, quod alibi per Presbyterii, hic per D. Pauli χειροθεσίαν datum fuiſſe dicitur. Quod quidem dici non potuit, niſi ille partem ſaltem iſtius Presbyterii conſtituiſſet, ſuaſque Timotheo manus impoſuiſſet. Sanctum autem Paulum purum putum hodierno ſenſu Presbyterum fuiſſe, nemo, ut opinor, affirmabit, quippe qui unus, nec minimus quidem ex ipſis Apoſtolis fuit. Quapropter πρεσβυτέριον illud à quo Timotheus ordinatus dicitur, nihil aliud eſſe potuit, quam cœtus iſtiuſmodi Apoſtolicorum Eccleſiæ paſtorum, quos Apoſtoli ſibi ſucceſſores deſignaverant, quibuſque D. Paulus tanquam Primas in hoc negotio præfuit. Alioquin enim dicere non potuit illud per ſuam manuum impoſitionem dari, quod alibi μετ᾽ ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ πρεσβυτερίου datum fuiſſe profitetur. Unde Theodoretus in locum per *Presbyterium* τοὺς τῆς Ἀποστολικῆς χάριτος ἠξιωμένους intelligendos ait: Ac

proinde, non obſtantibus iſtis D. Pauli verbis, idem quod hoc primo Canone Apoſtolico decernitur, ab ipſis Domini Apoſtolis tradi ac ſanciri potuit, nimirum ut Epiſcopus non niſi à duobus aut tribus Epiſcopis ordinetur. Imo quidem hic Canon illis ipſis Apoſtoli verbis adeo conſentaneus eſt, ut ex iis formatus videatur. Cùm ipſe enim Apoſtolus non ſolus, ſed cum aliis, πρεσβυτέριον ſive cœtum Apoſtolorum conſtituentibus, Timotheum ordinârit, ex illius exemplo legitimè hic cavetur, ne unus quiſpiam Epiſcopus Epiſcopum conſtituat, ſed & alii una cum eo manus imponant. Adeo ut nemo dubitare poſſit, quin hic Canon Apoſtolicæ inſtitutioni ſummè conſonet. Saltem ipſe Dallæus nihil in hoc Canone invenire potuit, quod eum nec cum proximo poſt Apoſtolos ſeculo convenire oſtendat. Cùm enim inter omnes conſtet, ſecundo ſaltem à Chriſti nativitate currente ſeculo Epiſcopos propriè ſic dictos ubique terrarum conſtitutos eſſe, Eccleſiaſque ſuas curà atque autoritate paſtorali adminiſtrâſſe, magnæ & neceſſariæ cauſæ poſtulabant, ut talis Canon ſive decretum Eccleſiaſticum de legitimâ eorum ordinatione ederetur, ne quis furtim & clandeſtino ad tantam in Eccleſiâ dignitatem aſcenderet. Quod facillimè fieri, vel potius vix evitari potuit, ſi uni cuivis Epiſcopo alios, quos ipſe voluit, ordinare licuiſſet. Cum hoc itaque primo Canone Apoſtolico nihil aliud definiatur, niſi quod ab ipſis Domini Apoſtolis ſanciri potuit, & à proximis eorum ſucceſſoribus determinari debuit, nemini mirum eſſe poteſt, ſi ſecundo æræ Chriſtianæ ſeculo conſtitutus editusque fuerit: cùm, ipſis etiam fatentibus ordinis Epiſcopalis adverſariis, tales, quos ipſi oppugnant, Epiſcopi paſſim & quotidie ordinati ſunt. Quod quidem noſtræ de his Canonibus opinioni confirmandæ ſatis superque eſt.

III. Ut primus Canon de Epiſcopi, ſecundus de Presbyteri, Diaconi reliquorumque Clericorum ordinatione agit, ſtatuitque eos ab uno Epiſcopo ordinandos eſſe. Ubi concedamus Dallæo hunc Canonem iſtis temporibus fuiſſe conditum ac conſcriptum, quibus *Epiſcopi & Presbyteri* vocabula inter ſe diſtinguebantur, ſuamque alterum ab altero diviſam ſignificationem in vulgari Eccleſiæ uſu habebant. Concedamus etiam hunc vocabulorum iſtorum proprium ac diviſum uſum Apoſtolicæ Eccleſiæ, quam ipſi ſcilicet Apoſtoli adhuc ſuperſtites regebant, tempori non covenire, utpote quo hæc nomina indiſtinctè & promiſcuè uſitata videantur, adeo ut primi æque ac ſecundi ordinis miniſtri πρεσβύτεροι nonnunquam dicerentur: His inquam conceſſis, negari tamen nequit, quin ſi non viventibus adhuc nonnullis Apôſtolorum, mox tamen poſtea communis, quæ hodie inter iſta nomina obſervatur, diſtinctio vulgo recepta fuerit. Hoc enim ex eo certiſſimum fit, quod proximi poſt Apoſtolos Eccleſiaſtici ſcriptores, Clemens Romanus, Ignatius, Pius I. Romanus

nus, Irenæus, Clemens Alexandrinus, Origenes, aliique, tres Sacrorum miniſtrorum ordines, Epiſcopos dico, Presbyteros, & Diaconos, diſtinctè recenſuerunt, ut in Annotationibus obſervatum eſt, & fuſius poſtea probatum erit. Secundo autem inclinato & ad finem vergente ſeculo illud obſervatum fuiſſe inter duo hæc vocabula diſcrimen, nec ipſe Dallæus negare potuit nec Obſervator, in poſteriorem vindic. partem pag. 306, 307. Atque ideo, ipſis etiam horum Canonum adverſariis judicibus, diſtinctio illa inter Epiſcopum & Presbyterum in hoc aliiſque hujus ſyllloges Canonibus caſtè adeo & religioſè Obſervata, nequicquam impedit, quo minus ſecundo ſaltem exeunte vel tertio incunte ſeculo ſanciri poterant.

IV. Præterea Dallæus Canones hoſce non Apoſtolicis temporibus conditos, nedum ab ipſis Apoſtolis editos ac promulgatos fuiſſe, ex eo etiam arguit, quod alii Clerici præter Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos hoc ſecundo Canone memorentur, *Apoſtolis enim*, inquit, *non alios legimus cognitos fuiſſe clericos quam Epiſcopos, ſive Presbyteros & Diaconos.* Eſto. Secundo tamen tertioque poſt Chriſtum incarnatum ſeculo, alios in Eccleſiâ paſſim conſtitutos fuiſſe Clericos inferiores, velut hypodiaconos, lectores, cantores, &c. ex iis qui iſtis ſcripſerunt ſeculis abunde conſtat. Tertullianus enim, *Alius*, inquit, *hodie Epiſcopus, cras alius. Hodie Diaconus, qui cras Lector: Hodie Presbyter, qui cras Laicus.* Tertull. de Præſcript. adv. hær. cap. 42. Ubi obſervare licet, non modo Epiſcopum, Presbyterum & Diaconum, diſtinctè & ſigillatim recenſitos, verumetiam Lectorem tanquam alium è Clericis una commemoratum. D. Cyprianus etiam Celerinum & Aurelium *Lectores* conſtitutos, & ita clero conjunctos aſſerit: *Lectoriſque* officium ſic deſcribit, ut *loci altioris celſitate ſubnixus, & plebi univerſæ pro honoris ſui claritate conſpicuus legat præcepta, & Evangelium Domini.* Cyprian. Epiſt. 34. ad cler. & pleb. Alibique idem hoc habet, *Feciſſe me autem ſciatis Lectorem Saturum, & Hypodiaconum Optatum confeſſorem, quos jam pridem communi conſilio clero proximos feceramus.* Id. Epiſt. 24. ad clerum. ubi, ut videre eſt, *Hypodiaconi* etiam mentio occurrit. Adhæc Cornelius Romanus D. Cypriani æqualis, in Epiſtolâ ad Fabium, præter Presbyteros, & Diaconos, etiam Subdiaconos, Acolythos, Exorciſtas, & Lectores cum Oſtiariis in Eccleſiâ ſuâ conſtitutos docet, apud Euſeb. hiſt. Eccleſ. lib. 4. cap. 43. In Canonibus quarto ſeculo nondum adulto editis hujuſmodi inferioris ordinis Clericos ſæpe memoratos eſſe, neminem latere poteſt. Patres quidem Laodiceni Canone XXIV. edicunt, quod non oportet Sacratum à Presbytero uſque ad Diaconum & deinceps quemlibet Eccleſiaſtici ordinis uſque ad *miniſtros*, vel *Lectores*, vel *Cantores*, vel *Exorciſtas*, vel *Oſtiarios*, vel *Ordinis Monachorum*, in cauponam ingredi. Et hæc ſane inferiora Eccleſiaſtica officia priſcis admodum temporibus

poribus inſtituta fuiſſe, ex eo conficitur, quod licet quarti, necnon ſecundi tertiique ſeculi ſcriptores de illis ſæpe meminerint, primæ tamen eorum inſtitutionis nulla uſpiam veſtigia invenire poſſumus. Ex eorum itaque mentione in hiſce Canonibus ſubinde factâ, nihil ad oppugnandam Codicis hujuſce antiquitatem à nobis aſſertam, ullâ vel arte vel machinâ torqueri poteſt.

V. Contra tertium Canonem nihil habuit quod excipere potuit Dallæus, niſi quod in eo ſignificetur tempore quo conditores vixerunt, offerri ſolitum in Eccleſiâ θυμίαμα τῷ καιρῷ τῆς ἁγίας προσφορᾶς, *Incenſum tempore ſanctæ oblationis.* Hoc autem, ut ait vir doctus, non modo ab Apoſtolis alienum eſt, ſed ne Tertulliani quidem ævo uſitatum apud Chriſtianos thymiama fuit in religionis ſacris, ut qui noſtros purgans à Paganorum criminatione, qui eos infructuoſos eſſe in negotiis dictitabant, *Thura plane*, inquit, *non emimus. Si Arabiæ queruntur, ſcient Sabæi pluris & carioris ſuas merces Chriſtianis ſepeliendis profligari, quam diis ſuffumigandis.* Tertul. Apol. cap. 42. cujus agnoſco verba, ſed conſequentiam ex iis deductam nego. Etiamſi enim hic ritus in Eccleſiâ Africanâ Tertulliani ævo fortaſſe non obtinuerit, minime tamen exinde ſequitur, quin aliis in locis eodem tempore uſitatus eſſet. Imo quidem Hippolytus Portuenſis Epiſcopus Clementis Alexandrini diſcipulus, ac propterea ejuſdem fere ac Tertullianus ætatis, in oratione de conſummatione mundi diſertiſſimam hujus rei mentionem facit, dicens, Πενθοῦσι δὲ αἱ ἐκκλησίαι πένθος μέγα, διότι οὔτε προσφορὰ, οὔτε θυμίαμα ἐκτελεῖται. Quemadmodum etiam in Annotationibus ad hunc Canonem obſervatum eſt. Ubi & D. Ambroſii eundem ritum ſuâ ætate, hoc eſt quarto currente ſeculo, obſervatum eſſe confirmantis teſtimonium è commentariis ejus in S. Lucæ Evangelium cap. 1. de Angeli apparitione adduximus.

VI. Quartum etiam Canonem unicâ hâc objectione impugnat Dallæus, *Neque cum Apoſtolorum*, inquit, *dogmate vel ævo congruit, quod quarto Canone jubentur fructuum primitiæ Epiſcopo & Clericis ſolvi, & ad eorum ædes comportari. Id enim ad legem Moſaicam cæremonialem pertinet, quam veri Apoſtoli Dominicâ morte abrogatam docent, nedum ut aliquam ejus partem à fidelibus obſervari præcipiant.* De Pſeudep. lib. 3. cap. 14. Primo autem immerito reprehendit Canonem quaſi jubentem fructuum primitias Epiſcopo & Clericis *ſolvi*, ac ſi nimirum è lege Moſaicâ iis debitæ eſſent. Hoc enim Canon non jubet, ſed dicit tantummodo, Ἡ ἄλλη πᾶσα ὀπώρα εἰς οἶκον ἀποστελλέσθω, ἀπαρχὴ τῷ ἐπισκόπῳ καὶ τοῖς πρεσβυτέροις, ἀλλὰ μὴ πρὸς τὸ θυσιαστήριον, *Omnis alius fructus domum mittatur, Primitiæ Epiſcopo & Presbyteris, ſed non ad altare.* Deinde quod hoc Canone conſtituitur, ad legem Moſaicam cæremonialem

monialem uſque adeo non pertinet, ut ei prorſus contrarium ſit. Ex iſta enim lege Primitiæ fructuum in ipſo Dei templo, & coram altari offerendæ erant, Deuteron. cap. 26. & ſæpe alibi. Hic autem id diſerte prohibetur, & contrarium planè conſtituitur, ut ſcilicet non ad altare, ſed ad Epiſcopi ædes mittantur. Et quidem ipſa fructuum & primitiarum oblatio longè ante legem cæremonialem inſtituta fuit. Nam Cain obtulit מפרי האדמה מנחה ליהוה *ex fructu terræ munus Domino*, Gen. 4. Ab ipſa itaque mundi origine obtinuit, vel ex poſitivo Dei mandato, vel ex lege naturali ortum habens, cùm nihil rationi magis ſit conſentaneum, quam ut primitiæ fructuum Deo offerantur, à quo eos aliaque omnia gratis accipimus. Ac propterea hujuſmodi oblationes fieri hoc Canone non jubetur, ſed cavetur duntaxat, quomodo faciendæ ſunt: ut fructus nimirum & primitiæ non ſuper altare, nec in templo Dei, ut lege Cæremoniali præcipitur, offerantur, ſed ad Epiſcoporum ædes comportentur, ut ab illis cum Presbyteris diſtribuantur. Quod itaque cæremoniale fuit in hujuſmodi oblationibus hic abrogatur, ac proinde ab ipſis Apoſtolis ſanciri potuit hic Canon, qui legem cæremonialem Dominicâ morte abrogatam docuerunt.

VII. Fruges autem ac primitias, de quibus hoc Canone agitur, in primitivâ Eccleſiâ à fidelibus offerri ſolitas eſſe, ex antiquis ejuſdem monumentis patet. Inter Conſtitutiones enim Apoſtolicas vulgo dictas, quas, licet non vere Apoſtolicas, antiquas tamen eſſe nemo dubitat, una de primitiis decimiſque agit, præcipiens, ut omnes primitiæ offerantur Epiſcopo, & Presbyteris, & Diaconis, ad eorum alimentum, utque omnes decimæ offerantur ad alendos reliquos clericos, & virgines, & viduas, & pauperes. Αἱ γὰρ ἀπαρχαὶ, inquit, τῶν ἱερέων εἰσὶ καὶ τῶν αὐτοῖς ἐξυπηρετουμένων διακόνων, *Primitiæ enim Sacerdotum ſunt & iis miniſtrantium Diaconorum*. Conſtit. Apoſtol. Lib. VIII. cap. XXX. Præterea Synodus Gangrena iiſdem fere temporibus ac Nicæna, habita, Euſtathianos inter alia condemnat, propterea quod καρποφορίας τε τὰς ἐκκλησιαστικὰς τὰς ἀνέκαθεν διδομένας τῇ ἐκκλησίᾳ, ἑαυτοῖς καὶ τοῖς σὺν αὐτοῖς ὡς ἁγίοις τὰς διαδόσεις ποιούμενοι, *Primitias etiam fructuum atque eorum oblationes, quas veterum inſtitutio Eccleſiæ tribuit, ſibimet & ſuis tanquam ſanctis diſpenſandas vendicarent*. Syn. Gangr. in præf. Hinc iidem Patres Canonem huic Apoſtolico ſimilem ediderunt, præcipientem, ut is qui fructus Eccleſiæ oblatos accipere vel diſtribuere audet extra Eccleſiam, præter Epiſcopi ſententiam, vel ejus cui cura eorum commiſſa eſt, ſit anathema. Syn. Gangr. Can. VII. Unde conſtat hunc in Antiquiori Eccleſiâ ritum obtinuiſſe, ut non modo fructus à fidelibus offerrentur, ſed & eorum diſtributio penes Epiſcopum eſſet, juxta quod hoc Canone Apoſtolico definitur.

tur. Quinetiam eodem, hoc eſt, quarto nondum finito ſeculo Patres Carthaginienſes decretum de primitiis ritè offerendis ediderunt, quod etiamnum extat in Codice Canonum Eccleſiæ Africanæ, noſtræ editionis Canon. XL. Iiſdem diebus Gregorius Nazianzenus hæc ſcripſit, ὥσπερ ἀπαρχὰς ἀλῶνός τε καὶ ληνοῦ, καὶ τέκνων τοὺς ἀληθῶς φιλοτέκνους ἀνατιθέναι θεῷ, δίκαιόν τε καὶ ὅσιον, ὅτι παρ' αὐτοῦ καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ καὶ τὰ ἡμέτερα, *Quemadmodum areæ & torcularis primitias, & filiorum eos qui vere filios amant, Deo conſecrare juſtum & pium eſt, quoniam ab ipſo & nos ipſi & noſtra omnia ſunt.* Greg. Naz. Epiſt. 80. ad Aerium & Alypium. Adhæc concilium Hiſpalenſe Anno IↃXC. habitum decrevit, ut *Omnes primitias ac decimas tam de pecoribus quam de frugibus dives ſimul ac pauper Eccleſiis ſuis rite offerant*, apud Ivon. part. 2. c. 174. Quod ſi hæc recentiora ſint teſtimonia, quam quibus fides in re adeo antiquâ habeatur, alii, iique antiquiſſimi, & omni exceptione majores præſto ſunt teſtes, Irenæus, & Origenes. Irenæus enim de Servatore noſtro verba habens, *Sed & ſuis*, inquit, *diſcipulis dans conſilum primitias Deo offerre ex ſuis creaturis, non quaſi indigenti, ſed ut ipſi nec infructuoſi nec ingrati ſint, eum qui ex creaturâ panis eſt, accepit & gratias egit.* Iren. adv. hær. lib. 4. cap. 32. *Offerre igitur oportet Deo primitias ejus creaturæ.* Et nonnullis interjectis, *Oportet enim nos Oblationem Deo facere, & in omnibus gratos inveniri fabricatori Deo, in ſententiâ purâ, & in fide ſine hypocriſi, in ſpe firmâ, in dilectione ferventi, primitias earum quæ ſunt iis creaturarum offerentes; & hanc Oblationem Eccleſia ſola puram offert Fabricatori, offerrens ei cum gratiarum actione ex creaturâ ejus.* Ibid. cap. 34. Et Origenes, poſtquam dixiſſet Celſum velle ut Primitiæ dæmonibus dicarentur, addit, ᾧ δὲ τὰς ἀπαρχὰς ἀποδίδωμεν, τούτῳ καὶ τὰς εὐχὰς ἀναπέμπομεν, *Nos autem cui primitias offerrimus, ad eundem etiam preces noſtras dirigimus.* Orig. cont. Celſ. lib. 8. pag. 400. E quibus omnibus videre eſt, veterem ipſamque primitivam Eccleſiam in eâ fuiſſe ſententiâ, quod etiam poſt abrogatam legem cæremonialem Primitiæ à fidelibus Chriſtianis offerri debeant: quodque earum oblatio ab ipſis Eccleſiæ primordiis inſtituta fuit. Quo factum eſt ut Eccleſia Græca hunc ritum perpetuo obſervârit. In cujus propterea Euchologio variæ extant precandi formulæ pro iis qui fructus ſuos offerunt, ut Εὐχὴ περὶ τῶν προσφερόντων ἀπαρχὰς ὀπώρας. Item Εὐχὴ ἐπὶ τῶν καρποφορούντων. Quinctiam in Veteri Latino D. Gregorii Sacramentario, ejuſmodi oratio habetur his verbis concepta, *Domine, qui cœlum & terram & omnia creâſti, te ſupplices quæſumus, ut hunc fructum novum benedicere & ſanctificare digneris, & multiplicare abundanter offerentibus tibi, ut repleas eorum cellaria cum fortitudine frumenti & vini, ut lætantes in iis referant*

rant tibi Deo omnipotenti laudes & gratias. Quæ cum ita ſint, nemini mirum eſſe videatur, quod unus ex antiquis hiſce Canonibus de Primitiis & fructibus rite offerendis agat. Cúmque Dallæus aliud non habuit, ex quo hunc Canonem ab ipſis Apoſtolis non conſtitutum fuiſſe contra Turrianum probaret, niſi quod Primitiarum in eo occurrat mentio, quæ ab Eccleſiâ perpetuo, ut conſtat, oblatæ ſunt, nihil ſaltem ex hoc Canone colligere licet, quod noſtræ opinioni refragatur, quæ hoſce Canones non ab ipſis Apoſtolis, ſed à Primitivâ Eccleſiâ multis poſt Apoſtolos annis conditos, pluribuſque collectos fuiſſe ſtatuit. Primitias enim ante quartum ſaltem ſeculum à fidelibus oblatas, & ab Epiſcopis diſtributas eſſe, nemo, ut opinor, modo inficias ibit.

C A P U T III.

Synopſis.

I. *Canones Apoſt. V.* & *VI. adverſariis judicibus*, & *ævo* & *doctrinæ Apoſtolorum conſentanei ſunt.*

II. *Canon VII.* defenditur, ac illuſtratur. Aſianæ tantum Eccleſiæ* Paſcha *quartadecimâ lunâ celebrabant.*

III. *Idem quod hoc Canone continetur, à primitivis Synodis ex Apoſtolicâ traditione conſtitutum fuit.*

IV. *Canones VIII.* & *IX. de frequenti communione agentes illuſtrantur.*

V. *Primitivi Chriſtiani quandocunque ſacros habebant conventus, myſtici corporis ſanguiniſque Chriſti participes erant.*

VI. *Sacrorum conventuum* & *Euchariſtiæ in iis celebrandæ modus antiquus, è Juſtino M. illuſtratus.*

VII. *Hoc Sacramentum in omnibus primorum Chriſtianorum conventibus celebratum fuiſſe, e* Plinio *ſecundo*, Tertulliano, & Clemente Alexandrino *oſtenditur.*

VIII. *Plurimi è primitivis Chriſtianis quotidie communicabant. Egregius de eâ re D.* Ambroſii *locus. S.* Baſilius *quater ſaltem ſingulis ſeptimanis communicavit. D.* Chryſoſtomi *exhortatio ad frequentem communionem.*

IX. *Ipſi Apoſtoli Euchariſtiam frequenter celebrare conſueti ſunt.* κατ' οἶκον *in Act. Apoſt. idem quod* ἐν οἴκῳ.

X. *Qui à frequenti communione ſe abſtinent, merito excommunicantur, juxta quod hoc Canone Apoſt. conſtituitur.*

I. QUINTO è Canonibus Apoſtolorum cautum eſt, *Ne Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus uxorem ſuam ſub religionis prætextu ejiciat*, Sexto, *ne quis eorum ſeculares curas ſuſcipiat.* Qui duo Canones S. Apoſtolorum Doctrinæ ac ævo uſque adeo conſentanei ſunt, ut ipſe acutiſſimus Dallæus nullum ex iis argumentum exculpere poſſet, quo ab ipſis eos Apoſtolis non ſancitos eſſe demonſtraret. Quibus propterea intactis ad ſeptimum ſtylo properato tranſilit.

II. Sep-

II. Septimus vero Canon ſic habet, Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος τὴν ἁγίαν τοῦ πάσχα ἡμέραν πρὸ τῆς ἐαρινῆς ἰσημερίας μετὰ ἰουδαίων ἐπιτελέσοι, καθαιρείσθω. *Si quis Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus Sanctum Paſchæ diem ante vernum Æquinoctium cum Judæis celebraverit, deponatur.* Hunc Canonem & S. Apoſtolis abjudicandum, & veteri Eccleſiæ incognitum fuiſſe, ex eo arbitratur Dallæus, quod id ipſum quod hic ſub depoſitionis pœnâ vetatur, diu in multis iiſque Sanctiſſimis parœciis, imo diœceſibus Aſiæ, Orientis, & Syriarum ſervatum fuit. De Pſeudep. lib. 3. cap. 15. Quod quidem de Aſianâ diœceſi verum eſſe confiteor, non item de reliquis, ſi de iſtis ſaltem loquamur temporibus quibus Victor Romanæ, & Polycrates Aſianæ Eccleſiæ præerat, hoc eſt, de ſecundo ad finem vergente ſeculo, quo hæc de Paſchatis celebrandi die quæſtio tantâ vehementiâ agitata fuit. Euſebius enim omnes quidem per Aſiam Eccleſias vetuſtâ quadam traditione nixas quartadecimâ lunâ Paſchæ ſalutaris diem, in quamcunque demum ſeptimanæ feriam inciderit, celebraſſe ſcribit: Addit autem οὐκ ἔθους ὄντος τοῦτον ἐπιτελεῖν τὸν τρόπον ταῖς ἀνὰ τὴν λοιπὴν ἅπασαν οἰκουμένην ἐκκλησίαις ἐξ Ἀποστολικῆς παραδόσεως τὸ καὶ εἰς δεῦρο κρατῆσαν ἔθος, φυλαττούσαις· ὡς μὴ δ' ἑτέρᾳ προσήκειν παρὰ τὴν τῆς ἀναστάσεως τοῦ σωτῆρος ἡμῶν ἡμέραν τὰς νηστείας ἐπιλύεσθαι. *Cum tamen reliquæ omnes totius orbis Eccleſiæ alio modo utebantur, qui ex Apoſtolicâ traditione profectus etiamnum ſervatur: ut ſcilicet non alio quam reſurrectionis Dominicæ die jejunia ſolvi liceat.* Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 5. cap. 23. Exceptâ igitur diœceſi Aſianâ, quæ in notitiâ imperii proprium ſibi Proconſulem, & in notitiâ Eccleſiæ proprium Metropolitanum, Polycratem ſcilicet, habebat, reliquæ omnes per univerſum terrarum orbem Eccleſia Paſchæ tunc temporis non cum Judæis, ſed juxta præſentem Canonem celebrabant. Et quidem ut Polycrates, qui omnibus Aſiæ Epiſcopis, qui Paſchalem celebritatem quarta decimâ lunâ cum Judæis peragebant, præfuit, ſeſe ſuamque Eccleſiam hâc in re traditionem à S. Johanne, Philippo aliiſque viris Apoſtolicis acceptam ſequi aſſeruit; Sic & aliæ omnes Eccleſiæ ſe feſtum iſtud ἐξ Ἀποστολικῆς παραδόσεως celebrare affirmarunt. Adeo ut Apoſtolica traditio in utramque partem laudata fuerit.

III. Cùm omnes igitur Eccleſiæ, præter Aſianam, Paſchalem feſtivitatem ſecundo labente ſeculo juxta præſentem Canonem obſervârint, idque ex Apoſtolicâ, ut ajebant, traditione, veri pluſquam ſimillimum eſt, aliquem ſi non plures ex Apoſtolis, vel viris ſaltem Apoſtolicis, vel exemplo ſuo vel præcepto id tradidiſſe quod hoc Canone conſtituitur. Alioquin enim incredibile prorſus eſt; ut celeberrimæ omnium Eccleſiæ Ro-

mana, Hieroſolymitana, Alexandrina, & reliquæ omnes unâ exceptâ Aſianâ, tantâ concordiâ in eundem ritum conſpirarent, eundemque ipſis Apoſtolis, proximo poſt eos ſeculo, acceptum referrent. Hoc ſaltem conſtat, id quod hoc Apoſtolico Canone continetur, ante ſecundum finitum ſeculum à plurimis Synodis Provincialibus, Romanâ ſub Victore, Palæſtinâ ſub Theophilo Cæſarienſi & Narciſſo Hieroſolymitano, Ponticâ ſub Palmâ, Gallicanâ ſub Irenæo Lugdunenſi, nec non ab aliâ in Oſroenæ provinciâ, celebratâ, ſancitum editumque fuiſſe. Ipſas enim harum Synodorum Epiſtolas de hâc re ſcriptas, uſque ad Euſebii ætatem extitiſſe, ipſe teſtatur, Hiſt. Eccl. lib. 5. cap. 23. Quin ab iſtis itaque diebus hic Canon conſtitutus fuerit, nemo dubitare poteſt. Nihil enim in eo occurrit, quod non in iſtud multò meliùs quam in aliud quodcunque ſeculum quadrat. Saltem poſt Nicænam Synodum, quæ hanc de Paſchali celebritate quæſtionem verbis diſertiſſimis ita definivit, ut iſtius definitioni omnes protinus Eccleſiæ conſentirent, nihil magis abſurdum eſſe poteſt, quam ut talis, qualis eſt hic Apoſtolicus Canon ederetur, qui idem ſane quod Synodus iſta ſanxit, ſed adeo breviter atque obſcurè, ut niſi ex præcognitâ Eccleſiæ primitivæ hiſtoriâ vix intelligi poſſit. Nihil enim ſtatuit, præterquam, ne Paſcha ante vernum Æquinoctium cum Judæis peragatur. At Synodus Nicæna Paſchales terminos accuratè conſtituit, & decrevit, ut celebritas iſta poſt Æquinoctium vernum ut tunc temporis commiſſum, ſive poſt Mart. XXI. necnon ut poſt quartam decimam lunam iſti Æquinoctio proximam, & denique ut die dominicâ quartam decimam iſtam conſequente perageretur. Si autor igitur Apoſtolici hujuſce Canonis poſt editam iſtam Concilii Nicæni ſanctionem vixiſſet, exactiùs iſtum propiuſque ad Univerſalis Synodi rationem procul omni dubio condidiſſet. Hic ergo Canon tantum abeſt, ut materiam ſuſpicandi præbeat, ſe ante quintum adultum ſeculum non natum fuiſſe, ut ipſe potius ſe Synodo Nicænâ antiquiorem eſſe teſtetur.

IV. Proximi duo Canones de Euchariſtiâ à fidelibus laicis pariter atque Clericis percipiendâ agunt, edicuntque, octavus quidem, Εἴ τις ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ἐκ τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ προσφορᾶς γενομένης μὴ μεταλάβοι, τὴν αἰτίαν εἰπάτω, καὶ ἐὰν ᾖ εὔλογος, συγγνώμης τυγχανέτω· εἰ δὲ μὴ λέγοι, ἀφοριζέσθω, ὡς αἴτιος βλάβης γενόμενος τῷ λαῷ, καὶ ὑπόνοιαν ἐμποιήσας κατὰ τοῦ προσενέγκαντος, ὡς μὴ ὑγιῶς ἀνενέγκαντος, *Si quis Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel ex Sacerdotali catalogo, factâ oblatione non communicaverit, cauſam dicat, & ſi probabilis fuerit, veniam conſequatur. Si autem non dicat, ſegregetur, ut qui populo offenſionis cauſa ſit, & ſuſpicionem det adverſus eum qui obtulit,*

tulit, tanquam non recte offerentem. Nonus autem, Πάντας τοὺς εἰσιόντας πιστοὺς καὶ τῶν γραφῶν ἀκούοντας, μὴ παραμένοντας δὲ τῇ προσευχῇ καὶ τῇ ἁγίᾳ μεταλήψει, ὡς ἀταξίας ἐμποιοῦντας τῇ ἐκκλησίᾳ, ἀφορίζεσθαι χρὴ, *Omnes fideles qui ingrediuntur & ſcripturas audiunt, in precatione autem & ſanctâ communione non permanent, ut Eccleſiæ confuſionem afferentes, ſegregari oportet.* Hiſce duobus Canonibus nihil objecit Dallæus, præterquam eos à Romanâ hodie Eccleſiâ non obſervatos eſſe: Jam octavum, inquit, nonumque Canones, Romana certè Eccleſia quos abrogavit, Apoſtolicos non eſſe eo ipſo confeſſa eſt. Quis enim eam quod ab Apoſtolis Domini præceptum ſancitumque eſſe putaret, neglecturam, violaturamque fuiſſe crediderit? Dall. de Pſeudep. lib. 3. cap. 15. Eſto Romana Eccleſia hos Canones ab ipſis Apoſtolis non ſancitos fuiſſe credidit. Idem & nos credimus, ſi de ipſis Canonum verbis intelligatur. Hæc autem decreta Apoſtolicæ doctrinæ conſona eſſe, ipſe Dallæus negare nequit. Verum Romana, inquit, Eccleſia, hos Canones violavit, indieſque violat. Ita prorſus eſt. Sed ipſa id viderit, noſtra enim haudquaquam refert, qui nihil laboramus, utrum hi Canones à Romanâ Eccleſiâ violati, ſed utrum à primitivâ Obſervati fuerint. Si hoc enim conſtiterit, noſtra de his Canonibus ſententia firma manebit, & immobilis, etiamſi non à Romanâ modo, ſed & ab aliis quibuſcunque Eccleſiis hodierno die violentur.

V. Verumenimvero licet in Romana Eccleſiâ ille ſolus qui conficit, Euchariſtiam ſæpe aſſumit, licetque ultimis hiſce diebus plerique, qui Chriſti nomen præ ſe ferunt, à primitivorum Chriſtianorum moribus degeneres, in aliis quas ſcimus omnibus Eccleſiis, poſtquam ſacras ſcripturas lectas ac expoſitas audierunt, ſatiati contentique diſcedunt, ſacroſanctam Euchariſtiam ſuſque deque habentes, ac ſi res adiaphora eſſet, & nullius planè momenti, idem tamen de primitivis etiam Chriſtianis vel dicere vel cogitare religio eſt. Illi enim Dominici illius præcepti, τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν, perpetuo memores, nefas duxerunt à publicis Eccleſiæ cœtibus recedere, priuſquam Sacramenti corporis ac ſanguinis Chriſti participes eſſent. Idque etiamſi in omnibus eorum ſolennioribus ſaltem ſynaxibus diſtributum eſſet. Adeo ut quandocunque ad Publicum Dei cultum conveniebant, Spirituali hoc cibo repleti fuerint: Chriſtum à ſe cultum non opinantes, niſi ſummum hoc maximumque Religionis Chriſtianæ myſterium celebrâſſent. Quod ne gratis dictum videatur, illud ex vetuſtiſſimis quæ extant Eccleſiæ monumentis demonſtrare non pigebit. Quo nos qui eandem quam primitivi Chriſtiani fidem profitemur, eorum exemplo ducti, in ſacrâ hac percipiendâ communione

munione quam creberrimi in futurum ſimus. Unde etiam patebit, hos Canones tam Clericis quam Laicis, quotieſcunque fit oblatio, communicare ſub graviſſimis pœnis præcipientes, ut ut ab Eccleſiâ Romanâ aliiſque hodie violatos, Primitivæ nihilominus & Apoſtolicæ Eccleſiæ ita accommodatos eſſe, ut nemini mirum videatur, ſi ab eâ conſtituti ſunt.

VI. Ut ſciamus autem quomodo primi religionis noſtræ cultores ac confeſſores in publicis ipſorum congregationibus ſe geſſerint, quidque ibi fecerint, neminem melius quam Juſtinum Martyrem conſulere poſſumus: utpote qui ſtatim poſt ipſos Domini Apoſtolos vixit. Hic autem in doctiſſimâ illâ quam pro Chriſtianis ſcripſit Apologiâ ad Antoninum Pium miſſâ, omnia fuſe & ſincerè tradidit, quæ Chriſtiani ad communes preces congregati iſtis diebus peragere ſolebant. Dicit autem quod precibus finitis, mutuis ſe invicem oſculis ſalutabant. Deinde ei qui fratribus præerat, offerebatur Panis, & poculum aquæ & vini, quibus acceptis ille laudem & gloriam rerum univerſarum Patri per nomen Filii & Spiritus ſancti offerebat, & Euchariſtiam ſive gratiarum actionem pro eo quod ipſos donis hiſce ſuis dignatus eſt, prolixe exequebatur. Ubi autem preces ac gratiarum actiones ille abſolvit, populus qui aderat, omnis fauſtâ approbatione acclamabat Amen. Præſidens porro poſtquam gratiaram actionem perfecerat, & populus univerſus apprecatione lætâ eam comprobaverat, Diaconi diſtribuebant unicunque præſentium, ut participaret eum in quo gratiæ actæ fuerant panem, vinum, & aquam, & ad abſentes perferebant, Καὶ ἡ τροφὴ, inquit, αὕτη καλεῖται παρ' ἡμῖν Εὐχαριστία. *Et hoc alimentum vocatur à nobis Euchariſtia.* Hoc modo & quidem totidem fere verbis S. Juſtinus M. Euchariſtiam ut ſuis diebus celebratam deſcribit. Unde nihil dubii eſſe poteſt quin primitivi Chriſtiani quotieſcunque ad publicas Ecceſiæ preces conveniebant, Euchariſtiam etiam celebrarint: quam quidem iſtis temporibus, tanti, ut par eſt, faciebant, ut eam omnibus omnino Chriſtianis ſummè neceſſariam eſſe crederent. Uſque adeo ut non modo illi qui precibus & ſynaxi interant, eam participarent omnes, ſed & iſti etiam qui morbo aut neceſſitate aliquâ impediti ſunt, quo minus intereſſe poterant. Ad eos enim per Diaconos miſſa eſt. Paucis autem interjectis idem doctiſſimus pater ſolenniores hoſce Chriſtianorum conventus ut ſuâ ætate peractos, planius deſcribit, hoc modo. Τῇ τοῦ ἡλίου, inquit, λεγομένῃ ἡμέρᾳ, *Solis qui dicitur die, omnium qui vel in urbibus vel ruri degunt, in eundem locum conventus fit. Et commentaria Apoſtolorum aut ſcripta prophetarum, quoad tempus fert, leguntur. Deinde Lectore quieſcente, Præſidens orationem habet, quâ populum inſtruit, & ad imitationem tam pulchrarum rerum cohortatur. Sub hæc conſurgimus communiter omnes,*

omnes, & precationes profundimus: Precibus autem peractis Panis offertur, & vinum & aqua. Et præſidens iterum, quantum pro virili ſuâ poteſt, preces & gratiarum actiones fundit, & Populus fauſte acclamat Amen. Καὶ ἡ διάδοσις, καὶ ἡ μετάληψις ἀπὸ τῶν εὐχαριστηθέντων ἑκάστῳ γίνεται, καὶ τοῖς οὐ παροῦσι διὰ τῶν διακόνων πέμπεται. *Et diſtributio communicatioque fit eorum in quibus gratiæ ſunt actæ cuique præſenti, & abſentibus per Diaconos mittitur.* Hæc verba eo tranſcripſimus, quod digniſſima ſint quæ ab omnibus obſerventur, quodque clariſſime oſtendant, omnibus tunc temporis Chriſtianis ſolenne fuiſſe, Euchariſtiam unaquaque hebdomade unà celebrare. Ut ex his enim Apoſtolici viri verbis patet, omni die ſolis ſive Dominico, omnes Chriſtiani ſive in oppidis, ſive ruri degentes, in unum convenire ſolebant. Congregati autem commentaria Apoſtolorum vel alías Scripturas audiebant, preceſque ſuas communes, & gratiarum actiones Deo omnipotenti fundebant. Quibus peractis, preces & gratiarum actiones Euchariſticas celebrabant, quibus ſcilicet Elementa oblata in myſticum corpus & ſanguinem Chriſti conſecrentur. Quæ conſecrata omnibus præſentibus, omnibus qui precibus intererant, & ſacras Scripturas audierant, diſtributa ſunt & ab iis participata. Nemo itaque prius exibat, quam ſpirituali hoc cibo paſſus eſſet. Ac proinde hi duo Canones Apoſtolici nihil aliud præcipiunt, niſi ut Apoſtolica illa primorum Chriſtianorum in publicis ſuis conventibus diſciplina, à S. Juſtino M. deſcripta, ab omnibus accurate obſervetur, qui in Eccleſiæ communione manere cupiunt.

VII. Idem de primis illis Chriſtianis ex ipſo etiam Plinio ſecundo, eorum adverſario, colligere eſt. Is enim in literis ad Trajanum miſſis, Imperatorem certiorem facit, quod nonnulli qui aliquando fuerant, ſed jam deſierant eſſe Chriſtiani, affirmabant *hanc fuiſſe ſummam vel culpæ ſuæ vel erroris, quod eſſent ſoliti ſtato die ante lucem convenire, carmenque Chriſto quaſi Deo dicere ſecum invicem, ſeque Sacramento non in ſcelus aliquid obſtringere, ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depoſitum appellati abnegarent, quibus peractis morem ſibi diſcedendi fuiſſe, rurſuſque coeundi ad capiendum cibum.* Plin. Epiſt. lib 10. cap. 97. Stato ergo die, hoc eſt, Dominico convenire ſolebant, idque ante lucem ne perſecutioni, quæ in ipſos ſæviebat, ſe obnoxios redderent. In iſtis autem cœtibus licet Antelucanis, ut hymnos Chriſto quaſi Deo ſecum invicem canebant, ſic & Sacramento ſe obſtringebant, ne quid mali perpetrarent, quod quidem de alio intelligi nequit, quam de corporis ſanguiniſque Chriſti Sacramento. Nec mos erat diſcedendi priuſquam hæc omnia peracta eſſent. Quinetiam hoc Sacramentum & in illis ante lucem habitis, & in aliis quibuſcunque ſolennibus Chriſtianorum cœtibus celebratum fuiſſe, Tertullianus atteſtatur dicens,

dicens, *Euchariſtiæ Sacramentum, & in tempore victûs, & in omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quam præſidentium ſumimus.* Tertull. de coronâ mil. cap. 3. Et ne plura in re adeo perſpicuâ accumulemus teſtimonia, Clemens Alexandrinus unumquemque ſynaxi præſentem Euchriſtiæ participem fuiſſe his verbis docet, ἢ καὶ τὴν εὐχαριστίαν τινὲς διανείμαντες, ὡς ἔθος, αὐτὴν δὲ ἕκαστον τοῦ λαοῦ λαβεῖν τὴν μοῖραν ἐπιτρέπουσιν, *Quemadmodum Euchariſtiam cum quidam diviſerint, ut mos eſt, unicuique ex populo ejus partem ſumere permittunt.* Clem. Alex. Strom. l. 1.

VIII. Sed non omittendum eſt, Veteres Chriſtianos tanto Chriſti amore & myſtici ejus corporis ſanguiniſque deſiderio flagrâſſe, ut non Dominicis modo, ſed & indies, ſi fieri potuit, communicarent. D. Cyprianus, *hunc autem panem*, inquit, *dari nobis quotidie poſtulamus, ne qui in Chriſto ſumus, & Euchariſtiam quotidie ad cibum ſalutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abſtenti & non communicantes, à cœleſti pane prohibemur, à Chriſti corpore ſeparemur.* Cyprian. de Orat. Domin. Hunc morem ad ſuam uſque ætatem Romæ obtinuiſſe ſubindicat D. Hieronymus, ubi ait, *Scio Romæ hanc eſſe conſuetudinem, ut fideles ſemper Chriſti corpus accipiant.* Hieron. Apol. adv. Jovinian. Divus etiam Ambroſius omnes ad quotidianam hujus Sacramenti participationem adhortatur, Græcoſque reprehendit quod contrariam introduci conſuetudinem permiſiſſent. Verba doctiſſimi Patris digniſſima ſunt quæ præ oculis ſemper habeamus. Unumquemq; enim Chriſtianum hoc modo alloquitur, Si quotidianus eſt panis Euchariſticus, cur poſt annum illum ſumis, Quemadmodum Græci in oriente facere conſuerunt? Accipe quotidie, quod quotidie tibi proſit. Sic vive ut quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur poſt annum accipere. Quomodo Job Sanctus pro filiis ſuis offerebat quotidie Sacrificium, ne forte aliquid vel in corde vel in ſermone peccâſſent. Ergo tu audis quod quotienſcunq; offertur Sacrificium, mors Domini, reſurrectio Domini, elevatio Domini ſignificetur, & remiſſio peccatorum. Et panem iſtum vitæ non quotidianum aſſumis? Qui vulnus habet, medicinam requirit. Vulnus eſt quia ſub peccato ſumus. Medicina eſt cœleſte & venerabile Sacramentum. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Quotidie ſi accipis, quotidie tibi hodie eſt. Si tibi hodie eſt Chriſtus, tibi quotidie reſurgit. Ambroſ. de Sacrament. lib. 5. cap. 4. vide & lib. 4. cap. 6. Eadem fuit S. Baſilii ſententia, dicentis, Καὶ τὸ κοινωνεῖν καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν καὶ μεταλαμβάνειν τοῦ ἁγίου σώματος, καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ, καλὸν καὶ ἐπωφελές. αὐτοῦ σαφῶς λέγοντος, ὁ τρώγων μου τὴν σάρκα, καὶ πίνων μου τὸ αἷμα, ἔχει ζωὴν αἰώνιον· τίς γὰρ ἀμφιβάλλει, ὅτι τὸ μετέχειν συνεχῶς τῆς ζωῆς, οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν ἢ ζῆν πολλαχῶς;

Sin-

Singulis autem diebus communicare & participare Sancti Corporis & Sanguinis Chriſti, bonum eſt & perutile. Cùm ipſe perſpicuè dixerit, qui comederit carnem meam, & biberit ſanguinem meum, habet vitam æternam. Jam vero quis dubitet, quin vitæ frequenter participem fieri, nihil aliud ſit omnino quam frequenter vivere? Baſil. Epiſt. 289. ad Cæſariam Patriciam. Ubi etiam ſtatim ſubdit, ſe quater ſaltem ſingulis ſeptimanis communicare. Dominicâ, feriâ quartâ, paraſceve & ſabbato, necnon in martyrum memoriis. Ἡμεῖς μὲν τοίγε, inquit, τέταρτον καθ' ἑκάστην ἑβδομάδα κοινωνοῦμεν, ἐν τῇ κυριακῇ, ἐν τῇ τετράδι, ἐν τῇ παρασκευῇ, καὶ τῷ σαββάτῳ. καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἡμέραις ἐὰν ᾖ μνήμη μάρτυρός τινος. ibid. Unde liquet D. Ambroſii verba ſuperius laudata, Græcos non niſi poſt annum Euchariſtiam ſumere conſuetos eſſe, non intelligenda eſſe de iis qui ſe totos pietati devoviſſent, ſed de vulgo ſolo Græcorum, qui ſaluti ſuæ parum conſulebant. In ipſâ enim Eccleſiâ Orientali antiquus hic Euchariſtiam quotidie celebrandi ritus adhuc obtinebat, ut è D. Chryſoſtomo colligere eſt, ſic perorante, Ἐν μὲν τοῖς ἄλλοις καιροῖς οὐδὲ καθαροὶ πολλάκις ὄντες προσέρχεσθε, ἐν δὲ τῷ πάσχα, κἂν ᾖ τι τετολμημένον ὑμῖν, πρόσιτε. ὢ τῆς συνηθείας, ὢ τῆς προλήψεως. εἰκῆ θυσία καθημερινή, εἰκῆ παρεστήκαμεν τῷ θυσιαστηρίῳ· οὐδεὶς ὁ μετέχων. *In aliis quidem temporibus plerunq; nequidem puri exiſtentes acceditis. In Paſcha autem etiamſi ſcelus aliquid à vobis admiſſum ſit, acceditis. Oh conſuetudinem! Oh præſumptionem! Fruſtra eſt quotidianum ſacrificium. Fruſtra adſtamus altari, nemo eſt qui participat.* Chryſ. in Epiſt. ad Epheſ. λογ. γ. p. 778. Ed Savil. Quæ quidem verba clariſſime demonſtrant, καθημερινὴν θυσίαν, *Quotidianum Sacrificium* in Eccleſiâ Orientali tunc temporis celebratum eſſe, etiamſi Chriſtianorum ardor adeo refrixiſſet, ut pauci admodum communicarent. Hinc eſt quod idem eloquentiſſimus Pater tanto zelo pariter atque elegantiâ auditores ſuos ibidem ad frequentem communionem excitet; ad hunc modum eos compellans. Fruſtra adſtamus altari: nemo eſt qui participat. Hæc dico non ut participetis ſolummodo, ſed & vos communione dignos reddatis. Non es dignus Sacrificio nec participatione? ergo nec prece dignus es. Audis præconem ſtantem & dicentem, *Quicunquè eſtis in pœnitentiâ, abite.* Omnes qui non participant, ſunt in pœnitentiâ. Si es ex iis qui ſunt in pœnitentiâ, non debes communicare. Nam qui non communicat, eſt in pœnitentiâ. Cur ergo dicit, abite qui non poteſtis precari, tu autem ſtas impudenter? At non es ex his ſed ex iis qui poſſunt participare. Et nihil curas? Rem nihili eſſe putas? Conſidera quæſo. Adeſt menſa Regia: adſunt Angeli miniſtrantes, adeſt Rex ipſe: & tu ſtas oſcitans? Veſtes tibi ſunt ſordidæ? & nulla à te hujus habetur ratio? Sunt mundæ? Accumbe igitur, & participato. Hæc D. Chryſo-

 ſtomu

ſtomus, aliaque quam plurima eodem in loco profert, quæ attentum, piumque lectorem non poſſunt non inflammare ad frequentiſſimam Divini hujus Sacramenti participationem, quod ipſe Dominus ac ſervator noſter Ieſus Chriſtus in ſui ipſius recordationem nobis inſtituere dignatus eſt.

IX. In Primitiva itaque Eccleſiâ, qui religionem Chriſtianam ſincerè coluerunt, hi ſæpius, illi rarius, ſed nulli non dominico communicare conſueti ſunt. Quod etiam à S. Auguſtino docemur, dicente, *Alij quotidie communicant corpori & ſanguini Dominico: alij certis diebus accipiunt: Alibi nullus dies intermittitur quo offeratur, alibi Sabbato tantum & Dominico: Alibi dominico tantum.* Aug. Epiſt. 118. ad Januar. Et quidem licet hoc mirum noſtris diebus videatur, quibus magnum hoc Sacramentum ubique propemodum neglectui plus nimio habetur, nihil tamen aliud eſt, quam quod ab ipſis Domini Apoſtolis uſitatum fuit. Hi enim καθ' ἡμέραν τε προσκαρτεροῦντες ὁμοθυμαδὸν ἐν τῷ ἱερῷ, κλῶντές τε κατ' οἶκον ἄρτον, μεταλάμβανον τροφῆς ἐν ἀγαλλιάσει καὶ ἀφελότητι καρδίας. Act. II. 46. Ubi viri eruditi obſervarunt, κατ' οἶκον idem eſſe atque ἐν οἴκῳ *in domo* vel conclavi aliquo ad Templ. pertinente, quod fortaſſe erat ὑπερῷον illud, quò Apoſtoli poſt Domini aſcenſionem ad ſacra celebranda aſcendebant Act. I. 13. Et quidem Particulam κατὰ pro ἐν in Novo Teſtamento uſurpatam eſſe nemo dubitet, qui Rom. XVI. 5. cum 1 Cor. XVI. 19. contulerit, ubi ἡ κατ' οἶκον αὐτῶν Ἐκκλησία nihil aliud ſignificare poteſt quam *Eccleſiam in domo eorum.* Quomodo phraſis iſta κατ' οἶκον in hoc ipſo Actuum loco à Syro pariter atque ab Arabico interprete explicatur. Ille enim ܒܒܝܬܐ hic في المنزل *in domo* vertit. Ex hoc itaque loco colligere licet, Apoſtolos in Templo quotidie perſeverantes, ibidem & panem Euchariſticum quotidie comédiſſe. Dominicis autem diebus eò præcipuè & inprimis conveniebant, ut Divinum hoc myſterium celebrarent. Hoc ex Act. XX. 7. videre eſt, ubi dicitur, Ἐν δὲ τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων, συνηγμένων τῶν μαθητῶν τοῦ κλάσαι ἄρτον. *In primâ autem Sabbatorum ſive ſeptimanæ congregatis diſcipulis ad frangendum panem.* Non quod nihil aliud tunc temporis agerent, ſed quod hæc maxima ſit ac præcipua pars illius cultûs, quem primâ Sabbati, ſive die Dominico, Chriſto exhibere obſtringebantur. Adeo ut quicquid hodiernis videatur Chriſtianis, Apoſtolis ab ipſo Chriſto edoctis, nihil antiquius fuit, quam ut omnibus ſaltem ſolennioribus ipſorum conventibus, Domini ſui noſtrique mortem, Euchariſtiam ab eo inſtitutam peragendo, commemorarent.

X. Qui præmiſſa æquâ judicij lance perpendit, mirari nequit, quod

in

in antiquis hiſce Canonibus in eos, ſive Clericos, ſive Laicos, qui factâ oblatione non communicant, tam ſevere animadvertatur, ut à communione poſtmodum arceantur. Enimvero cum primitivis, ut oſtenſum eſt, Chriſtianis ſolenne eſſet, Sacramentum corporis & ſanguinis Dominici, juxta ipſius inſtitutionem & Apoſtolorum ejus exemplum participare, quotieſcunque publicis Eccleſiæ conventibus intereſſent, adeo ut Evangelicum præceptum tranſgredi judicarentur, qui illud unquam omittebant, neceſſe erat ut Eccleſiaſticâ aliquâ ſanctione ad id præſtandum tenerentur, ne paulatim decreſcente eorum Zelo, longè improbiſſima iſta conſuetudo introduceretur, quæ hodie, in ſummum ætatis noſtræ opprobrium, per univerſam ferè Eccleſiam obtinet: ut multa nimirum maxima pars eorum, qui baptizati, & ſacris Chriſtianis imbuti, nomina ſua Chriſto dederunt, hoc nihilominus maximum optimumque religionis noſtræ myſterium perinde negligunt, ac ſi ab ipſo Chriſto nunquam inſtitutum fuiſſet. Quibus quidem nulla aptior, juſtiorve pœna imponi poteſt, quam quæ Apoſtolicis hiſce Canonibus conſtituitur, ut communione ſcilicet priventur. Ipſi enim ſe prius non communicando excommunicant. Adeo ut Eccleſia hoc ab iis ſupplicium exigens, nihil aliud in eos ſanxerit, quam ut illud coacte facerent, quod ante fecerunt voluntariè. Neque etiam tales Chriſtianorum communione digni habeantur, qui ſeſe ab ipſius Chriſti communione ſponte & nefariè ſubducunt. Et hinc eſt quod Synodus etiam Antiochena antiquam hanc primitivæ Eccleſiæ legem renovans, eandem ab iſtius violatoribus pœnam expetierit, Can. II.

CAPUT IV.

Synopſis.

I. *Canon Apoſt. XVII. de digamis & concubinariis non ordinandis vindicatur.*

II. *Canones XXI. XXII. XXIII. de Eunuchis defenduntur.* Valeſij *hæretici his Canonibus occaſionem dediſſe videntur, vel poſt eos* Origenes.

III. Leontium *à ſe caſtratum nec ad Laicam communionem admittendum eſſe affirmat S.* Athanaſius. *Quod de ſolo Canone Apoſt. XXIV. intelligi poteſt, non de* Nicæno I. *utpote quo nihil eâ de re decernitur.*

IV. *Ex eo quod* Epiphanius *Canones Apoſtolicos contra* Valeſios *non laudarit, nequaquam ſequitur eos tunc temporis non extitiſſe.*

V. *Canones Apoſtolici XXVII. & XXX. de Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis alios verberantibus, & vel pecuniâ vel ſecularium poteſtatum ope promotis agentes, vindicantur.*

I. Undecim ſequentes Apoſtolorum Canones, à Nono ſcilicet uſque ad viceſimum primum, nihil prorſus Apoſtolorum vel Doctrinæ, vel ævo diſſentaneum continent, ipſo etiam Dallæo judice: quippe qui licet omnibus veſtigiis inquiſiverit, nihil in iis invenire potuit, quod vel vitio ipſis Canonibus verteret, vel contra Turrianicam de illis opinionem objiceret, niſi quod aliqua pars Canonis XVII. ab Eccleſiæ Romanæ uſu & praxi diſcedat. Nimirum Canon ſic habet, Ὁ δυσὶ γάμοις συμπλακεὶς μετὰ τὸ βάπτισμα, ἢ παλλακὴν κτησάμενος, οὐ δύναται εἶναι Ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ὅλως τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ. Quod vero de Digamo in ordinem Sacerdotalem non admittendo hic aſſeritur, & Apoſtolicæ & Primitivæ Eccleſiæ praxi ac diſciplinæ conſonare, ex D. Paulo, Origene, Tertulliano aliiſque antiquis Eccleſiæ ſcriptoribus in Annotationibus ad hunc Canonem oſtendimus. Idem de concubinario Dallæus negare nequit, ac propterea obſervat tantummodo quod id ab Eccleſiâ Romanâ intolerabile ducitur: cujus eſt hic, inquit, Canon, *concubinatum irregularitate non puniri.* Dall. de Pſeudep. lib. 3. cap. 16. Verum ut ut corrupta ſit in hâc aliſve

aliiſve rebus hodierna Eccleſiæ Romanæ praxis, id Canones hoſce minime attingit, nedum antiquitatem eorum elevat. Quos quidem ſi Eccleſia illa religioſe obſervâſſet, iſtâ ſaltem corruptione nunquam contaminata fuiſſet. Nos autem hoc in loco non de Eccleſiâ Romanâ, ſed de Canonibus Apoſtolicis diſputamus: Quos omnes à primitivâ Eccleſiâ non conſtitutos eſſe, hodierna nec Romanæ, nec alius cujuſpiam Eccleſiæ contraria praxis ullam ſuſpicandi materiam præbere poteſt.

II. Ab iſto itaque ſive XVII. Dallæus ad tres iſtos Canones tranſit, qui de Eunuchis agunt. Hi ſunt primus, ſecundus, & tertius ſupra viceſimum. Quorum primo quidem cautum eſt, ut Eunuchus, ſi ex hominum injuriâ factus ſit, vel in perſecutione virilibus privatus, vel ſic natus, & dignus ſit, Epiſcopus fiat. Secundus, ut qui ſeipſum mutilavit, ne ſit Clericus, ut qui ſui homicida ſit, & Dei opificij hoſtis. Tertio, ut ſi quis cum ſit Clericus, ſeipſum mutilaverit, deponatur, ut ſui homicida. Quibus etiam proximus ſive viceſimus quartus adjungatur præcipiens, ut Laicus qui ſeipſum mutilavit, tribus annis ſegregetur, ut ſui ipſius vitæ inſidiator. Hæc decreta Dallæus *rectaque juſtaque eſſe fatetur. Sed tamen hujuſmodi quæ non videntur ab ipſis Apoſtolis conſtituta.* Dall. de Pſeud. lib. 3. cap. 17. Idem & nos perſuaſum habemus: eâ etiam ratione inducti, quod leges è morum vitiis & ſingularium peccatorum exemplis plerunque naſcantur, ac proinde non veriſimile eſt, hos in abſurdum adeo perrarumque facinus conſtitutos fuiſſe Canones, priuſquam eorum ferendi occaſionem editum ab aliquo tanti facinoris exemplum præbuiſſet. Tale autem exemplum editum non legimus ante exortam Valeſiorum hæreſin, de quibus Epiphanius, Εἰσὶ δὲ πάντες ἀπόκοποι. *Omnes autem caſtrati ſunt*: Epiph. vales. hær. 58. ubi etiam ait, quod quemcunque hæretici iſti in ſuam diſciplinam receperint, quandiu nondum ei exſecta eſſent virilia, ab animatis abſtinebat: Poſteaquam autem ſive illi perſuaſerint, ſive violenter exſecuerint, tunc demum quodcunque cibi genus ei permittebatur. Poſt eos Origines idem in ſe facinus perpetravit, ut tradit Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 6. cap. 8. & Epiphan. hær. 64. Adeo ut ampla ſatis Canonum horum condendi materia iſtis ſaltem diebus, offerretur, primo quidem à Valeſiis & poſtmodum ab Origene. Cujus facinus Demetrius Eccleſiæ Alexandrinæ Epiſcopus primo quidem admiratus, deinde ſcriptis ad omnes ubique terrarum Epiſcopos literis tanquam abſurdiſſimum proſcindebat, quemadmodum etiam in Annotationibus ex Euſebio à nobis obſervatum eſt. Unde veri haud diſſimile nobis videri diximus, aliquos ſaltem eorum, ſi non omnes, ad quos Demetrius ſcripſerat, in unum congregatos hâc de re deliberationem iniiſſe, & quatuor hoſce de Eunuchis Canones vel primo conſtituiſſe, vel ante conſtitutos renovâſſe. Quod ultimum mihi magis arridere dixi, propterea quod

De-

Demetrius Cæſarienſem & Hieroſolymitanum Epiſcopos criminatus eſt, quod Origenem in Presbyterij gradum promoviſſent, nimirum contra Can. XXII. quo conſtituitur, ut ὁ ἀκρωτηριάσας ἑαυτὸν μὴ γινέσθω κληρικός. Aliter autem Obſervatori viſum eſt, qui pag. 66, 67. probare enititur hunc Canonem Origeni non cognitum fuiſſe, neque Demetrio. Cum autem ad præſentem quæſtionem, ad noſtram ſaltem de his Canonibus opinionem nihil interſit, utrum paulo ante Origenem, an ex ejus facinoris occaſione conditi fuerint, nihil eſt quod de eo laboremus. Licet enim demus Obſervatori, quod ipſe nondum demonſtravit, nec, ut opinor demonſtrari poteſt, hos de illis qui ſe abſcindunt Canones Origenem latuiſſe, vel etiam ante facinus illud ab eo patratum non extitiſſe, noſtra tamen de iis opinio firma ſatis ſtabiliſque manet, ſi vel ex iſtâ occaſione conſtituti fuerint, quippe quæ tertio vixdum incepto ſeculo data fuit. Nec opus eſt ut hiſce probandis immoremur, cum ipſum Dallæum fatentem habeamus, veriſimile eſſe, ex Origenici facti occaſione vetitum fuiſſe ab Eccleſiaſticis præpoſitis, ne quis tale quid pietatis ſpecie vel illius viri exemplo auderet: Et ſi quis auderet, is è ſacris ſubmoveretur, eamque deinceps regulam & apud Eccleſias obtinuiſſe, & à Nicænis patribus primo ipſorum Canone intelligi. Imo vero diſerte ait, *Non ergo Apoſtolorum temporibus, ſed ſecutis ſeculis ex Origenici facti occaſione decreta, conſtitutaque & inde ad Nicænos patres propagata videtur illa regula, quam ipſi hoc loco memorant.* Dall. de Pſeudep. lib. 3. cap. 8. Quod quidem cum noſtra opinione, quæ hos Canones Origenica circiter tempora ſancitos aſſerit, apprime convenit.

III. Poſt hæc Dallæus contra hos Canones è S. Athanaſio diſputat, de Leontio primo Presbytero, mox & Epiſcopo Antiocheno Arianarum partium, verba faciente, ejuſque Origenico ſimile facinus invidioſiſſimè exagitante, nullam tamen, ut is ait, memorante Apoſtolicam contra iſtum legem, ſed hæc tantum habente, Λεόντιος ὁ Ἀπόκοπος, ὃν οὐδὲ ὡς λαϊκὸν κοινωνεῖν ἔδει, διότι ἑαυτὸν ἀπέκοψεν, ὑπὲρ τοῦ μετ' ἐξουσίας λοιπὸν κοιμᾶσθαι μετὰ Εὐστολίου τινὸς, γυναικὸς μὲν δι' αὐτὸν, λεγομένης δὲ παρθένου. *Leontius ille caſtratus, quem ne ſub Laici quidem ſpecie ad communionem admitti oportuit, eo quod ſeipſum abſcidit, ut liberè cum Euſtolio quâdam dormiret, revera quidem ejus muliere, virgine autem dictâ.* Athanaſ. Epiſt. ad ſolit. vit. agent. tom. 1. pag. 827. Ex his verbis Dallæus, nemo, inquit, non videt multo fortius & invidioſius dicturum fuiſſe Athanaſium, ſi ex Apoſtolico Canone hanc Leontio ſui facinoris mercedem deberi adjeciſſet. Quod non adjecit, eo fatetur, nullum ſibi eâ de re Apoſtolorum Canonem fuiſſe cognitum. Quo ergo, inquis, Canone Leontium decebat Presbyterio abdicari, & Laicâ ipſâ communione privari? *Nempe inquam,* ait ille, *ex Nicæno annis, antequam Leontius Presbyter fieret*

fieret, aliquot condito, & ex aliquo fortaſſe antiquiori ab Alexandrinis ex Origenici facinoris occaſione conſtituto. Dall. de Pſeud. lib. 3. cap. 17. pag. 622, 623. Verumenimvero Leontium Eunuchum à ſe factum Laicâ propterea communione ex Canone Nicæno primo hic indicato multari non potuiſſe, ex ipſo Canone cuivis patet, utpote qui nihil plane de Eunuchis excommunicandis dicit, ſed tantum de iis in clerum admittendis vel non admittendis agit: nullâ prorſus mentione factâ de Laicâ communione iis denegandâ, ut cuivis Canonem legenti patet, ac proinde fieri non potuit, ut Leontius iſto ſupplicij genere ex Canone Nicæno multaretur, quod ſcilicet in eo nullum memoratur. Cum Sanctus igitur Athanaſius Leontium, nec ut Laicum ad communionem admitti debuiſſe affirmet, & de nullâ aliâ Eccleſiaſticâ pœnâ ei ob facinus iſtud à ſe perpetratum debitâ lôquatur, ad Canonem Nicænum reſpicere non potuit, nec ad ullum, quem ſcimus, alium præterquam Apoſtolicum XXIV. diſertiſſimis verbis id quod voluit S. Athanaſius ſtatuentem, viz. λαϊκὸς ἑαυτὸν ἀκρωτηριάσας, ἀφοριζέσθω ἔτη τρία· ἐπίβουλος γάρ ἐστι τῆς ἑαυτοῦ ζωῆς. *Laicus qui ſeipſum mutilavit, tribus annis ſegregetur. Eſt enim ſui ipſius vitæ inſidiator.* Qui ſegregatur autem, nec ut Laicus ad communionem admitti poteſt: ex cujus propterea Canonis præſcripto S. Athanaſius veriſſime aſſeruit, quòd Leontium οὐδὲ ὡς λαϊκὸν κοινωνεῖν ἔχρῆν. Adeo ut hæc ſanctiſſimi patris verba Canonem iſtum Apoſtolicum tunc temporis obtinuiſſe, clariſſimè demonſtrent. Ex eo autem quod S. Athanaſius Leontium οὐδὲ ὡς λαϊκὸν κοινωνεῖν oportuiſſe dicat, perſpicuè ſatis innuit, iſtum contra legem Canonicam, non modo ad Laicam communionem, ſed & in Clerum admiſſum fuiſſe, quod prohibetur a Canone Apoſt. XXII. Unde conjicere licet Leontium iſtum Patribus Nicænis primi ſui Canonis condendi, vel antiqui illius ſive Apoſtolici renovandi occaſionem præbuiſſe. Neque enim credibile eſt, Patres talem vel edere vel renovare voluiſſe Canonem, niſi ex aliquâ ſingulari occaſione ipſis tunc temporis oblatâ. Synodi vero Nicænæ tempore nullum immanis hujuſce facinoris exemplum à quopiam editum traditur præterquam ab hoc Leontio. Cujus propterea ſolius cauſâ Nicænus iſte Canon conſtitutus, vel Apoſtolici potius Synodi Oecumenicæ autoritate confirmati videntur. Ex iſto enim Canone Leontius paulo poſt Presbyterii gradu abdicatus eſt, ut teſtatur Socrates Hiſt. Eccleſ. lib. 2. cap. 26. Cumque poſtea ad thronum Antiochenum promotus eſſet, id Theodoretus contra Canones Nicænos eſſe obſervat. Hiſt. Eccleſ. lib. 2. cap. 24.

IV. Cùm ipſe autem Dallæus diffiteri nequeat, quin aliquis Nicæno antiquior de Eunuchis Canon extiterit, iſque ex Origenici forſitan cœpti occaſione editus, nulla neceſſitas, nec ratio poſtulat, ut hos Apoſtolicos pluribus defendamus. Quod enim à nobis de iis aſſeritur, utrinque pro

con-

conceſſo habetur eos ſcilicet de Eunuchis agentes ante Synodum Nicænam publicatos eſſe. Quapropter ea etiam quæ Dallæus poſtea ſubjungit de Valeſiis, nihil noſtræ opinioni detrimenti affert. Etiamſi enim Epiphanius Valeſiorum, qui ſeipſos abſcindebant, ſectam ac dogma refellens, argumentis tum à reipſâ, rectâque ratione, tum ab Apoſtolorum, Paulique nominatim in Epiſtolis doctrinâ petitis, nullam iſtorum Canonum mentionem fecerit, & licet exinde ſequatur forſitan eos ab ipſis Apoſtolis non conſtitutos eſſe, vel Epiphanium ſaltem ita non ſenſiſſe, neutiquam tamen ex eo ſequitur dictos Canones nec tertio ſeculo prodiiſſe. Epiphanius enim in omnibus ejus contra hæreticos diſputationibus & commentariis Canones Eccleſiaſticos nunquam citat: imo quidem nec ipſum Nicænum de Eunuchis conditum, ubi nefarios Valeſiorum mores redarguit, ac proinde haud mirum eſt, quod de Apoſtolicis nihil habeat. Ex eo autem quod is Valeſiorum hæreſin ante Origenicam ponat, illos prius quam Origenem, ſe emaſculare ſolitos fuiſſe conſtat: Qui idcirco Epiſcopis Eccleſiam tunc temporis adminiſtrantibus horum condendi Canonum amplam ſatis materiam ſuppeditarunt. Uſque adeo ut illi curæ ſibi commiſſæ rationem nunquam reddere potuiſſent, niſi tam flagitioſam & ſceleratam hæreſin in Eccleſiâ exortam legibus Eccleſiaſticis quam citiſſime coercuiſſent & confodiſſent. Sed nihil eſt quod dubitemus, utrum hoc ab iis factum fuerit, cum Apoſtolicos hoſce eâ de re editos habeamus Canones; quos ante Synodum Nicænam conſtitutos fuiſſe ipſi adverſarij diffiteri nequeunt, noſque in priori libro inter teſtimonia afferenda ſatis evicimus. Quod ſi nihil amplius contra reliquos qui in hac collectione occurrunt, quam contra hos de Eunuchis Canones, dici poteſt, hunc antiquiſſimum eſſe Canonum Eccleſiaſticorum Codicem ſole meridiano clarius elucefcet.

V. Hinc duobus proximis ſive XXV. & XXVI. necnon XXVIII. & XXIX. prætermiſſis, ut rectæ rationi & Apoſtolicæ doctrinæ conſonis, Dallæus Canones XXVII. & XXX. aggreditur, quorum ille *deponi jubet Epiſcopum, Presbyterum & Diaconum verberantem fideles qui peccant, vel infideles injuriam facientes*; hic vero eadem pœna Epiſcopum multat, qui *ſecularibus poteſtatibus uſus Eccleſias per ipſas obtinet.* Atqui, inquit vir doctus, non patitur temporum Apoſtolicorum ingenium, ut vel Chriſtianorum Epiſcopos verberibus in quenquam ſæviiſſe, (quod diu poſtea planeque ſero in Eccleſiam, jam corruptis noſtrorum moribus invectum eſt) vel poteſtates ſeculares, quæ tum erant nobis infeſtiſſimæ, quenquam ſuo favore ad Epiſcopalem dignitatem vel invadendam vel retinendam adjuviſſe. Dall. de Pſeudep. lib. 3. pag. 624. Verum quod ad primum ſpectat, ſive XXVII. Canonem, is ipſius D. Pauli doctrinæ congruit, decernentis Epiſcopum non oportere eſſe πλήκτην ſed ἄμαχον,

1 Tim. III. 2, 3. Tit. I. 7. Proinde non mirum eſt quod hi Apoſtolorum Canones idem ſanxerint. Et quamvis poteſtates ſeculares Apoſtolorum temporibus infeſtiſſimæ eſſent Chriſtianis, neminem tamen latet complures earum ſecundo tertioque æræ Chriſtianæ ſeculo illis faviſſe: quarum propterea ope nonnullos Eccleſiaſticas dignitates aſſecutos eſſe, pluſquam veriſimile eſt, vel potius certiſſimum: ſi quidem ipſius etiam Origenis ætate nonnulli ex Epiſcopis, aliiſque Eccleſiaſticis miniſtris quæſtui magis quam curæ ſibi commiſſæ conſulebant, & aliorum ſcelerum maculis notati erant: uſque adeo ut ille querimonias de iis graviſſimas ſæpe jactet: præſertim in commentariis ejus in S. Matthæum de iis qui Templo ejecti ſunt; ubi inter alia hæc habet, Καὶ νομίζω ἁρμόζειν τὸ περὶ τῶν πωλούντων τὰς περιστερὰς λόγον τοῖς παραδιδοῦσι τὰς Ἐκκλησίας αἰσχροκερδέσι, καὶ τυραννικοῖς, καὶ ἀνεπιστήμοσι καὶ ἀνευλαβέσιν ἐπισκόποις, καὶ πρεσβυτέροις, καὶ διακόνοις. *Ego vero, quod de columbarum venditoribus ſcriptum eſt, his convenire exiſtimo, qui Eccleſias avaris, tyrannicis, indoctis, & irreligioſis Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis tradunt.* Orig. in Matt. pag. 441, 442. Quamplurimæ hujuſmodi querimoniæ apud antiquiſſimum iſtum ſcriptorem occurrunt, contra nonnullos eorum habitæ, qui iſtis etiam diebus in Eccleſiâ præſidebant. Ut tales igitur ab Eccleſiaſticis in poſterum dignitatibus ſecluderentur; cautè quidem hoc & præcedenti Canone ab Eccleſiâ proſpectum eſt, ne quis pecuniâ, aut ſecularium poteſtatum ope, ſed liberâ tantum Cleri populique electione promoveatur. Adeo ut Eccleſia primitiva nec ſaluti ſuæ, nec fidelium ædificationi, nec Evangelij propagationi quâ par eſt curâ atque fidelitate conſuluiſſet, niſi hujuſmodi Canones ediddiſſet, quibus coercitâ aliorum audaciâ probatiſſimi quique Epiſcopalem dignitatem obtinerent.

CAPUT V.

Synopſis.

I. *Canon Apoſt. XXXIV. de primis Epiſcopis defenditur.* τὰ ἀρχαῖα ἔθη *apud Syn. Nic. non novitatem ſed antiquitatem jurium* Metropoliticorum *indicant. Antiqua Conſuetudo pro lege habenda eſt.*

II. *Privilegia à Syn. Nic. nonnullis Eccleſiis aſſerta, Metropolitica erant. Quænam illa fuerunt. Ex iis antiquitas Canonis hujus Apoſtolici evincitur.*

III. *Horum ſupra illos Epiſcopos præſidentia, è Synodis de Paſchâ habitis demonſtratur. Singulæ iſtæ Synodi ſuos habebant præſides. Quare* Palma Amaſtridis *Epiſcopus Synodo Ponticæ præerat, cum* Heraclea *iſtius provinciæ metropolis eſſet.*

IV. Cæſarea *Metropolis erat* Palæſtinæ: *hinc Epiſcopus Cæſarienſis Hieroſolymitano præfertur: illique à Syn. Nic. jura ſua Metropolitica confirmantur, huic conſequentiâ tan'um honoris indultâ.*

V. *Quare in* Palæſtinâ *duo, in aliis Synodis unus præſediſſe dicatur, ut* Victor *Romanæ. Metropoliticarum, non item aliarum ſedium, Epiſcopi nominatim ab hiſtoricis recenſentur.*

VI. Lugdunum *Galliæ Metropolis erat. Quid vox* παροικία *antiquitus ſignificârit?* Irenæus Lugdunenſis *totius Galliæ primas erat. Quare Synodi in* Oſroenâ *habitæ nullus præſes nominatur.*

VII. Epheſus *Aſiæ Proconſularis Metropolis fuit. Hinc* Polycrates *Epheſinus omnibus Aſiæ Epiſcopis præerat. Unde Metropolitanorum antiquitas aſſeritur: necnon ex* Ignatii & Dionyſii Corinthiaci *ſcriptis.*

VIII. *Africa etiam ſuum Metropolitanum habuit, Epiſcopum* Carthaginienſem. *Quam lata fuerit ejus provincia. Triplex vocis* Africæ *ſignificatio. Ut* Numidia & Mauritaniæ *Africæ adjectæ ſunt.* Carthago *omnium Africæ provinciarum Metropolis.*

IX. *Aliæ in Africâ erant Metropoles & primæ Sedes, ab Epiſcoporum ordinatione denominatæ. Unde ſingulare Afris cenſuræ genus.*

X. D. Cypriani *tempore, is ut Epiſcopus*

piſcopus Carthaginenſis omnibus Africæ, Numidiæ, & Mauritaniæ *Epiſcopis præerat, quod ex ipſius Epiſtolis probatur.*

XI. *Hinc colligitur tribus primis ſeculis Metropolitanos in univerſâ Eccleſiâ conſtitutos eſſe, quorum jura à Syn. Nic. aſſeruntur.*

XII. *Romanum Imperium initio Evangelij in provincias diſtributum fuit, quæ ſingulæ ſingulos habebant præſides. Ad hanc Imperij diſpoſitionem Apoſtolos in Eccleſiâ propagandâ reſpexiſſe è variis Scripturæ locis probatur.*

XIII. *Idem ex Epiſtolis* D. Pauli *ad provincias Metropoles aut Metropolitanos omnibus miſſis, demonſtratur.*

XIV. *Item è* Synodo Hieroſolymitanâ *ab Apoſtolis habitâ: necnon ex Actis Apoſtolorum,* & *D. Johannis Apocalypſi.*

XV. *Quare Apoſtoli ſummam* Metropoleon *curam habuerunt? Hinc Metropolitanorum primatum ab Apoſtolis manâſſe aſſeritur: licet non particularia eorum privilegia.*

XVI. *Nonnullæ Eccleſiæ honorem præ aliis habuerunt, ut ab ipſis Apoſtolis fundatæ. Sed illæ niſi Metropoles eſſent, aliis ſubjectæ ſunt. Quod è Synodis* Nicænâ, *Antiochenâ,* & Taurinenſi *probatur. E præmiſſis Canon Apoſt. XXXIV. vindicatur.*

XVII. *Metropolitanus jure primus eſt ubique gentium Epiſcopus,* & *ſpeciatim in Anglia: ut cujus Metropolis erat* Cantuaria, *cum primo ad fidem converſa eſt.*

XVIII. *Metropoles in Eccleſiæ notitiâ ſemper eædem. Imperij mutationibus non ſubjectæ. Quod è Canonibus* & *Actis Syn. Chalced. probatur.*

XIX. *In Eccleſiâ Anglicanâ* Cantuaria *juxta* Syn. Chalced. *Decretum, primatum ſemper obtinuit: licet* Lichefelda & Londinum *eum ſibi nonnunquam vendicarint: De Archiflaminibus nihil in antiquitate occurrit. Hodie non conſtat quænam olim fuerit Britannorum Metropolis.*

XX. *Controverſia inter Archiep.* Cantuarienſem & Eboracenſem *aliûs erat generis,* & *cito Sedata.*

XXI. *Hujus diſſertationis Epilogus.*

I. PRIMUS, ſecundus, tertiuſque ſupra triceſimum Canonem Apoſtolicum, nihil plane ſtatuunt, quod vel ipſis Domini Apoſtolis indigum ſit, vel ab eorum ætate alienum. Quibus propterea intactis, Dallæus ad triceſimum quartum ſe convertit; ſic habentem, τοὺς Ἐπισκόπους ἑκάστου ἔθνους εἰδέναι χρὴ τὸν ἐν αὐτοῖς πρῶτον, καὶ ἡγεῖσθαι αὐτὸν ὡς κεφαλὴν, καὶ μηδέν τι πράττειν περιττὸν ἄνευ τῆς ἐκείνου γνώμης.

ἐκεῖνα δὲ μόνα πράττειν ἕκαστον, ὅσα τῇ αὐτοῦ παροικίᾳ ἐπιβάλλει, καὶ ταῖς ὑπ' αὐτὴν χώραις, ἀλλὰ μηδὲ ἐκεῖνος ἄνευ τῆς πάντων γνώμης ποιείτω τι. *Epiſcopos uniuſcujuſque gentis noſſe oportet eum qui in iis primus eſt, & exiſtimare ut caput, & nihil facere quod magni ſit momenti præter illius ſententiam: ſed ea ſola facere unumquemque, quæ ad ſuam parœciam pertinent, & ad pagos qui ei ſubſunt, ſed nec ille ſine omnium ſententiâ aliquid agat.* Ho: Canone, inquit Dallæus, Epiſcoporum Metropolitanorum jura conſtituuntur, quorum (præterquam quod nullum in veris ac indubitatis Apoſtolorum monumentis apparet veſtigium) illud etiam novitatem confirmat, quod Nicæna Synodus hæc iſtorum jura & ad conſuetudinem referat, & ſecundum eam conſtituat, τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω, *Antiqui mores obtineant.* Nulla Apoſtolicæ vel autoritatis, vel legis meminit. Dall. de Pſeudep. lib. 3. cap. 17. pag. 624, 625. Novum ſane ac inauditum argumentum! Synodus Nicæna Metropolitanorum jura τὰ ἀρχαῖα ἔθη *antiquos mores.* vocavit: ergo erant nova, ſic enim argumentatur vir doctus, novitatem eorum ex iſtis univerſalis Synodi verbis confirmans. Quibus contrarium prorſus diſertiſſimè aſſeritur, τὰ ἀρχαῖα ἔθη, inquit Synodus, κρατείτω τὰ ἐν Αἰγύπτῳ, καὶ Λιβύῃ, καὶ Πενταπόλει, ὥστε τὸν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ Ἐπίσκοπον πάντων τούτων ἔχειν ἐξουσίαν. ἐπειδὴ καὶ τῷ ἐν τῇ Ῥώμῃ Ἐπισκόπῳ τοῦτο συνηθές ἐστιν. ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις τὰ πρεσβεῖα σώζεσθαι ταῖς Ἐκκλησίαις: *Antiqui mores ſerventur qui ſunt in Ægypto, Libyâ, & Pentapoli, ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium poteſtatem habeat: quandoquidem & Epiſcopo Romano hoc eſt conſuetum. Similiter & in Antiochiâ, & in aliis provinciis ſua privilegia Eccleſiis ſerventur,* Syn. Nic. Can. VI. Quibus ſane verbis nihil de novo conſtituitur, ſed tantum antiqua illa privilegia, quæ nonnullæ Eccleſiæ ante hominum memoriam obtinuerant, Oecumenicæ Synodi autoritate iiſdem confirmantur. Unde luculentiſſimè conſtat, Romanam, Alexandrinam, Antiochenam aliaſque nonnullas Eccleſias ſua quæque jura ac privilegia longe ante primam univerſalem Synodum ſibi conceſſa habuiſſe: adeo ut licet Sedes Patriarchicæ nondum eſſent, nec Metropoliticæ vocarentur, Primæ tamen Sedes aliarum iis inferiorum reſpectu & vocarentur, & eſſent. Quod aliunde non opus eſt probemus quam ex hoc ipſo Patrum Nicænorum Canone, ut quo nonnullarum ſupra alias Eccleſias privilegia, eaque antiqua aſſeruntur. Nihil etiam moramur, quod ea ἔθη hic appellentur, dummodo ἀρχαῖα ſint. Nam *diuturna conſuetudo pro jure, & lege in his quæ non ex ſcripto deſcendunt, obſervari ſolet,* ut ait Ulpianus, L. 33. F. de legibus, & Hermogenianus, *Sed & ea quæ longâ conſuetudine comprobata ſunt, velut tacita civium conventio,*

ventio, non minus quam ea quæ ſcripta ſunt, jura ſervantur, ibid. L. 35. Cum itaque conſuetudines à Patribus Nicænis memoratæ, antiquæ ſint, & diuturnæ, jure merito ab iiſdem hic confirmantur, & quidem ſub *antiquarum conſuetudinum* nomine, ut omnibus pateret, eos nihil novi in Eccleſiam induxiſſe, nec alia Eccleſiis quibuſvis privilegia aſſeruiſſe, quam quæ majores ipſorum iiſdem conceſſerant.

II. Privilegia autem hoc Nicæno Canone Eccleſiis quibuſdam aſſerta, Metropolitica erant, talia ſcilicet quæ Metropolitani, in ſuâ quiſque provinciâ, ſibi vendicare ſolent. Hoc ex ipſo Canone conficitur, ut de Provinciis iiſque ſolis agente. Καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις, inquit, ἐπαρχίαις. Verum inter omnes conſtat ἐπαρχίας ſive *Provincias* proprias eſſe Metropolitanorum, in veteris ſaltem Eccleſiæ notitiâ. Quin hoc etiam è proximis Canonis verbis evincitur. Cùm Patres enim antiqua ſua jura ſive Privilegia ſingulis Provinciis atque Eccleſiis aſſeruiſſent, protinus ſubjiciunt, Καθόλου δὲ πρόδηλον ἐκεῖνο, ὅτι εἴ τις χωρὶς γνώμης τοῦ μητροπολίτου γένοιτο Ἐπίσκοπος, τὸν τοιοῦτον ἡ μεγάλη σύνοδος ὥρισε μὴ δεῖν εἶναι Ἐπίσκοπον. *Illud autem eſt omnino manifeſtum, quod ſi quis abſque Metropolitani ſententiâ factus ſit Epiſcopus, eum magna Synodus definivit non debere eſſe Epiſcopum.* Ac ſi dixiſſent, cum antiqua ſua privilegia ſingulis Provinciis conſervata eſſe velimus, hoc cuique manifeſtum eſt, ut nemo Epiſcopus ordinetur in aliquâ Provinciâ ſine Metropolitani ejuſdem ſententiâ. Unde certiſſimè colligitur, eos nec de Patriarchis, nec de ſingularibus Epiſcopis hic agere, ſed de Metropolitanis, qui totis Provinciis præerant. Quibus propterea confirmatio omnium in Provinciâ ſuâ Epiſcoporum Ordinationis ab iiſdem Patribus Nicænis Canone quarto adſtruitur; ubi cum decreverant, Epiſcopum ab omnibus qui ſunt in Provinciâ, vel ſaltem à tribus præſentibus, & abſentibus quoque ſuffragium ſuum ſcripto ferentibus, conſtituendum eſſe, addunt, τὸ δὲ κῦρος τῶν γινομένων δίδοσθαι καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν τῷ μητροπολίτῃ. Præter hoc, magnum ſane privilegium, ſingulis Metropolitanis ſummâ Synodi omnium celeberrimæ autoritate, & quidem ex antiquâ conſuetudine confirmatum, in eorum etiam poteſtate ſitum fuit, in mores ac opiniones Epiſcoporum ſibi ſubjectorum inſpicere, omnes Provinciæ ſuæ Epiſcopos ad Synodos ſub ſe celebrandas convocare, cauſas inter Epiſcopos ſuos litigantes determinare, aliaque omnia Eccleſiaſtica negotia, quæ majoris momenti eſſent, & ad totam Provinciam pertinerent, adminiſtrare. Quæ cum omnes Metropolitani in poteſtate ſuâ antiquitùs habuiſſent, eadem hoc etiam Nicæno Canone iis confirmata ſunt. Adeo ut ſi aliud non ſuppeteret argumentum, quo Canonem Apoſtolicum, omnes Epiſcopos ſine primo ſuo nihil quod magni ſit momenti, facere jubentem, cum Eccleſiaſticâ primitivæ Ec-

cleſiæ diſciplinâ convenire probemus, hic ipſe Canon Nicænus illud extra dubium ponat. Cùm enim inter ἀρχαῖα ἔθη hic recenſeatur, ut Epiſcopus Alexandrinus & alij ſimiliter Metropolitani ἐξουσίαν habeant in ſuis quique Provinciis, adeo ut ſine ipſis nullus Epiſcopus jure & Canonicè ordinari poſſit, nemini dubium eſſe poteſt, quin multis ante hanc Synodum annis, in unaquàque gente ſive Provinciâ, unus aliquis eſſet Epiſcopus qui primus diceretur, reliquiſque aliquo modo præſideret, ut Metropoli ſive primariæ civitati Provinciæ præfectus, vel ob aliam aliquam rationem reliquis prior & ſuperior factus.

Sed quoniam hujus rei dilucidatio non modo ad præſentem Canonem Apoſtolicum vindicandum, verumetiam ad univerſam Eccleſiæ primitivæ diſciplinam enucleandam quam plurimum conferet, paulo fuſius eam proſequemur. Et ex vetuſſimis quæ habemus Eccleſiæ monumentis atq; hiſtoriis manifeſtum faciemus, etiam tribus prioribus Chriſtianiſmi ſeculis, ac proinde ante Synodum Nicænam, Epiſcopos cujuſque gentis alicui inter ſe primo ſive Primati ſubjectos fuiſſe, qui plerunque is erat qui Metropoli ejuſdem præſidebat; ſine quo reliquarum urbium Epiſcopi nihil magni momenti, ſed ea ſola quæ ad ſuam cujuſque parœciam ſpectabant, facere conſueti ſunt: juxta quod à præſenti Canone Apoſtolico ſancitum eſt. Etiamſi enim pauca tantum iſtorum ſeculorum commentaria nobis conſervata ſint, in iis tamen quæ extant, haud obſcura veteris hujuſce primatûs veſtigia videre eſt.

III. Primo itaque aliqualem nonnullorum ſupra alios Epiſcoporum primatum videre licet è Synodis illis, quæ de Paſchali feſtivitate ſecundo labente ſeculo celebratæ ſunt. Enimvero Synodo in Palæſtinâ de iſtâ controverſiâ habitæ præſidebant Theophilus Cæſarienſis & Narciſſus Hieroſolymitanus; Romanæ Victor Romanus; Ponticæ Palma Amaſtridis Epiſcopus, & Gallicanæ Irenæus Lugdunenſis, ut ex Euſebio diſcimus, dicente, φέρεται δὲ εἰσέτι νῦν τῶν κατὰ Παλαιστίνην τηνικάδε συγκεκροτημένων γραφὴ, ὧν προὐτέτακτο Θεόφιλος τῆς ἐν Καισαρείᾳ παροικίας ἐπίσκοπος, καὶ Νάρκισσος τῆς ἐν Ἱεροσολύμοις· καὶ τῶν ἐπὶ Ῥώμης δὲ ὁμοίως ἄλλη περὶ τοῦ αὐτοῦ ζητήματος, ἐπίσκοπον Βίκτορα δηλοῦσα· τῶν δὲ κατὰ Πόντον ἐπισκόπων, ὧν Πάλμας ὡς ἀρχαιότατος προὐτέτακτο· καὶ τῶν κατὰ Γαλλίαν δὲ παροικιῶν, ἃς Εἰρηναῖος ἐπεσκόπει. Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 5. cap. 23. Hic in genere obſervetur velim, ſingulas haſce Synodos ſuos habuiſſe Præſides, ab Euſebio nominatim memoratos: qui etiam rationem reddidit, quare unus eorum, nempe Palmas, reliquis ejuſdem Provinciæ præerat, quoniam ſcilicet *omnium eſſet Antiquiſſimus*, ὧν Πάλμας, inquit, ὡς ἀρχαιότατος προὐτέτακτο. Quo autem ſenſu hoc accipiendum ſit, incertum eſt, utrum ſcilicet de æ-

tate,

tate, an de ordinatione, vel etiam de ſede ejus Epiſcopali intelligatur. Palmas enim ὁ ἀρχαιότατος dici potuit, vel quod inter omnes Ponti Epiſcopos ille maximus natu eſſet, vel quod primus Epiſcopus ordinatus, vel denique quod ſedes ejus ante alias facta eſſet Epiſcopalis. Conſtat ſaltem eum Metropolitanum non fuiſſe. Heraclea enim omnium in Ponto urbium Metropolis erat. Palma autem non Heracleæ ſed Amaſtridis erat Epiſcopus:ut patet è Dionyſij Corinthiorum Epiſcopi Epiſtolâ ad Eccleſiam Amaſtrianorum & cæteras Eccleſias Ponti ijſdem diebus ſcriptâ, quâ Epiſcopum ipſorum Palmam nominatim appellat. Ἐπίσκοπον, inquit Euſebius, αὐτῶν ὀνόματι Πάλμαν ὑποσημαίνων. Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 4. cap. 23. Unde etiam locus conjecturæ datur, Palmam ut ſolum hic nominatum & Dionyſij diebus, hoc eſt paulo ante Synodos iſtas, primum in Ponto Epiſcopum fuiſſe: Heracleâ forſitan Epiſcopum non habente. Et hinc eſt quod ratio quidem reddatur, quare Palma Ponticæ, nulla autem quare reliqui Epiſcopi una cum eo memorati, ſuæ quiſque Synodo, præſidebant. Nimirum quod ille Synodo Ponticæ præerat tantum ὡς ἀρχαιότατος, reliqui autem Synodis ſub ſe habitis tanquam Metropolitani. Nam Theophilus Cæſarienſis, Victor Romanus, & Irenæus Lugdunenſis, ſedibus Metropoliticis potiti ſunt; ſiquidem Roma Italiæ, Cæſarea Palæſtinæ, & Lugdunum Galliæ tunc temporis Metropolis erat. Ac propterea nominatis Epiſcopis qui iſtis urbibus præfecti ſunt, non neceſſe erat ut alia redderetur ratio,quare Synodis quique ſuis præſiderent. Hoc enim abunde ſatis ex eo conſtabat,quod urbium Metropoliticarum Epiſcopi eſſent, quibus in Eccleſiæ pariter atque in Imperij notitiâ primatus ſemper attributus fuit. Quem etiam Epiſcopis illis memoratis attributum eſſe nemo dubitet,cum illi non modo Epiſcopos, ut ſtatim videbimus, ad Synodos convocarent, ſed & convocatis præſiderent, ut ex hâc ipſâ harum Synodorum hiſtoriâ patet.

IV. Ut de his autem ſingulis, eo quo ab Euſebio diſponuntur, ordine, pauca diſſeramus; Synodo in Palæſtinâ habitæ Theophilus Cæſarienſis & Narciſſus Hieroſolymitanus Epiſcopus præſediſſe perhibentur: & primo quidem Cæſarienſis, deinde Hierſolymitanus: ille ut Metropolitanus, hic ut celeberrimæ ſedis Epiſcopus. Enimvero licet Hieroſolyma, priuſquam everſa eſſet, Palæſtinæ Metropolis erat, eâ tamen everſâ,Cæſarea Metropolis à Veſpaſiano creata fuit, propterea quod maxima tunc civitas eſſet, ipſeque *in eâ poſt Judaicas victorias Imperator adſcriptus eſt*, ut ait Juſtinianus novel. 103. Ab iſthoc itaque tempore Cæſarea totius Palæſtinæ, primæ ſaltem, qua ſita eſt Hieroſolyma, Metropolis fuit, & *Judææ caput*, ut à Tacito vocatur, Hiſt. lib. 2. cap. 79. Cùm hæc igitur urbs ad hunc honorem evecta fuiſſet, Epiſcopi in eâ poſtea conſtituti, reliquis Palæſtinæ Epiſcopis prælati ſunt, & primi omnium

habiti::

habiti: uſque adeo ut etiamſi Hieroſolyma ipſius Servatoris noſtri ſedes eſſet, & religio noſtra ex iſthoc loci in univerſum terrarum orbem derivata fuerit, Cæſareæ nihilo ſecius ut Metropoleos Epiſcopus, Hieroſolymitano per multa ſecula præpoſitus fuit. Quo honore Patres Nicæni eum privare noluerunt. Sed cum Epiſcopus, ut videtur, Hieroſolymitanus de dignitate ſibi ob ſedem ſuam debitâ contenderit, illi litem hoc modo definierunt, Ἐπειδὴ συνήθεια κεκράτηκε, καὶ παράδοσις ἀρχαία, ὥς τὸν ἐν Αἰλίᾳ ἐπίσκοπον τιμᾶσθαι, ἐχέτω τὴν ἀκολουθίαν τῆς τιμῆς, τῇ μητροπόλει σωζομένου τοῦ οἰκείου ἀξιώματος. *Quoniam obtinuit conſuetudo & antiqua traditio, ut qui eſt in Ælia Epiſcopus honoretur, habeat honoris conſequentiam, Metropoli propriâ dignitate ſervatâ.* Syn. Nic. Can. VII. Tantam habuerunt ſanctiſſimi illi Patres ſedium Metropoliticarum earumque dignitatis curam! Negare non potuerunt, quin magnus Æliæ ſive Hieroſolymæ Epiſcopo honor debeatur: ſed nihilominus, cùm non ea ſed Cæſarea eſſet Provinciæ Metropolis, non ſimpliciter honorem, ſed tantum ἀκολουθίαν τῆς τιμῆς *conſequentiam honoris*, proximum nimirum poſt Metropolitanum ei confirmant. Et ne hæc ipſorum verba ad alienum ſenſum torquerentur (quod ab iis factum eſt, qui de honore Patriarchali hic ſtabilito ſomniant) cauti ſtatim ſubjungunt, τῇ μητροπόλει σωζομένου τοῦ οἰκείου ἀξιώματος. Suam itaque dignitatem Metropolitano Cæſarienſi integram conſervant: & Epiſcopo Hieroſolymitano nihil aliud concedunt, niſi ut is proximo poſt illum honore fruatur. Idque eo tantum nomine, quod conſuetudo & antiqua traditio id poſtularet. Ut igitur in præcedenti ſive ſexto Canone nihil novi conſtituunt, ſed tantum τὰ ἀρχαῖα ἔθη Alexandrino, Romano, Antiocheno aliiſque Metropolitanis confirmant, ſic & hoc Canone nullum novum ſed tantum priſtinum ejus honorem Epiſcopo Hieroſolymitano ratum faciunt: eum ſcilicet quem ex antiquâ conſuetudine obtinuerat. Cujus antiquæ conſuetudinis illuſtre habemus exemplum in antiquâ hâc Synodo ab Epiſcopis Palæſtinæ centum triginta plus minus annis ante Nicænam celebratâ, ut cui præſidebant, primo quidem Theophilus Cæſarienſis tanquam Metropolitanus, & poſt eum Narciſſus Hieroſolymitanus Epiſcopus. Adeo ut ille dignitatem Metropoliticam & primum in conſeſſu locum, hic ἀκολουθίαν τῆς τιμῆς poſt eum haberet. Unde etiam apparet, Cæſarienſem Metropolitanum primum fuiſſe iſtius gentis Epiſcopum, & juxta præſentem Canonem tanquam caput exiſtimatum. Si is enim ipſi Hieroſolymitano, multo magis aliis Palæſtinæ Epiſcopis, prælatus eſt.

V. Quid in iſtâ Palæſtinæ Synodo actum fuit, Euſebius ex Epiſtolâ Synodicâ collegit, quæ ejus ætate extabat, Theophili Cæſarienſis & Narciſſi Hieroſolymitani nomina ſibi præfixa habens. Hoc honore ſoli Hieroſolymitano

mitano ex omnibus Palæſtinæ Epiſcopis conceſſo, & à Synodo Nicænâ poſtea confirmato, ut cum Metropolitano nominaretur, licet ipſe nec Metropolitanus eſſet, nec ullam Metropoliticam autoritatem exercere poſſet. In aliis autem locis ubi nulla fuit ſedes tali honore digna, Metropolitanus non modo primus ſed & ſolus Conciliis præſidebat, & literæ Synodicæ ejus ſolius nomine conſignatæ ſunt, ut è Synodicâ Romani Concilii patet, Victoris ſolius nomen præferente. Καὶ τῶν, inquit Euſebius, ἔτι Ῥώμης δὲ ὁμοίως ἄλλη περὶ τοῦ αὐτοῦ ζητήματος, ἐπίσκοπον Βίκτορα δηλοῦσα. *Alia item extat Epiſtola Synodi Romanæ de eâdem quæſtione, cui Victoris Epiſcopi nomen præfixum eſt.* Et quidem in omni Italiâ uſque ad Victorem, & aliquanto poſtea, etiamſi plurimi haud dubie eſſent, vix ulli tamen nominatim memorantur uſpiam Epiſcopi, præterquam Romani: ac ſi illi non ſolum primi, ſed & ſoli eſſent totius Provinciæ Epiſcopi. Quod etiam non de eâ ſolâ, ſed & de aliis ſedibus Metropoliticis obſervare licet. Ut enim Romanæ, ſic & Alexandrinæ ac Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcoporum ſucceſſiones ab ipſis Apoſtolorum temporibus recenſitas habemus, non item aliarum, niſi forſitan Hieroſolymitanæ, quæ licet non Metropolitica eſſet, proximum tamen poſt Metropoliticas honorem ſibi jure vendicavit. Nulla autem cauſa dici poteſt, cur magnarum harum urbium & Metropoleon Epiſcopi, aliis prætermiſſis, tantâ cum laude toties commemorarentur, niſi quod illi primi erant, in ſuâ quiſque Eccleſiâ, Epiſcopi. Nonnulli fateor inferiorum ſedium Epiſcopi memoriæ ſubinde traduntur, ut Polycarpus Smyrnæ, Melito Sardianus, & Apollinaris Hieropolitanus Epiſcopus. Horum autem mentio eo tantum nomine inducta eſt, quod doctorum eſſent librorum & commentariorum autores, & acerrimi religionis Chriſtianæ aſſertores. Romani autem, Alexandrini, & Antiocheni Epiſcopi omnes nominatim recitantur, etiamſi plerique eorum nihil planè ſcriptis mandauerint, nec quid amplius fecerint, quam illi aliarum ſedium Epiſcopi, quorum nec nomina nobis tranſmiſſa ſunt. Quod quidem eo tantum factum videtur, quod illi aliis ſuperiores eſſent, & provinciarum Primates. Quibus propterea major quam aliis honor ab ipſis Hiſtoriographis jure perhibetur.

VI. Porro Synodo Gallicanæ iſtis diebus habitæ Irenæus Lugdunenſis præerat. Ita Euſebius loco ſupra laudato, Καὶ τῶν κατὰ Γαλλίαν παροικιῶν ἃς Εἰρηναῖος ἐπεσκόπει, *Epiſtola quoque parœciarum Galliæ extat, quibus præerat Irenæus.* Quem Lugdunenſem fuiſſe Epiſcopum neminem latet. Succeſſit autem in iſto Epiſcopatu Pothino, qui anno ætatis nonageſimo cum Gallicanis martyribus cæſus eſt. Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 5. cap. 5. Lugdunum autem Metropolim fuiſſe Galliæ tum alij tum ipſe Euſebius teſtatur, qui de Galliâ loquens ait, ἧς μητροπόλεις ἐπίσημοι καὶ παρὰ τὰς

ἄλλας τῆ αὐτόθι διαφέρουσαι βεβόηνται Λούγδουνος καὶ Βιέννη. *In hâc duæ præ cæteris inſignes & præſtantes Metropoles celebrantur, Lugdunus & Vienna.* Ibid. cap. 1. Non opus eſt hic diſſeramus de antiquis Galliarum diviſionibus, quibus primo diſtributæ ſunt, in quatuor partes, Narbonenſem, Aquitanicam, Lugdunenſem & Belgicam: & poſtea in quatuordecim provincias ſubdiviſæ: neque etiam de Galliæ Lugdunenſis diviſione in primam & ſecundam. Irenæi enim diebus Univerſa Gallia uſquequaque extenſa in Eccleſiæ ſaltem notitiâ Lugduno tanquam Metropoli ſubdita erat, omneſque in eâ Epiſcopi illius Civitatis Epiſcopo ſubjecti. Hoc exinde primo docemur, quod cum graviſſima iſta de Paſchæ celebrandæ die controverſia agitaretur, quâ tota Eccleſia iſtis temporibus exercitabatur, cúmque Concilium de eâdem in Galliâ haberetur, omnes haud dubie Epiſcopi ibidem conſtituti ad illud celebrandum conveniebant, ut de communi Eccleſiæ cauſâ acturi. At omnibus in iſto Concilio congregatis Irenæus Lugdunenſis præſidebat. Quod fieri non potuit, niſi is inter eos primus fuiſſet. Adhæc in verbis Euſebij ante laudatis Irenæus omnes Galliæ parœcias adminiſtraſſe dicitur. τῆ κατὰ Γαλλίαν, inquit, παροικιῶν ἃς Εἰρηναῖος ἐπισκόπει. Verumenimvero vox παροικία *parœcia* in antiquis Eccleſiæ ſcriptoribus & canonibus Conciliorum territorium ſedem ſive ditionem ad Epiſcopum pertinentem perpetuo ſignificat: quo ſenſu hodie vox *diœceſis* à nobis vulgo uſurpatur, adeo ut unuſquiſque Epiſcopus ſuam haberet παροικίαν, quam Epiſcopali autoritate gubernabat. Ita uſitatur hæc vox hoc ipſo Canone Apoſtolico, quem ſub manibus habemus, necnon Antiocheno IX. aliiſque quamplurimis, & ab ipſo Euſebio ſexcentis in locis, ubicunque ſcilicet occurrit, ut in ipſo hiſtoriæ Eccleſiaſticæ initio, ubi ſe deſcripturum ait, quot quantæque res in Eccleſiâ geſtæ fuerant, καὶ ὅσοι ταύτης διαπρεπῶς ἐν ταῖς μάλιστα ἐπισημοτάταις παροικίαις ἡγήσαντο τε καὶ προέστησαν. *Et qui præſertim in celeberrimis ejuſdem parœciis præfuerunt, & præſederunt.* Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 1. cap. 1. Ubi per ἐπισημοτάτας παροικίας celeberrimas illas intelligit ſedes Epiſcopales Romanam, Alexandrinam, Antiochenam, & Hieroſolymitanam, quarum omnes Epiſcopos ab ipſis Apoſtolorum temporibus recenſet. Sed ne longius à propoſito digrediar, in loco ſupra citato, ipſam ſedem, ſive, ut ita loquar, Epiſcopatum Lugdunenſem παροικίαν vocat. Εἰρηναῖος, inquit, τῆς κατὰ Λούγδουνον, ἧς ὁ Ποθεινὸς ἡγεῖτο, παροικίας τὴν ἐπισκοπὴν διαδέχεται. *Irenæus Lugdunenſis, cui Pothinus præfuerat, parœciæ adminiſtrationem ſuſcipit.* Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 5. cap. 5. ubi ἡ κατὰ Λούγδουνον παροικία nihil aliud ſignificare poteſt, quàm ſedem Epiſcopalem Lugduni, quam Irenæus poſt Pothinum à Polycarpo illuc miſſum

adminiſtravit. Irenæus autem præter hanc Lugdunenſem,cui ut Epiſcopus præfuit, alias etiam παροικίας ſibi ſubjectas habuit, ut patet è verbis ſupra allatis, καὶ τῶν κατὰ Γαλλίαν δὲ παροικιῶν, ἃς Εἰρηναῖος ἐπεσκόπει. Plurium autem parœciarum aggregatio ἐπαρχία *provincia* dicitur, Metropolitano ſive primati ſubdita. Proinde Irenæus ut parœciæ Lugdunenſis reſpectu ſingularis eſſet Epiſcopus,ſic ut aliis parœciis, quæ ſingulæ ſingulos habuerant Epiſcopos, Prælatus, Metropolitanus erat proprie ſic dictus. Cúmque αἱ κατὰ Γαλλίαν παροικίαι in genere, nullâ exceptâ,Irenæo ſubjectæ perhibeantur, is proculdubio primus erat totius gentis Gallicanæ Epiſcopus, qualis hoc Canone Apoſtolico intelligitur. Quod denique ex alio Euſebij loco evincatur, ubi de admonitione à pluribus Epiſcopis ad Victorem Romanum miſſâ verba faciens ait, ἐν οἷς καὶ ὁ Εἰρηναῖος ἐκ προσώπου ὧν ἡγεῖτο κατὰ τὴν Γαλλίαν ἀδελφῶν ἐπιστείλας. *Ex quorum numero Irenæus in Epiſtolâ quam ſcripſit nomine fratrum quibus præerat in Galliâ.* Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 5. cap. 24. Hinc enim conſtat Irenæum univerſis Galliæ Epiſcopis, quos fratres appellavit, præfuiſſe, ſive primatem eorum fuiſſe. Qui propterea omnium eorum ut ſibi ſubditorum nomine literas haſce ad Victorem conſcripſit. Quo quidem illius ſupra reliquos primatus luculentiſſime demonſtratur.

Præter quatuor has Synodos, primam ſcilicet in Palæſtinâ ſub Theophilo Cæſarienſi & Narciſſo Hieroſolymitano, alteram, Romanam ſub Victore, tertiam, Ponticam ſub Palma, & quartam, Gallicanam ſub Irenæo Lugdunenſi, in hâc cauſâ celebratas, Euſebius quintam addit in Oſroenæ provinciâ habitam, cujus literæ Synodicæ tunc dierum circumferebantur. ἔτι δὲ τῶν, inquit, κατὰ τὴν Ὀσροηνὴν καὶ τὰς ἐκεῖσε πόλεις, *Eccleſiarum etiam in Oſdroenæ provinciâ & urbibus regionis illius conſtitutarum literæ viſuntur.* Euſeb.Hiſt.Eccl.lib.5. cap. 23. Hic autem nullus memoratur Concilij præſes: propterea ſcilicet quod hujus Synodi Epiſtolæ nullius nomen præfixum erat. Unde colligere eſt, quicquid Euſebius de antiquis hiſce Synodis Scripſit, è Synodicis ipſarum epiſtolis aſſumptum fuiſſe: quæ omnes præſidentium Epiſcoporum nomina ſibi inſcripta habuere præter hanc unicam in Oſroenæ provinciâ congregatam. Cujus provinciæ cum Edeſſa, ut opinor, Metropolis eſſet, iſtius Epiſcopus aliorum in illa regione Epiſcoporum Synodo tanquam Metropolitanus præſediſſe videtur. Nihil ſaltem dubij eſſe poteſt, quin hæc etiam Synodus aliquem præſidem habuerit, ut ſine quo nec convocari nec conſiſtere potuit.

VII. Quæ de nonnullarum Eccleſiarum ſupra alias in primitivâ Eccleſiâ primatu è Synodis iſtis,quæ Paſchalem feſtivitatem die dominico peragendam eſſe decreverant, hucuſque commentati ſumus, dilucidiora pa-

riter atque fortiora evadent, ſi Synodum etiam Aſianam iis omnibus in hâc controverſiâ oppoſitam perpendamus. Hujus hiſtoriam Euſebius his verbis introducit, τῶν δὲ ἐπὶ τῆς Ἀσίας ἐπισκόπων τὸ πάλαι πρότερον αὐτοῖς παραδοθὲν διαφυλάττειν ἔθος χρῆναι διισχυριζομένων, ἡγεῖτο Πολυκράτης. *Epiſcopis vero Aſiæ, qui morem ſibi à majoribus traditum retinendum eſſe acriter contenderunt, Polycrates præerat.* Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 5. cap. 24. At Polycrates ille Epheſi erat Epiſcopus, ut è capite XXII. ejuſdem libri diſcimus. Κορίνθου δὲ, inquit, τῆς κατ' Ἑλλάδα κατὰ τοὺς αὐτοὺς χρόνους ἐπίσκοπος ἦν Βάκχυλος, καὶ τῆς ἐν Ἐφέσῳ παροικίας Πολυκράτης. Porro Epheſus Aſiæ Proconſularis Metropolis erat etiam Antonini Auguſti ætate. Ulpianus, *Quædam provinciæ etiam hoc habent, ut per mare in eam provinciam proconſul veniat, ut Aſia ſcilicet, uſque adeo ut Imperator noſter Antoninus Auguſtus ad deſideria Aſianorum reſcripſit, proconſuli neceſſitatem impoſitam per mare Aſiam applicare,* καὶ τῶν μητροπόλεων Ἔφεσον, *id eſt, & inter matrices urbes Epheſum primam attingere.* L. 4. ff. de officio proconſulis & legati. Hinc itaque conſtat quare Polycrates omnibus Aſiæ Epiſcopis præeſſet, nimirum quoniam ille metropoleos erat Epiſcopus, atque ideo totius provinciæ primas. Quæ cum ampla eſſet provincia, ille quam plurimos ſibi ſubjectos habuit Epiſcopos, quos omnes ille ſolus ad Synodos convocabat, ut ipſe teſtatur in Epiſtolâ, quam ad Victorem & ad Romanæ urbis Eccleſiam conſcripſit, ubi ait, Ἐδυνάμην δὲ τῶν ἐπισκόπων τῶν συμπαρόντων μνημονεῦσαι, οὓς ὑμεῖς ἠξιώσατε μετακληθῆναι ὑπ' ἐμοῦ, καὶ μετεκαλεσάμην, ὧν τὰ ὀνόματα ἐὰν γράφω, πολλὰ πλήθη εἰσί. *Poſſem etiam Epiſcoporum qui mecum præſentes ſunt, facere mentionem, quos vos petiiſtis ut à me convocarentur, & convocavi. Quorum nomina ſi adſcripſero, ingens numerus videbitur.* Apud Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 5. cap. 24. En Epheſini Metropolitani in univerſos Aſiæ Proconſularis Epiſcopos primatum, ab ipſo Victore & Eccleſiâ Romanâ agnitum! Hi enim ab eo petierunt, ut ipſe eos convocaret. Quo quidem hoc in ejus poteſtate ſitum eſſe palam & aperte confeſſi ſunt. Quinetiam ipſe Polycrates omneſque Aſiæ Epiſcopi idem ſibi perſuaſum habuerunt. Ille enim eos Metropoliticâ ſuâ autoritate convocavit, & hi ab eo convocati morem protinus geſſerunt. Præſentes enim aderant, cum hanc ille Epiſtolam ſcribebat, ut è verbis allatis conſtat. Quod igitur antiquo hoc Canone definitum eſt, Epiſcopi Aſiani religioſe admodum tunc temporis obſervabant. Nam primum ſive primatem ſuum agnoſcebant, eumque ut caput exiſtimabant. Quod liquido demonſtrat, hunc Canonem iſtis diebus, hoc eſt, ſecundo labente ſeculo, obtinuiſſe, atque ideo horum ſupra alios Epiſcopos primatum, non novitium eſſe, ſed longe ante ipſam Nicænam Synodum introductum, & ab ipſis Eccleſiæ primordiis inſtitutum.

tum. Quod luculentius adhuc evincitur ex Epiſtola Dionyſii Corinthiorum Epiſcopi ad Eccleſias Cretæ miſſa, utpote quæ inſcripta eſt, τῇ Ἐκκλησίᾳ τῇ παροικούσῃ Γόρτυνα, ἅμα ταῖς λοιπαῖς κατὰ Κρήτην Ἐκκλησίαις. *Eccleſiæ Gortynam incolenti, & reliquis ſimul Cretæ Eccleſiis.* Apud Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 4. cap. 23. Enimvero Gortyna Metropolis erat Cretæ, ut inter omnes conſtat. Dionyſius itaque ad Eccleſiam Gortynæ ſolam nominatim mittens, eam cæteris Cretæ Eccleſiis prælatam eſſe indicat. Quam etiam ob cauſam ex omnibus Cretæ Epiſcopis Dionyſius ſolum Philippum Gortynenſem commendat, quod Eccleſia Cretæ tam egregiam fortitudinis laudem retuliſſet, ut Euſebius ibidem tradidit. Unde totam iſtam inſulam Philippi Gortynenſis curæ commiſſam eſſe, ipſumque proinde primum fuiſſe inter omnes Cretæ Epiſcopos certiſſimè conficitur. Quibus omnibus addi poteſt, quod S. Ignatius Epiſcopus Antiochenus in Epiſt. ad Romanos ſe τὸν ἐπίσκοπον Συρίας vocat, cujus dicendi cauſa nulla videtur, niſi quod Antiochia Syriæ Metropolis eſſet, adeo ut Epiſcopus Antiochiæ, totius etiam Syriæ Epiſcopus, & aliis ejuſdem provinciæ omnibus prælatus eſſet.

VIII. E præmiſſis videre eſt, Metropoleon & celebriorum civitatum Epiſcopos in Europâ pariter atque Aſiâ aliqualem in provinciales ſuos Epiſcopos primatum habuiſſe, iiſque prælatos fuiſſe, priuſquam ducenti à Chriſti nativitate anni effluxiſſent. Reliquum eſt, ut eundem morem in alterâ etiam orbis terrarum parte tunc temporis notâ, Africâ ſcilicet, iiſdem fere diebus obtinuiſſe oſtendamus. Quamobrem D. Cyprianum conſulamus neceſſe eſt, utpote ex quo fere ſolo conſtitutionem vetereſque Eccleſiæ Africanæ ritus dignoſcere poſſimus. Hic autem de baptizandis iis qui ab hæreticis ad Eccleſiam veniunt, loquens, *Multi*, ait, *jam anni ſunt, & longa ætas, ex quo ſub Agrippino bonæ memoriæ viro convenientes in unum Epiſcopi plurimi hoc ſtatuerint.* Cyprian. Epiſt. 73. ad Jubajan. Multis igitur annis & longâ ætate ante D. Cyprianum, Epiſcopi Africani ab Agrippino Carthaginienſi Epiſcopo & primate ad Synodum convocati ſunt, quam ſub eo celebrarunt. Cui propterea aliquo ſaltem modo ſubditi fuerunt. Sanctus autem Cyprianus ante tertium adultum ſeculum claruit, ſedem Carthaginienſem adeptus. Synodum itaque ab eo memoratam, ut ſub Agrippino multis ante annis habitam, eodem ineunte, ſi non & præcedenti ſeculo, convocatam fuiſſe extra dubium eſt. Quantam autem provinciam ſibi ſubjectam habuerit Agrippinus & poſt eum D. Cyprianus, ut Epiſcopus Carthaginienſis, ex ipſius verbis potentiſſime evincatur, quem ſcilicet latere non potuit, quænam ipſe ſuiq; in eâdem Eccleſiâ deceſſores privilegia habuerint. Verumenimvero ille Synodum iſtam ſub Agrippino ex Africæ & Numidiæ Epiſcopis coactam eſſe ſcribit; *Quod quidem & Agrippinus*, inquit, *bonæ memoriæ vir*, *cum*

cum cæteris coepiſcopis ſuis, qui illo tempore in provinciâ Africâ & Numidiâ Eccleſiam Domini gubernabant, ſtatuit. Cyprian. Ep. 71. ad Quint. Et alibi de provinciâ ſibi ut Epiſcopo Carthaginienſi ſubditâ verba habens, dicit, *Sed quoniam latius fuſa eſt noſtra provincia, habet enim Numidiam & Mauritanias duas ſibi,* Africæ ſcilicet proprie ſic dictæ, *cohærentes.* Id. Epiſt. 45. ad Cornel. Et quod hic aſſerit, facto comprobavit in Synodo illâ congregandâ, quæ hæreticos baptizandos eſſe decrevit. Sic enim incipiunt Acta ejuſdem Concilij, *Cùm in unum Carthagini convenissent, Kalend. ſept. Epiſcopi plurimi ex provinciâ Africâ, Numidiâ, & Mauritaniâ cum Presbyteris & Diaconibus.* Epiſcopi autem tunc temporis congregati plures quam LXXX. numerantur.

Verum quo D. Cypriani verba clarius intelligantur, tenendum eſt, Africæ nomen triplici olim modo uſitatum fuiſſe, ſtrictè, latius, & latiſſimè. Africa ſtrictè & proprie ſic dicta, unam duntaxat provinciam denotat; illam ſcilicet quæ Zeugitana à Plinio dicitur, cujus Metropolis erat Carthago. Latiùs ſumpta totum illum terræ tractum ſignificat, qui à freto Herculeo ſive Gaditano uſque ad regionem Cyrenaicam Ægypto adſcriptam porrectus eſt, & Romano imperio ſub eo nomine ſubjectus. Quo ſenſu à Patribus, Imperatoribus, & Juriſconſultis plerunque ſumitur. Latiſſimè pro tertiâ orbis terrarum parte uſurpatur à Geographis, & ubicunque Europæ vel Aſiæ opponitur, quam Arabes tamen non Africam, ſed ارض المغرب *terram occidentis* perpetuo vocant. Illis autem per افريقية *Afrikiam* (quomodo eam ab incolis vocari obſervat Leo Africanus) & per بلاد افريقية *Provinciam Afrikiæ* non niſi propria intelligitur Africa, quam à deſerto برقة *Barcæ* ad بونة *Buna,* urbem ſive Hipponem, cui S. Auguſtinus præfuit, computant.

Africam ſive Libyam proprie ſic dictam Romani ſuo, victis Carthaginienſibus, imperio primo ſubdiderunt, eamque ſolam in iſtâ orbis parte aliquandiu tenuerunt. Quo factum eſt, ut cum alias etiam circumjacentes, eaſque ampliſſimas regiones ſubegiſſent, eas omnes Africæ primo devictæ nomine nuncuparint. Hinc Africa latius ſumpta in primâ Imperij notitiâ omnes iſtas regiones à Romanis ſubditas comprehendit, nimirum has quatuor, Africam propriam, Numidiam, Mauritaniam, Tingitanam, & Mauritaniam Cæſarienſem, quas omnes Ptolomæus quarto Geographiæ libro deſcripſit. Priuſquam autem à Romanis ſubjiceretur, Mauritania unum tantum regnum fuerat. Poſtea vero in duas partes diviſa eſt, quarum una Tingitana ab urbe Tingi, hodie *Tangier* dictâ, regionis olim capite, altera Cæſarienſis à Cæſare cognominata eſt. Hanc Mauritaniæ diviſionem Dio aſcribit Claudio, *Claudius* inquit, *Mauros diviſit in eos qui ad Tingin, & qui ad Cæſaream, unde & nomina habent,*

habent, & duobus equitibus præpoſitis eos permiſit. Dio. lib. 60. Plinius autem C. Caligulæ, dicit enim *Principio terrarum Mauritaniæ appellantur, uſque ad Caium Cæſarem Germanici filium regna, ſævitiâ ejus in duas diviſæ provincias.* Plin. Nat. Hiſt. lib. 5. cap. 1. Julius Solinus duas haſce Mauritanias deſcribit, Polyhiſt. cap. 28. Verum haud longo poſt tempore ambæ Mauritaniæ uni præſidi à Galbâ commiſſæ ſunt; Tacitus, *Iiſdem diebus acceſſiſſe partibus utramque Mauritaniam, interſecto Procuratore Albino, nuncij venere. Luceius Albinus à Nerone Mauritaniæ Cæſarienſi præpoſitus, additâ per Galbam Tingitanæ provinciæ adminiſtratione, haud ſpernendis viribus agebat.* Tacit. Hiſt. lib. 2. cap. 58. Ab eo uſque tempore ad Tertulliani ætatem ambas Mauritanias ab uno Præſide adminiſtratas, atque ita in unam iterum conflatas fuiſſe provinciam, ex eodem conſtat dicente, *Nam & nunc à Præſide legionis, & à Præſide Mauritaniæ vexatur hoc nomen.* Tertul. ad Scap. cap. 4. Hinc itaque eſt quod Tertulliani diebus, & aliquanto poſtea Africa ut latius ſumpta, in tres partes diſtributa fuerit, Africam κυρίως dictam ſive Proconſularem, Numidiam, & Mauritaniam. Poſtea, fateor, cum Romanæ provinciæ de novo diſpoſitæ erant, Africanus ille tractus in ſex provincias civiles diviſus eſt, quæ ſic numerantur, Proconſularis, ubi eſt Carthago, Numidia, Byzacium, Tripolis, & duæ Mauritaniæ, hoc eſt, Sitifenſis & Cæſarienſis. Hæc autem diviſio facta eſt avulſis Byzacenâ & Tripolitanâ à provinciâ Africâ propriè ſic dictâ. Nam Byzacium & Tripolis antiquitus ad Africam pertinebant: Et Mauritaniam Sitifenſem ab urbe Sitiphi ſic dictam, à Numidiâ diſtractam fuiſſe fidem facit Collectio Canonum Eccleſiæ Africanæ, quorum XVII. ſic habet, *Placuit ut Mauritania Sitifenſis, ut poſtulavit, primatem Numidiæ, ex cujus cœtu ſeparatur, ſuum habeat primatem, quem conſentientibus omnibus primatibus provinciarum Africanarum, vel omnibus Epiſcopis, propter longinquitatem habere permiſſa eſt.* Ubi verba iſta *à cujus cœtu ſeparatur* clariſſimè oſtendunt, Mauritaniam iſtam Sitifenſem ad Numidiam antea pertinuiſſe, & iſtis fere temporibus ab eâ ſeparatam eſſe. Unde patet, quod in novâ hâc diſpoſitione, etiamſi numerus provinciarum augeretur, nihil tamen Africæ latiùs ſumptæ additum fuit, nec aliquid detractum, niſi forſitan Mauritania Tingitana, quam Rufus in breviario quinque aliis Hiſpaniarum provinciis adjectam fuiſſe obſervat, de quâ re non eſt quod nos laboremus, cum hæc diviſio poſt D. Cypriani tempora facta fuerit.

Ex hiſce inter ſe collatis facile cuivis eſt obſervare, quare D. Cyprianus duas Mauritanias provinciæ ſuæ cohærere aſſerat, cum in Actis Concilij ſub ipſo habiti una tantum Mauritania memoretur: propterea nimirum quod duæ eſſent regiones, ſed iſtis diebus ab uno Præſide adminiſtra-

tæ,

te, atque ideo una tantum provincia: Item quare dicat *Numidiam & duas Mauritanias ſuæ provinciæ cohærere*, eo ſcilicet quod Africa proprie ſic dicta, qua ſita eſt Carthago, prima fuiſſet in iſtis partibus Romanorum provincia, cui Numidia & Mauritania poſtea adjectæ ſunt. Quapropter ut in notitiâ Imperij Provincia Carthaginienſis *Proconſulem* habuit, qui vice ſacra judicabat, unde ea ſola *Proconſularis* provincia dicta eſt; reliquæ autem provinciæ præfecto Prætorio, aut vicario ejus parebant; ſic etiam in notitiâ Eccleſiæ, inter omnes Africæ provincias, Carthaginienſis, ut Proconſularis, primatum habebat, adeo ut Epiſcopus ei præpoſitus, non ſolum iſtius provinciæ, ſed & Numidiæ & Mauritaniæ primas eſſet. Unde Eccleſia Carthaginienſis totius Africæ latius ſumptæ caput dicatur à S. Auguſtino, ſic enim intelligenda ſunt hæc ejus verba dicentis, *Quod Lucillæ pecuniâ corruptus Epiſcopus in Carthaginenſi Eccleſiâ, in Africæ capite, altare contra altare levatum eſt*, Aug. Epiſt. 162. ad Gloriam.

IX. Non me fugit, in aliis etiam præter Carthaginienſem Africæ provinciis & Metropoles aliquando fuiſſe & primas ſedes, ac proinde tam Metropolitanos quam Primates. Hoc enim è Codice Canonum Eccleſiæ Africanæ edocemur. Exortâ enim inter Epiſcopos Numidiæ quæſtione ubi Matriculæ ſive Regeſta iſtius provinciæ ſervari debeant, definitum eſt, ut & in primâ ſede & in Metropoli Conſtantinâ conderetur. Sic enim Canon LXXXVI. ejuſdem Codicis habet, *Deinde placuit omnibus Epiſcopis, qui in hoc Concilio ſubſcripſerunt, ut Matricula & Archivus Numidiæ & apud primam ſedem ſit & in Metropoli, id eſt Conſtantinæ.* Ubi prima ſedes à Metropoli aperte diſtinguitur. Et hoc quidem Eccleſiæ Africanæ proprium fuit & peculiare; quod præter Metropolitanum ſive Metropoleos Epiſcopum, quæque provincia ſuum etiam Primatem haberet, cœteris provinciæ Epiſcopis prælatum, non ob ſedis dignitatem, ſed quod ipſe ante reliquos Epiſcopus ordinatus fuerat: cujus propterea ſedes eo tantum nomine *Prima* dicta eſt, quod Epiſcopus, qui eam poſſidebat, alios omnes ejuſdem provinciæ ordinationis tempore anteibat. Hinc licet Metropoles fixæ eſſent, & ſemper eædem, primæ tamen ſedes vagæ erant ac deſultoriæ, nunc hæc, nunc illa, prout Epiſcopos poſt ordinationem iis diutius præſidere contigit. Inter omnes enim cujuſq; provinciæ Epiſcopos, is qui primus conſecratus fuerat, aliorum primus dictus eſt, & ſedes ejus totius prouinciæ prima. Hoc ſenſu in collectione Canonum Africanorum, Nicetius dicitur Epiſcopus primæ ſedis Mauritaniæ Sitifenſis, & Xantippus Epiſcopus primæ ſedis Numidiæ. Can. LXXXV. LXXXVI. Qui quidem Xantippus ſenex ſæpe appellatur, ut Can. XCI. C. alibique. Hinc ortum habuit ſingulare illud Afris cenſuræ genus, quo Epiſcopus, licet non Epiſcopatu, illius tamen primatus obtinendi jure depoſitus eſt, adeo ut etiamſi tamdiu viveret, ut ordinationis reſpectu primus iſtius

pro-

provinciæ Epiſcopus eſſet, illum tamen primatum aliorum ad inſtar habere non poſſit. Hujus cenſuræ generis S. Auguſtinus meminit, & Priſcum quendam eo affectum docet, *Clamet*, inquit, *Priſcus provinciæ Cæſarienſis Epiſcopus*, *aut ad Primatum locus ſicut cæteris & mihi patere debuit*, *aut Epiſcopatus mihi remanere non debuit*, Aug. Epiſt. CCLXI. Quæ quidem obſervatio quamplurimis ejuſdem ſanctiſſimi Patris, necnon Gregorij M. & Africanarum præſertim Synodorum locis lucem haud exiguam feret.

X. Veruménimvero iſta Epiſcoporum ad provinciæ ſuæ primatum ordine ſuccedentium conſuetudo, ut nullibi præterquam in Africâ obtinuit, ſic & ibidem poſt D. Cypriani tempora, imo quidem poſt noviſſimam illam Africæ latius ſumptæ in ſex provincias diſtributionem introducta eſt. Nam ante Conſtantini M. imperium nulla hujuſce ritus veſtigia in omni antiquitate apparent. Cum nos itaque de tribus prioribus Chriſtianiſmi ſeculis agamus, nihil moramur, quot, quantive primates in Eccleſiam Africanam poſtea invecti ſunt. Præſertim cùm quotcunque fuerint, Epiſcopo Carthaginienſi eos omnes ſubjectos fuiſſe, adeo certum ſit & omnibus notum, ut nihil certius, nihil notius eſſe poſſit, niſi hoc fortaſſe, quod D. Cyprianus Africæ non modo propriè ſed & latiùs ſumptæ Primas fuit & Metropolitanus. De hoc enim nihil plane eſt quod dubitemus, cum ipſe conceptis verbis aſſeveret, non tantum Africam ſtricte dictam ſive Proconſularem, verumetiam Numidiam & duas Mauritanias ei cohærentes, ad ſe pertinere, E quibus quatuor provinciis totus Africanus tractus Imperio Romano unquam ſubjectus, conſtitit. Cùm autem in ſingulis hiſce provinciis quamplurimi iſtis etiam diebus Epiſcopi eſſent, quibus omnibus D. Cyprianus, ut Epiſcopus Carthaginienſis præfuit, eoſque ad Synodos ſub ſe habitas ſæpe convocavit, nemo negare poteſt, quin is primus iſtius gentis Epiſcopus jure appelletur, talis ſcilicet de quo hoc Canone Apoſtolico decernitur, ut reliqui ejuſdem gentis Epiſcopi eum agnoſcant, & tanquam caput exiſtiment, nihilque quod magni ſit momenti præter ejus ſententiam faciant. Quod quidem ab Epiſcopis Africanis religioſiſſime obſervatum eſt, quippe qui Primatem ſuum, D. Cyprianum Carthaginienſem de omnibus Eccleſiaſticis, majoris ſaltem momenti, quæ emergebant, negotiis conſulere, ejuſque ſententiam expectare conſueti ſunt. Sic Fidus unus ex Epiſcopis ei ſubjectis conſilium ejus exquiſivit de Presbytero quodam, cui antequam plenam pœnitentiam egiſſet, pax à Therapio Epiſcopo conceſſa eſt, necnon de infantibus, utrum intra ſecundum vel tertium diem quo nati ſunt, annon potius poſt octavum diem, baptizandi ſint. Cyprian. Epiſt. LIX. ad Fid. Euchratius Epiſcopus Thenarum, eum, ut Patris ipſius verbis utar, *conſulendum exiſtimavit* de hiſtrione quodam, qui in ejuſdem adhuc artis ſuæ dedecore perſeverabat, an communicare cum aliis debeat. Cui D. Cyprianus

nus hæc inter alia reſcripſit, *Puto nec majeſtati Divinæ, nec Evangelicæ diſciplinæ congruere, ut pudor & honor Eccleſiæ tam turpi & infami contagione fœdetur.* Id. Epiſt. LXI. Januarius & cæteri Epiſcopi Numidiæ ſententiam D. Cypriani interrogarunt, vel, ſi cum ipſo loquar, *conſulendum eum pro communi dilectione exiſtimarunt* de hæreticis baptizandis. Id. Epiſt. LXX. De eadem quæſtione conſilium ejus adhibuit etiam Jubajanus Epiſcopus Africæ, Epiſt. LXXIII. Necnon Quintus Epiſcopus in Mauritaniâ, Epiſt. LXXI. ut aliis autem hujuſmodi exemplis, quæ in D. Cypriani Epiſtolis paſſim occurrunt, ſuperſedeamus, Rogatianus Epiſcopus à Novâ, in Mauritaniâ Tingitanâ, Diaconum quendam habuit, qui ipſum contumeliis & injuriis affecerat: Eum Rogatianus Epiſcopali ſuâ autoritate coercere potuit; ſed nihilominùs priuſquam ipſe in eum animadverteret, Primatis ſui D. Cypriani ſententiam rogavit, qui Epiſtolam ſuam ad eum reſcriptam his verbis incipit, *Graviter & dolenter commoti ſumus ego & collegæ mei qui præſentes aderant, frater chariſſime, lectis literis tuis, quibus de Diacono tuo conqueſtus es, quod immemor Sacerdotalis loci tui, & officij ac miniſterij ſui oblitus contumeliis & injuriis ſuis te exacerbaverit. Et tu quidem honorificè circa nos & pro ſolitâ tuâ humilitate feciſti, ut malles de eo nobis conqueri, cum pro Epiſcopatus vigore & cathedræ autoritate haberes poteſtatem, quâ poſſis de illo ſtatim vindicari. Certus quod collegæ tui omnes gratum haberemus, quodcunque circa Diaconum tuum contumelioſum Sacerdotali poteſtate feciſſes, habens circa hujuſmodi homines præcepta divina.* Cyprian. Epiſt. LXV. Ex his verbis conſtat Rogatianum à Diacono ſuo contumelioſo Epiſcopoli ſuâ autoritate debitas pœnas exigere potuiſſe, ſed maluiſſe tamen ad Primatem ſuum de eo conqueri; quod itaque honorificè circa ipſum & pro ſolitâ humilitate ab eo factum notat D. Cyprianus. Ac ſi dixiſſet, *Etiamſi Eccleſiaſtica diſciplina requirat, ut nihil, quod magni ſit momenti, & ad totam provinciam ſpectat, nobis inconſultis aggrediaris, nihil tamen vetuit, quo minus de tuo ipſius Diacono injuriis te exacerbanti, propriâ tuâ Epiſcopi autoritate vindictam ſumeres. Quod itaque de illo etiam ad me conqueſtus es, hoc ſolitæ tuæ humilitati acceptum refero, quâ ſcilicet noſtro in hanc provinciam primatui tantum attribuere ſoles, ut nullum Eccleſiaſticum negotium nec in tuâ ipſius parœciâ ſine noſtro conſilio adminiſtrare velis.* Unde liquet, quantum honorem Epiſcopi Africani Metropolitano ſuo & Primati Carthaginienſi tunc temporis perhiberent.

XI. Qui vetuſta primitivæ Eccleſiæ monumenta quâ par eſt diligentiâ atque animi æquitate legit, plura hujuſmodi argumenta inveniet, quæ ordinem inter ipſos Epiſcopos religioſe obſervatum, unumque in unaquâque Provinciâ cæteris prælatum eſſe, longe ante Synodi Nicænæ tempora fidem pleniſſimam facient. Hæc autem quæ hactenus adduximus, præſenti

præſenti Apoſtolico vindicando Canoni ſufficiant, utpote è quibus aliqualem nonnullorum ſupra alios Epiſcopos primatum & prærogativam ſecundo tertioque æræ Chriſtianæ ſeculo in omnibus tunc dierum cognitis orbis terrarum partibus, Europâ dico, Aſiâ & Africâ, obtinuiſſe, clariſſime conficitur. Qualia fuerunt jura ac privilegia, quæ Primates iſti ſibi vendicabant, non opus eſt hic diſputemus. Ex iis autem quæ diſſeruimus ſatis abunde conſtat, in eorum poteſtate ſitum fuiſſe collegas ſuos ſive comprovinciales Epiſcopos ad Eccleſiaſticas Synodos celebrandas convocare, iiſdemque præſidere. Et ſiquidem Concilium Nicænum quarto ineunte ſeculo coactum, eodem, quo antiquas conſuetudines in ſingulis provinciis ſervandas decrevit, Canone, decernat etiam neminem pro Epiſcopo habendum eſſe, qui præter vel citra Metropolitani ſententiam ordinatus eſt, nihil dubij eſſe poteſt, quin hæc etiam conſuetudo antiquitus obtinuiſſet, ut τὸ κῦρ☉, ſive confirmatio ordinationis Epiſcoporum penes provinciæ cujuſque Metropolitanum ſive primatem eſſet. Nemo enim ſibi perſuadeat, Patres Nicænos aliquid novi eodem in loco definiiſſe, quo τὰ ἀρχαῖα ἔθη ſervari definiunt. Iſta autem Synodus ex omnibus, Romani ſaltem imperij, provinciis congregata eſt; quam propterea latere non potuit, quinam ritus moreſque per univerſam Eccleſiam recepti fuiſſent, & longâ conſuetudine corroborati. Ignorare ſaltem non potuerunt, quomodo Eccleſiæ, ad quas ipſi pertinebant, adminiſtratæ fuerant, nec quomodo ipſi ordinati, & à quo ipſorum ordinatio confirmata eſt. Ipſi autem conſtituunt neminem Epiſcopum habendum eſſe, qui ſine Metropolitano factus eſt. Quo quidem decreto ſe etiam Epiſcopatu dejeciſſent, niſi primas ſuus aut Metropolitanus ordinationem cujuſque confirmâſſet; vel ei ſaltem aſſenſum ſuum præbuiſſet. Iſte itaque Canon Nicænus non modo decernit quid in futurum de hâc re faciendum ſit, ſed oſtendit etiam quid antea factum fuerat, ac uſitatum, idque in univerſo terrarum orbe, omnibuſve provinciis è quibus convocata eſt iſta Synodus. Et hoc itaque privilegium, quod ſane ſingulare eſt, & eximium, antiquis provinciarum primatibus haud dubie conceſſum eſt, ut ſe inconſultis, vel ordinationem improbantibus, vel etiam non confirmantibus, nullus Epiſcopus in ſuâ cujuſque provincia ordinari poſſit. Quod præſenti quoque Canoni Apoſtolico præciſè concinit, quo ſcilicet cautum eſt, ut Epiſcopi cujuſque gentis primum ſuum ſive primatem cognoſcant, nihilque quod magni ſit momenti, qualis eſt ordinatio Epiſcoporum, ſine ejus ſententiâ faciant.

Sed mirari ſubeat, nec quidem immerito, quâ tandem ratione hæc conſuetudo in Eccleſiam primo introducta ſit, ut licet Epiſcopatus ubique gentium unus idemque ſit, unus tamen in unaquâque provinciâ Epiſcopus cæteris præeſſet, & majorem quam reliqui autoritatem haberet. Hoc

ſane ordinationis, quâ fit Epiſcopus, virtute nemo ſibi vendicare poteſt, quippe quâ omnes æqualem poteſtatem curamque ſibi commiſſam habent. Quod ſi Concilia generalia & vetuſtiora Eccleſiæ ſtatuta conſulamus, nihil prorſus de primâ hujus conſuetudinis inſtitutione, vel etiam initio, in iis inveniemus. Incœpta eſt enim vel inſtituta, priuſquam univerſalia Concilia celebrari cœperint, quæ propterea eam nuſquam inſtituunt, ſed prius inſtitutam ubique ſupponunt, & ſuâ demum autoritate confirmant. Quod ad antiquiores autem Canones ſpectat, longe ante primam univerſalem Synodum conſtitutos, nullos habemus præter Apoſtolicos, quibus ulla primatus hujus mentio occurrit. Quin nec in ipſis etiam Apoſtolicis uſpiam memoratur, præterquam in præſenti Canone: Quo tamen non decernitur, ut in unaquaque gente unus Epiſcopus eſſet Primus, ſed ut omnes cujuſque gentis Epiſcopi τὸν ἐν αὐτοῖς πρῶτον, *illum qui in iis primus eſt*, cognoſcant, & tanquam caput exiſtiment. Ubi propterea pro conceſſo ſumitur, quotcunque in ullâ gente Epiſcopi erant, unum inter eos primum fuiſſe, ſive Primatem, eundemque reliquorum caput eſſe, atque ita proinde ab illis exiſtimandum. Nulla itaque primæ hujuſce rei inſtitutionis veſtigia videre eſt, quam nihilominus ab ipſis Eccleſiæ primordiis ubique gentium obtinuiſſe pro comperto habemus. Quapropter vix dubitare licet, quin aliquo ſaltem modo ad ipſos Apoſtolos referatur, qui ſi non ipſi hunc primatum inſtituerunt, inſtituendo tamen viam ſtraverunt apertiſſimam.

XII. Enimvero cum fides Evangelica, ſummâ Dei miſericordiâ ac benignitate, humano generi promulganda erat, à Divinâ Providentiâ ita comparatum eſt, ut permagna pars orbis terrarum tunc dierum cogniti, uni imperio, Romano ſcilicet, ſubeſſet, quo facilior ſalutifero hominibus Evangelio diſſeminando aditus patefieret. Totum autem imperium Romanum, quantum quantum erat, in certas quaſdam provincias diſtributum fuit. Singulæ porro provinciæ ſuos habebant Præſides, à quibus adminiſtrabantur. Hi ſummam poſt Principem, in ſuâ quiſque provinciâ poteſtatem exercebant. Ulpianus, *Præſes Provinciæ majus imperium in eâ provinciâ habet omnibus poſt principem.* L. 4. ff. de officio Præſid. Adeo ut totius cujuſque provinciæ cura Præſidi ejuſdem commiſſa eſſet, ut è citato Digeſtorum titulo abunde conſtat. Quin ſingulæ etiam Provinciæ ſuas habebant *matrices*, ut vocantur, *civitates*, ſive Metropoles, in quibus Præſides, aliique ſub iis magiſtratus cauſas civiles audire, & judicare ſolebant: ad quas propterea multo crebrior & frequentior erat populi concurſus quam ad alias quaſcunque ejuſdem Provinciæ urbes: adeo ut cæteræ cujuſque provinciæ civitates à Metropoli ſuâ quodammodo pendere viderentur.

Cum

Cum Apoſtoli itaque cœlitus evocati & adjuti, Eccleſiæ à Chriſto fundatæ per univerſum terrarum orbem propagandæ operam navarent, imperium Romanum, ubi religio Chriſtiana multo citius faciliuſque quam apud rudiores gentes ſuſcepta eſt, ita diſpoſitum invenientes, omnes ejuſdem provincias ſingillatim peragrabant, & ubicunque aliquos ad fidem Chriſtianam converterant, Eccleſiam ibidem inſtituebant, ab iſtâ provinciâ denominatam, in quâ conſtituta eſt, vel à primariâ aliquâ ejuſdem civitate. Hieroſolymis, quæ iſtis diebus nondum deleta, Provinciæ Palæſtinæ Metropolis erat, & Judææ caput, Eccleſia prima fundata eſt, quæ propterea Eccleſia Hieroſolymitana dicitur, Ἡ ἐκκλησία ἡ ἐν τοῖς ἱεροσολύμοις, Act. VIII. 1. Cap. XI. 22. Sic etiam Eccleſia in Antiochiâ Syriæ Metropoli memoratur, Act. XIII. 1. Et alia in Corintho Metropoli Achaiæ, 1 Cor. I. 1. 2 Cor. I. 1. Adhæc D. Paulum Syriam & Ciliciam peragrâſſe legimus Eccleſias confirmantem, Act. XV. 41. Necnon Galatiam & Phrygiam, Cap. XVIII. 23. Syria, Cilicia, Galatia & Phrygia quatuor erant provinciæ imperio Romano ſubditæ. Proinde Eccleſiæ, quas D. Paulus ibi confirmâſſe dicitur, iſtæ haud dubie erant, quæ in illis provinciis conſtitutæ fuerant, quæque ab aliis quibuſcunque Eccleſiis per provincias, in quibus conſtitutæ ſunt, apertiſſimè diſtinguuntur. Idem Apoſtolus in Epiſtolis Eccleſias à provinciis, in quibus fundatæ erant, ſæpe cognominat; memorat enim Eccleſias Galatiæ, 2 Cor. XVI. 1. Eccleſias Aſiæ, 2 Cor. XVI. 19. Eccleſias Macedoniæ, 2 Cor. VIII. 1. Eccleſias Judææ, Gal. I. 22. 1 Theſſal. II. 14. Hoc eſt, Eccleſias in iſtis provinciis conſtitutas, quarum Metropoles erant, Galatiæ quidem Ancyra, Aſiæ Epheſus, Macedoniæ Theſſalonica, & Judææ Hieruſalem. Quinetiam ſub Macedoniæ & Achaiæ nomine Eccleſias iſtarum provinciarum comprehendit. Rom. XV. 26. Unde Apoſtolos ad civilem imperii Romani diſpoſitionem in Eccleſiâ propagandâ reſpectum habuiſſe conſtat. Alioquin enim Eccleſias à ſe fundatas, provinciarum, in quibus erant, nomine non nuncupâſſent.

XIII. Qualem præterea quantumque provinciarum reſpectum habuerit D. Paulus in Eccleſiis ab ipſo aliiſque conſtituendis, ex Epiſtolis, quas ad eaſdem ſcripſit, clarius adhuc eluceſcet: utpote quas omnes vel ad provinciam in genere, vel ad Metropolim, aut principalem in eâ civitatem, vel denique ad Epiſcopum ejuſdem miſit. Primo enim, ut eodem quo vulgo collocantur ordine de iis diſſeramus, ad Romanos ſcripſit, hoc eſt ad omnes fideles qui non modo in ipſâ urbe Româ, ſed & in totâ iſtâ provinciâ erant, cujus cura Præfecto urbi commiſſa eſt: qui quidem civilem exercuit poteſtatem non tantum intra urbem, ſed & extra urbem in Italiâ, ut ex Epiſtolâ Severi ad Fabium Cilonem præfectum urbi miſſâ docet Ulpianus, L. 1. ff. de Offic. præfect. urb. Quicquid ſaltem intra

cen-

centeſimum lapidem, vel centeſimum ab urbe uſquequaque milliarium, admiſſum eſt, ad Præfecti urbi curam pertinebat, ut ibidem affirmatur. Quicunque igitur intra hoſce limites in Italiâ degebant, Romani dicti ſunt. Cùm Apoſtolus itaque ad Romanos ſcribit, omnes intelligit Chriſtianos, qui in Provinciâ, ut ita loquar, præfecti urbi Romæ converſi erant, ac proinde hanc Epiſtolam ad iſtam ut ab aliis provinciis diſtinctam miſit. Ad Corinthios duas conſcripſit Epiſtolas, quarum primam inſcripſit, τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ τῇ οὔσῃ ἐν Κορίνθῳ. Alteram autem hoc modo, Παῦλος Ἀπόστολος Ἰησοῦ Χριστοῦ διὰ θελήματος Θεοῦ, καὶ Τιμόθεος ὁ ἀδελφὸς, τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ τῇ οὔσῃ ἐν Κορίνθῳ, σὺν τοῖς ἁγίοις πᾶσι τοῖς οὖσιν ἐν ὅλῃ τῇ Ἀχαΐᾳ. 2 Cor. I. 1. Corinthus Metropolis erat Achaiæ. Scribit igitur Apoſtolus ad Corinthios quidem, ſed eâ cautione adhibitâ, ut Epiſtola non ſolum ad eos, verum etiam ad omnes fideles, qui in eâdem provinciâ, Achaiâ ſcilicet, erant, dirigatur. Et iſtis igitur diebus Achaia Eccleſiaſtica erat provincia ſub Eccleſiâ Metropolitanâ conſtituta, Corinthiacâ nimirum, quam propterea Apoſtolus ſolam nominat. Porro Galatia provincia erat Romana. Quapropter Apoſtolus ad Galatas ſcribens, Epiſtolam ſuam inſcripſit, ταῖς ἐκκλησίαις τῆς Γαλατίας, *Eccleſiis Galatiæ.* Ad totam itaque provinciam & ad ſingulas in eâ Eccleſias ſcripſit, cujus Metropolis erat Ancyra, ut Epheſus Aſiæ Proconſularis: Ad quam propterea provinciam cum Apoſtolus Epiſtolam ſcriberet, eam ad Epheſios, ſive ad fratres in Metropolitanâ Eccleſiâ miſit. Scripſit etiam ad Philippenſes, incolas magnæ in Macedoniâ civitatis, quæque prima erat urbs illius partis Macedoniæ, ut ait S. Lucas, Act. XVI. 12. Ad Coloſſenſes etiam in Phrygiâ ſcripſit, τοῖς, inquit, ἐν Κολασσαῖς ἁγίοις, Cap. I. 2. Hæc permagna erat præclaraque Phrygiæ civitas, quæ majori, ut videtur, fidelium multitudine quam cæteræ ejuſdem provinciæ urbes abundabat, à quâ propterea ad alios in eâdem provinciâ Chriſtianos Apoſtolica hæc Epiſtola faciliùs tranſmitti potuit. Et quod ad Philippos rurſum ſpectat, etiamſi ea non eſſet totius Macedoniæ Metropolis, Theſſalonica erat, ad cujus incolas fide Chriſtianâ imbutos, Apoſtolus duas conſcripſit Epiſtolas, utramque inſcribens τῇ ἐκκλησίᾳ Θεσσαλονικέων, *Eccleſiæ Theſſalonicenſium*, quam etiam per Dominum adjurat, ut prima Epiſtola *omnibus ſanctis fratribus legatur*, 1 Theſſal. V. 27. hoc eſt, non ſolum iſtius urbis ſed & totius provinciæ Macedoniæ fratribus, in quos fraternum Theſſalonicenſium amorem commendat, Cap. IV. 10.

Epheſum Aſiæ Proconſularis Metropolim fuiſſe, ante à nobis obſervatum eſt. Timotheum hujus urbis Epiſcopum à D. Paulo creatum eſſe Patres conſentiunt, Τιμόθεός γε μὴν τῆς ἐν Ἐφέσῳ παροικίας ἱστορεῖται πρῶτος τὴν ἐπισκοπὴν εἰληχέναι, *Timotheus Eccleſiæ Epheſinæ Epiſcopatum primus*

mus accepiſſe dicitur. Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 3. cap. 4. In Actis Concilij Chalcedonenſis XXVII. Epiſcopi à Timotheo ad iſtud tempus Epheſi ordinati dicuntur. Ἀπὸ τοῦ ἁγίου Τιμοθέου μέχρι νῦν εἰκοσιεπτὰ ἐπίσκοποι ἐγένοντο, πάντες ἐν Ἐφέσῳ ἐχειροτονήθησαν. Act. Concil. Chalced. II. Ipſe etiam D.Paulus ſe curam Eccleſiæ Epheſinæ Timotheo commiſiſſe affirmat, 1 Tim. I. 3. eumque propterea docet, quales Epiſcopos & Diaconos ordinare debeat, Cap.III. monetque, ne accuſationem contra Presbyterum admittat, niſi ſub duobus tribusve teſtibus, 1 Tim. V. 19. E quibus verbis S. Chryſoſtomus recte obſervat Timotheum non tantum Epheſinæ, ſed & totius Aſianæ Eccleſiæ curam ſibi concreditam habuiſſe, Δῆλον, inquit, δὲ ἐστιν ἐντεῦθεν, ὅτι ἐκκλησίαν λοιπὸν ἦν ἐμπεπιστευμένος ὁ Τιμόθεος, ἢ καὶ ἔθνος ὁλόκληρον τὸ τῆς Ἀσίας· διὸ καὶ περὶ Πρεσβυτέρων αὐτῷ διαλέγεται. Chyſoſt. in 1 Tim. λογ. ιε. Hinc itaque apparet, quare D. Paulus has Epiſtolas ad Timotheum Epheſinum Epiſcopum, eumque ſolum direxerit, etſi complures alij in eâdem provinciâ Epiſcopi non modo à Timotheo, verum etiam ab ipſo Apoſtolo ordinati eſſent, nimirum quod is Metropoli totius provinciæ ſive gentis præfectus erat, atque ideo primus inter eos Epiſcopus. Idem dicendum eſt de Epiſtolâ ad Titum: Quem totius inſulæ Cretæ primatem fuiſſe, ſive primum Epiſcopum, ex ipſis D. Pauli ad eum verbis liquido conſtat, dicentis, τούτου χάριν κατέλιπόν σε ἐν Κρήτῃ, ἵνα τὰ λείποντα ἐπιδιορθώσῃ, καὶ καταστήσῃς κατὰ πόλιν πρεσβυτέρους, ὡς ἐγώ σοι διεταξάμην. Tit. I. 5. Hinc enim conſtat totam inſulam ejus curæ commiſſam fuiſſe: adeo ut penes ipſum eſſet, quicquid in eâ deerat corrigere, atque etiam Presbyteros, ſive Epiſcopos, ut conſtat è verſiculo ſeptimo, per ſingulas civitates ordinare. Id enim phraſis illa κατὰ πόλιν clariſſime ſignificat, quemadmodum & κατ' ἐκκλησίαν, Act.XIV. 23. Non mirum itaque eſt, quod D. Paulus ad illum ſolum hanc Epiſtolam miſerit, cùm is Metropolitanus eſſet, & primus totius inſulæ ſive provinciæ iſtius Cretæ Epiſcopus, quæ hodie Candia dicitur, centum urbibus olim clara, quarum Metropolis erat Gortyna.

Ex hiſce videre eſt, quod D.Paulus cum Eccleſias à ſe aliiſque Apoſtolis fundatas in fide Chriſtianâ inſtruere & confirmare ſtuderet, Epiſtolas, vel ad totam in aliquâ provinciâ Eccleſiam ut ad Romanos, & ad Galatas; vel ad Metropoliticam vel primariam provinciæ Eccleſiam, ut ad Corinthios, Epheſios, Coloſſenſes, & Theſſalonicenſes; vel denique ad primum in provinciâ Epiſcopum, Metropoli præfectum, ut ad Timotheum & Titum direxerit. Ad eundem etiam modum D. Petrus primam ſuam Epiſtolam inſcribit Chriſtianis per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Aſiam, & Bithyniam, diſperſis. 1 Pet. I. 1. Quæ ſingulæ Roma-

næ erant Provinciæ, quarum Metropoles erant, Ponti quidem Amaſea, Galatiæ Ancyra, Cappadociæ Cæſarea, Aſiæ Epheſus, & Bithyniæ Nicomedia. Unde nihil apertius eſſe poteſt, quam ambos hos Apoſtolos, Paulum & Petrum Eccleſias reſpexiſſe, tanquam in Provinciis juxta civilem imperij diſpoſitionem conſtitutas.

XIV. Sed quandoquidem hæc obſervatio ad eruendam Metropolitanorum & primatum Eccleſiaſticorum originem plurimum conducet, eam clariùs, quoad fieri poteſt, firmiúſque adhuc adſtruemus, idque primo non è ſingulari aliquo Apoſtolo, ſed ex univerſâ iſtâ S. Apoſtolorum Synodo Hieroſolymis habitâ, cujus Acta hodieque extant, Act. Apoſt. XV. Ubi nimirum legimus, quod ortâ inter primos Chriſtianos controverſiâ, de circumciſione & lege Moſaicâ Gentilibus imponendâ, Paulus & Barnabas, aliique Antiochiâ Hieroſolymas aſcendebant, ibique cum Apoſtolis & Presbyteris Synodum celebrabant. Cùm vero conſilium de quæſtione propoſitâ habuiſſent, & in utramque partem deliberaſſent, illis tandem viſum eſt, decretum eâ de re edere, illudque ad Eccleſias, ubi exorta eſt controverſia, mittere, in Epiſtolâ Synodicâ hanc inſcriptionem præferente, Οἱ Ἀπόστολοι, καὶ οἱ Πρεσβύτεροι, καὶ οἱ ἀδελφοὶ τοῖς κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν, καὶ Συρίαν, καὶ Κιλικίαν ἀδελφοῖς τοῖς ἐξ ἐθνῶν χαίρειν. *Apoſtoli, & Presbyteri, & fratres iis qui ſunt Antiochiæ, & in Syriâ & Ciliciâ fratribus, qui ſunt ex gentibus, ſalutem.* Miſſa eſt igitur hæc Epiſtola ad duas imperii Romani provincias, ad Syriam ſcilicet & Ciliciam, prioris etiam Metropoli, Antiochiâ, priori in loco nominatâ. Quare Paulus & Barnabas aliiq; cum Epiſtolâ à Synodo dimiſſi, Antiochiam venerunt, ibique eam tradiderunt, Cap. XV. 30. Unde liquet Antiochiam Syriæ Metropolim à totâ iſtâ Apoſtolorum Synodo cæteris provinciæ iſtius urbibus prælatam fuiſſe, uſque adeo ut Epiſtola hæc ad totam provinciam ſcripta, illuc directe mitteretur, ibique primo legeretur. In aliis vero tam Syriæ quam Ciliciæ urbibus, à D. Paulo haud exiguo poſt tempore tradita videtur, cum ille unà cum Sila iſtas provincias peragrabat, confirmans Eccleſias in iis conſtitutas, ut ultimo ejuſdem Capitis verſiculo legimus. Unde Apoſtolos in fide propagandâ, non tantum ad provincias, verumetiam ad Metropolim cujuſque provinciæ peculiarem reſpectum habuiſſe indubium redditur.

Unum adhuc ſupereſt, illudque nobiliſſimum huic illuſtrandæ rei argumentum, ex Actis S. Apoſtolorum petitum, & à S. Johannis Apocalypſi confirmatum. Etenim viceſimo Actuum capite legimus D. Paulum Hieroſolymam proficiſcentem, cum decreviſſet præternavigare Epheſum, ne tempus in Aſiâ tereret, Miletum veniſſe, quæ urbs erat Ioniæ, Epheſo Aſiæ Metropoli XXX. mill. paſſ. plus minus diſtans. Cùm hic itaque eſſet D.Paulus, nuncios Epheſum miſit, per quos Presbyteros ſive

Epiſ-

Epiſcopos Eccleſiæ illius ad ſe accerſivit, eos ſcilicet qui Epheſo, aliiſque Aſiæ civitatibus præerant, ut teſtatur Irenæus, qui de Epiſcopis à D. Paulo tunc temporis convocatis loquens, ait, *In Mileto enim convocatis Epiſcopis & Presbyteris qui erant ab Epheſo, & à reliquis proximis civitatibus*, Iren. lib. 3. cap. 14. Quod ex ipſis etiam D. Pauli verbis comprobetur. Illis enim ad eum congregatis D. Paulus in memoriam revocat, quomodo ipſe ſe geſſerat ab eo uſque tempore quo ingreſſus eſt Aſiam, *Vos*, inquit, *ſcitis, quomodo à primo die quo ingreſſus ſum Aſiam, vobiſcum per id omne tempus eſſem.* Act. XX. 14. Quamplurimos ſane ad fidem ante hæc converterat, uſque adeo ut Demetrius Ἀργυροκόπος aſſeruerit, *Paulum iſtum non ſolum Epheſi, ſed totius fere Aſiæ magnam multitudinem perſuadendo avertiſſe, dicentem Deos illos non eſſe qui manibus fiunt.* Cap. XIX. 26. Cum is itaque omnes Presbyteros, Epiſcopoſve Miletum accerſitos teſtes advocet quomodo ſe geſſerat ex quo Aſiam ingreſſus eſt, manifeſtum exinde redditur, Epiſcopos illos ex totâ Aſiâ convocatos eſſe, alioquin enim haud idonei fuiſſent teſtes quomodo ſe in iſtâ provinciâ geſſerat. Per quos etiam *ſe tranſiiſſe dicit, regnum Dei prædicantem*, Act. XX. 25. Quod dici vix potuit, niſi illi in diverſis illis, quas ipſe tranſierat, civitatibus conſtituti eſſent. Sed nihilominus, etiamſi omnes, quos tunc temporis convocabat Apoſtolus, Epheſi non eſſent, ſed alij aliis præeſſent Eccleſiis, Epheſum tamen eos omnes ad ſe accerſitum mittebat. Quid ita? niſi quod Epheſus totius provinciæ Metropolis erat, cujus propterea Epiſcopus cæteros omnes Aſiæ Antiſtites Miletum, ubi D. Paulus eos expectabat, convocare poterat? Neceſſario ſaltem exinde conficitur, majorem Epheſi quam aliarum iſtius provinciæ urbium in hoc negotio rationem habitam fuiſſe, utpote ad quam ſolam mittebat Apoſtolus, etiam cum omnes Eccleſiaſticos per totam iſtam provinciam præfectos convenire voluit. Quinetiam per totam hanc hiſtoriam D. Paulus de Aſianâ tanquam de ſingulari & ab aliis quibuſcunque ſecretâ Eccleſiâ loquitur, eamque totam ποίμνιον vocat, *gregem* ſcilicet in quo ſeniores illos quos convocaverat, Epiſcopos à Spiritu Sancto conſtitutos eſſe affirmat. Cap. XX. 28. Unde liquet iſtam Provincialem, vel ſi ita loquar, Nationalem fuiſſe Eccleſiam, in quâ plurimi erant Epiſcopi, inter quos Epheſinus, ut provinciæ Metropoli præfectus, primus erat, & Metropolitanus. Quod è S. Johannis inſuper Apocalypſi lucem pleniorem mutuatur: quippe quâ legimus D. Johannem in mandatis à Deo accepiſſe viſiones ſuas mittere ad ſeptem Eccleſias quæ erant in Aſiâ, hoc ordine numeratas ad Epheſum, Smyrnam, Pergamum, Thiatyram, Sardes, Philadelphiam & Laodiceam. Apocal. I. 11. Johannes autem literas illas ex Dei mandato ſcriptas, Angelo, ſive Epiſcopo cujuſque è ſeptem illis Eccleſiis inſcripſit, ad hunc modum, τῷ Ἀγγέλῳ τῆς

 Ἐφεσίνης,

Ἐφεσίνης ἐκκλησίας, Cap. II. 1. Καὶ τῷ Ἀγγέλῳ τῆς ἐκκλησίας Σμυρναίων, Cap. II. 8. & ſic in reliquis. Multa hinc obſervare licet ad rem noſtram facientia. Primo enim hinc conſtat, ſeptem ſaltem Eccleſias in unâ iſtâ provinciâ, Aſiâ ſcilicet Proconſulari, tunc temporis fuiſſe. Conſtat etiam, ſeptem iſtas Eccleſias in ſeptem celeberrimis Aſiæ civitatibus conſtitutas eſſe, & ab iiſdem prænominatas, unam quidem τὴν Ἐφεσίνην ἐκκλησίαν, alteram τὴν ἐκκλησίαν τῶν Σμυρναίων, tertiam τὴν ἐν Περγάμῳ ἐκκλησίαν, & ſic deinceps. Conſtat itidem, ſingulis hiſce Eccleſiis ſingulos Angelos ſive Epiſcopos præfectos eſſe, quibus propterea D. Johannes literas illas inſcripſit, quas ad *Eccleſias iſtas* mittere juſſus eſt. Conſtat denique, corpus quoddam Epiſcoporum in Eccleſiâ Aſianâ ad modum provinciæ conſtitutum eſſe, cui Epheſinus ut Metropoleos Epiſcopus præfuit: Hic enim primus utrobique memoratur, cæteriſque præfertur, tam ubi de omnibus nimirum agitur, ut Apoc. cap. I. quam ubi de ſingulis, Cap. II.

XV. Qui præmiſſa maturo judicio, æquoque animo expendit, incertus pendere nequit, unde horum ſupra alios Epiſcoporum primatus originem traxerit. Ex iis enim, quæ ex ipſis S. Scripturis hucuſque diſputavimus, luculente patet, Apoſtolos in Eccleſiâ propagandâ, ad civilem imperij Romani in certas quaſdam provincias diſtributionem reſpexiſſe, uſque adeo ut majorem Metropoleon quam aliarum cujuſvis provinciæ civitatum rationem habuerint: ad Imperij ſcilicet exemplum, quo idem accurate obſervatum eſſe advertebant. Quod quidem non ſine ſummâ ratione ab iis factum eſt. Hoc enim modo Eccleſia & facilius propagari, & propagata melius adminiſtrari potuit. Enimvero haud poſſibile fuit, ut Apoſtoli ſingulas civitates, tanto locorum intervallo à ſe invicem disjunctas, ſæpe viſitarent, & caverent ipſi ne fideles in iis conſtituti vel à religione recenter ſuſceptâ recederent, vel hæreticis praviſque opinionibus corrumperentur. Hinc neceſſe iis viſum eſt, in ſingulis, quas peragrabant, provinciis, unam eligere civitatem, in quam ſummam conferrent curam, eidemque talem præficerent paſtorem ſive Epiſcopum à ſe ipſis probatum & ordinatum, qui reliquas cujuſque provinciæ urbes ipſorum loco inſpiceret, & curaret, ut ab Epiſcopis ſuis juxta Apoſtolica præcepta adminiſtrarentur, atque ut Epiſcopus in unaquâque civitate conſtitueretur, ſimul ac ad fidem Chriſtianam converſa eſt. Huic autem rei nulla in pleriſque provinciis commodior, aptiorve invenire potuit civitas, quam reliquarum mater, ſive totius provinciæ Metropolis, utpote à quâ cæteræ quodammodo penderent, ejuſque exemplum ſequerentur; in quâ etiam major eſſet hominum concurſus, eo quod præſes in eâ ſedere, omneſque civiles in totâ provinciâ exortas cauſas judicare ſolebat. Quamobrem Apoſtoli, etiamſi ſingulas peragrarent provincias, ſummam tamen

tamen ad Metropoles curam jure meritiſſimo contulerunt, ad Romam Imperij caput, ad Antiochiam Metropolim Syriæ, ad Corinthum Metropolim Achaiæ, ad Epheſum Metropolim Aſiæ, ad Theſſalonicam Metropolim Macedoniæ, &c. ut è ſupradictis patet.

Cum ipſi igitur Apoſtoli in Eccleſiâ propagandâ tantam provinciarum & Metropoleon rationem habuerint, exemplo quidem, licet non præcepto ſuo, Metropolitanis & Primatibus in Eccleſiâ inſtituendis occaſionem præbuerunt. Illi enim, quibus poſt Apoſtolos commiſſa eſt Eccleſiæ cura, eorum veſtigiis, ut par erat, religioſe inſiſtentes eundem ad Metropoleon Epiſcopos reſpectum retinuerunt, eos primos cujuſque gentis ſive provinciæ Epiſcopos exiſtimantes. Hinc fit quod ab ipſis Apoſtolicis temporibus ut Eccleſia in eaſdem ac Imperium, provincias diſtributa fuit, ſic & Metropolis cujuſque provinciæ in Eccleſiæ æque ac in Imperij notitiâ, primatum aliquem ſupra reliquas ejuſdem civitates ſemper obtinuit, enimvero ut Aſia Eccleſiaſtica pariter atque civilis provincia, ſic & Epheſus utroque reſpectu Metropolis ejuſdem ſemper fuit. Idem dicatur de Achaiâ & Metropoli ejus Corintho; de Syriâ & Metropoli ejus Antiochia; de Galatiâ & Metropoli ejus Ancyrâ; de Cretâ & Metropoli ejus Gortynâ; de Ponto & Metropoli ejus Amaſeâ; de Cappadociâ & Metropoli ejus Cæſareâ; de Bithyniâ & Metropoli ejus Nicomediâ; de Macedoniâ & Metropoli ejus Theſſalonicâ. Cum ipſi enim Apoſtoli has ut diſtinctas in Eccleſiâ provincias commemorârint, urbes ſupradictæ in Eccleſiaſtico etiam ſenſu Metropoles ſemper fuerunt, & ut Metropolis cujuſque provinciæ cæteris civitatibus, ſic & Epiſcopus ejuſdem cæteris Epiſcopis prælatus eſt: idque non in una tantum alterave provincia, ſed ubicunque ſuſcepta eſt religio Chriſtiana. Quod propterea ad Apoſtolos aliquo modo referamus neceſſe eſt. Quamvis enim ipſi nuſquam, quod ſcimus, diſertè præceperint, ut unus in unaquaque regione cæteris præeſſet Epiſcopus, nedum ut qui Metropoli præficitur, aliis præferretur; cum ipſi tamen in Eccleſiis inſtituendis ad provincias juxta civilem Imperij diſpoſitionem, necnon ad Metropoles earum, ſingularem reſpectum habuerint, haud dubitare licet, quin Provinciarum in Eccleſia ad imperij exemplum dividendarum forma ab ipſis Apoſtolis manaverit. Et quod ad honorem Metropoli cujuſque provinciæ deferendum ſpectat, id etiam Apoſtoli ſuo ſaltem exemplo tradiderunt. Ipſi enim in Eccleſia propaganda luculenta ſatis documenta, ut oſtendimus, ediderunt, quibus proximi ipſorum in Eccleſia adminiſtranda ſucceſſores, primatum quendam Metropoleos cujuſque Epiſcopo attribuere edocti ſunt. Quin hoc etiam ab ipſis Eccleſiæ primordiis ſemper & ubique obſervatum fuiſſe conſtat. Quod tamen fieri non potuit, niſi aliquo ſaltem modo ab Apoſtolis traditum fuiſſet. Quod ſi de privilegiis loquamur, quæ Metropoleon Epiſcopi ſibi poſtea vendicarunt, hæc uſu ac conſuetudine paulatim introducta

ſunt: ac proinde majora aut minora, plura aut pauciora fuerunt, prout loci & temporis ratio poſtulavit. Quo factum eſt, ut particularia hujuſmodi Metropolitanorum privilegia inter antiquos Eccleſiæ mores à Concilio Nicæno Canone ſexto recenſeantur, & ab univerſali iſta Synodo confirmentur. Sed quod ad generalem eorum in ſua cujuſque provincia primatum attinet, iſtum nec ea nec alia quævis Synodus unquam inſtituit; ſed omnes pro certo & conceſſo ſumunt, aliqualem Metropolitanorum in alios Epiſcopos primatum ab Apoſtolica traditione acceptum, & longa ac diuturna conſuetudine uſque adeo corroboratum eſſe, ut non opus eſſet denuo inſtitueretur.

XVI. Sed ne quid diſſimulare videar, nonnullas fateor civitates magno apud primos Chriſtianos honore ornatas, ſummamque earum rationem habitam fuiſſe, ob aliam etiam rationem præter eam quam hactenus explicuimus, nimirum quod ab ipſis Domini Apoſtolis in fide Chriſtiana inſtructæ fuiſſent, & Apoſtolicas propterea de Doctrina & Diſciplina Eccleſiaſtica traditiones ſincerius quam aliæ quæcunque civitates conſervaſſe cenſeantur. Quam etiam ob rem Eccleſiæ ab iis inſtitutæ, *Apoſtolicæ* antiquitus dictæ fuerunt. Talis fuit Eccleſia Epheſina à S. Paulo fundata & à D. Johanne per multos annos adminiſtrata, de qua proinde Irenæus, Ἀλλὰ καὶ, inquit, ἡ ἐν Ἐφέσῳ ἐκκλησία ὑπὸ Παύλου μὲν τεθεμελιωμένη, Ἰωάννου δὲ παραμείναντος αὐτοῖς μέχρι τῶν Τραϊανοῦ χρόνων, μάρτυς ἀληθής ἐστι τῆς τῶν Ἀποστόλων παραδόσεως, *Sed & quæ eſt Epheſi Eccleſia, à Paulo quidem fundata, Johanne autem permanente apud eos uſque ad Trajani tempora, teſtis eſt verus Apoſtolorum traditionis.* Iren. lib. 3. cap. 3. & apud Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 3. cap. 23. Idem de aliis etiam Eccleſiis obſervat Tertullianus, hæreticos ad veras Apoſtolorum traditiones in Eccleſiis ab ipſis inſtitutis conſervatas mittens. *Age jam*, inquit, *qui voles curioſitatem tuam melius exercere in negotio ſalutis tuæ: Percurre Eccleſias Apoſtolicas, apud quas ipſæ adhuc Cathedræ Apoſtolorum ſuis locis præſidentur, apud quas ipſæ authenticæ literæ eorum recitantur, ſonantes vocem & repræſentantes faciem uniuſcujuſque. Proxime eſt tibi Achaia? habes Corinthum. Si non longe es à Macedonia, habes Philippos, habes Theſſalonicenſes: Si potes in Aſiam tendere, habes Epheſum. Si autem Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præſto eſt.* Tertul. de præſcript. adv. hær. cap. 36. Et negari quidem nequit, quin magna hiſce, aliiſque ab ipſis Apoſtolis fundatis Eccleſiis autoritas eo ipſo nomine debeatur, quod ab Apoſtolis fundatæ ſunt, & authenticas eorum traditiones ſibi concreditas habuerunt.

Sed obſervandum eſt, omnes propemodum quas ab ipſis Apoſtolis inſtitutas legimus Eccleſias, in primariis provinciarum urbibus ſive Metropolibus conſtitutas eſſe. Omnes ſaltem urbes à Tertulliano loco citato commemoratæ, Corinthus, Philippi, Theſſalonica, Epheſus & Roma,

Me-

Metropoles erant, in ſua quæque provincia, præter Philippos, quæ licet totius Macedoniæ Metropolis non erat, erat tamen prima civitas illius partis Macedoniæ quâ ſita eſt, atque ideo quaſi Metropolis, ut S. Lucas teſtatur Act. XVI. 12. Quapropter hæc altera nonnullas Eccleſias aliis præferendi ratio, quod ab ipſis ſcilicet Apoſtolis fundatæ ſunt, ſententiam noſtram uſque adeo non deſtruit, ut confirmet potius. Et hinc enim conſtat ipſos Apoſtolos tantam Metropoleon præ aliis civitatibus rationem habuiſſe, ut in iis Eccleſias inprimis inſtituere curarent. Et quæcunque ab illis inſtitutæ ſunt Eccleſiæ, & *Apoſtolicæ* propterea dictæ, etiamſi honorem quendam ut Apoſtolicæ, nullum tamen in alias primatum, niſi quatenus Metropoliticæ eſſent Eccleſiæ, habuerunt. Quod ex Eccleſia Hieroſolymitana manifeſto evincitur. Hanc enim ab Apoſtolis, vel potius ab ipſo Servatore noſtro fundatam eſſe nemo inficias eat. Sed nihilominus cum Hierſolyma non eſſet Metropolis Palæſtinæ, ſed Cæſarea; iſta licet ſedes Apoſtolica, huic Metropoliticæ in Eccleſiæ pariter atque in Imperij laterculo ſubjecta eſt, adeo ut Synodus Nicæna ſolam *honoris conſequentiam* Epiſcopo Hieroſolymitano aſſeruerit, primatu omni ac poteſtate Cæſarienſi tanquam Metropolitano conſervata, ut ante probatum eſt. Et cum nonnulli, ut videtur, Epiſcopi, qui Eccleſias ſuas ab Apoſtolis inſtitutas eſſe jactitabant, de primatu ſibi propterea debito contenderint, ſeque etiamſi non Metropolitanos, primos tamen ſuæ gentis Epiſcopos eſſe, caputque ejuſdem juxta hunc Apoſtolicum Canonem exiſtimari voluerint, Synodus Antiochena iſtis ſe interpoſuit, & primatum cujuſque provinciæ Metropoleos Epiſcopo aſſeruit, his verbis, τοὺς καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν ἐπισκόπους εἰδέναι χρὴ τὸν ἐν τῇ μητροπόλει προεστῶτα ἐπίσκοπον καὶ τὴν φροντίδα ἀναδέχεσθαι πάσης τῆς ἐπαρχίας, διὰ τὸ ἐν τῇ μητροπόλει πανταχόθεν συντρέχειν πάντας τοὺς τὰ πράγματα ἔχοντας· ὅθεν ἔδοξε καὶ τῇ τιμῇ προηγεῖσθαι αὐτὸν, μηδέν τε πράττειν περιττὸν τοὺς λοιποὺς ἐπισκόπους ἄνευ αὐτοῦ, κατὰ τὸν ἀρχαιότερον κρατήσαντα ἐκ τῶν πατέρων ἡμῶν κανόνα. *Epiſcopos qui ſunt in unaquaque provinciâ ſcire oportet Epiſcopum qui præeſt Metropoli, & curam ſuſcipere totius provinciæ, eo quod in Metropolim undequaque concurrant omnes qui negotia habent. Unde viſum eſt, eum quoque honore præcedere, reliquos autem Epiſcopos nihil magni momenti aggredi ſine ipſo, juxta antiquiorem qui obtinuit à Patribus noſtris Canonem.* Syn. Antioch. Can. IX. Antiquiorem illum Canonem à Patribus Antiochenis hoc in loco memoratum ipſiſſimum eſſe Apoſtolicum, quem ſub manibus habemus, in priori libro demonſtravimus. Hic autem Apoſtolicus Canon primum quidem in unaquaque gente Epiſcopum à cæteris agnoſcendum, & tanquam caput exiſtimandum eſſe decernit: ſed non definit, quiſnam eſſet primus gentis cujuſque Epiſcopus; verum pro

conceſſo

conceſſo ſumit, neminem id latere. Cum itaque in controverſiam poſtea vocaretur à nonnullis, ut opinor, qui ſedes ſuas ab ipſis Apoſtolis fundatas eſſe præſe ferebant, Patres Antiocheni quæſtionem ita determinarunt, ut omnem cujuſque provinciæ primatum iſti Epiſcopo, qui Metropoli ejuſdem præ eſt, adjudicent, addita inſuper ratione quæ ubique valet, eo ſcilicet quod in Metropolim concurrant omnes qui civilia negotia habent. Ob quam quidem rationem ipſi etiam Apoſtoli ſummam Metropoleon præ aliis urbibus curam habuerunt. Quæ cum perpetuo & ubique obtineat, Synodo Antiochenæ recte viſum eſt, ut in unaquaque provincia is qui Metropoli præeſt, cæteris quibuſcunque Epiſcopis præferatur. Quæ etiam Synodi Taurinenſis, quinquaginta circiter poſt Antiochenam annis celebratæ, ſententia fuit. Orta enim inter Epiſcopos, Arelatenſem & Viennenſem, quæſtione de primatu, Synodus decrevit, ut is qui ſe Metropoli præeſſe probare potuit, primatis honorem ac poteſtatem haberet. En Synodi verba, *Illud deinde inter Epiſcopos urbium Arelatenſis, & Viennenſis, qui de primatus apud nos honore certabant, à Sancta Synodo definitum eſt, ut qui ex iis comprobaverit, ſuam civitatem eſſe Metropolim, is totius provinciæ honorem primatus obtineat, & ipſe juxta præceptum Canonum, ordinationum habeat poteſtatem.* Concil. Taurin. cap. 1. Unde patet, quod non obſtante Apoſtolica nonnullarum Eccleſiarum inſtitutione, ea civitas quæ in laterculo imperij Metropolis eſſet, in rebus etiam Eccleſiaſticis primatum totius provinciæ habere debuit.

Cùm ipſi igitur Apoſtoli orbem Eccleſiaſticum juxta civilem Imperij Romani diſpoſitionem, in provincias diſtribuerint; & in unaquaque provincia ſingularem Metropoleos ſive primariæ civitatis rationem habuerint; Cum proximi etiam Apoſtolorum ſucceſſores, eorum exemplo ducti, primas ei, qui Metropoli cujuſque provinciæ præerat, in Eccleſiaſtico regimine partes tribuerint; Cùm Romæ denique, Epheſi, Cæſareæ, Lugduni, Carthaginis, aliarumque matricum civitatum Epiſcopi ſecundo tertioque æræ Chriſtianæ ſeculo primatum, in ſua quiſque provincia obtinuerint, eundemque de facto manifeſtum reddiderint, ut ex ante dictis patet, nemo in poſterum mirari poteſt, quod in hoc triceſimo quarto Apoſtolorum dicto Canone, primi in unaquaque gente Epiſcopi mentio occurrat, etiamſi juxta noſtram ſententiam longe ante Concilium Nicænum conſtitutus fuerit. Præſertim cum is ſimpliciter, primus ſuæ gentis Epiſcopus hic dicatur, non Metropolita, non Archiepiſcopus, non Exarchus, non Patriarcha, quæ nomina poſtmodum in uſum Eccleſiaſticum recepta ſunt, nonnulla quidem eorum Concilij Nicæni tempore, vel paulo ante, alia vix ante quartam univerſalem Synodum Chalcedone celebratam. Verum de nominibus iſtis non opus eſt hic diſputemus, cum rem ipſam ab ipſis Apoſtolorum temporibus obtinuiſſe pro comper-

to certoque habeamus, ut unus ſcilicet in unaquaque gente Epiſcopus, & quidem is qui Metropoli ejuſdem præeſt, primatum quendam ſupra cæteros & prærogativam haberet.

XVII. Quod ſi ad tempora Synodo Nicæna poſteriora deſcendamus, quæcunque hucuſque de Metropolitanorum primatu aſſeruimus, è conſtanti univerſalis Eccleſiæ uſu & praxi confirmata apparebunt. In omni enim gente, in omni provincia quæ fidem Chriſtianam unquam ſuſcepit, ut plures Epiſcopi, ſic & unus inter eos primus, ſive Primas fuit, is ſcilicet qui primariæ civitatis, ſive Metropoleos totius provinciæ curam gerebat, cum provincia iſta ad Chriſtum primo convertebatur. Quæcunque enim civitas tunc temporis Metropolis erat in laterculo imperij, eadem & in Eccleſiæ laterculo Metropolis facta eſt, iſtumque honorem & primatum perpetuo retinere debet, ut ex omnibus, quas ſcimus ad fidem Chriſtianam converſas, provinciis facile eſſet demonſtrare.

Ut aliis autem hic ſuperſedeamus, illuſtre hujus rei in Eccleſia hac noſtra Anglicana, de qua pauca in tranſcurſu diſſerere non pigebit, ſpecimen videre eſt. Enimvero cum Britanni, qui fidem Chriſtianam inter primos receperant, ab Anglo-Saxonibus Ethnicis devicti, & in Cambriam cum Epiſcopis Clericiſque ſuis detruſi fuiſſent, hæc gens, quæ à victoribus iſtis *Anglia* poſtea cognominata eſt, Chriſtianis pene nudata, ad Ethnicam idololatriam reverſa eſt, *paganiſmi cultu in omnes terræ fines dilatato*, ut ex veteri Chronico Angloſaxonico obſervavit Johannes Fletus de Eccleſ. Weſtmon. fund. cap. 1. Aliique omnes qui de iſtis ſcripſerunt temporibus, idem atteſtati ſunt. Cæterum Anno IↃXCVI. Auguſtinus cum aliis circiter quadraginta itineris comitibus à Gregorio M. Epiſcopo Romano huc miſſus eſt, qui Deo adſiſtente, primo Ethelbertum Regem, & totam deinde Anglorum iſtorum gentem ad Chriſtum convertit. Iſte autem *Rex Ethelbertus eo tempore in Cantio erat potentiſſimus, qui ad confinium uſque Humbri Fluminis, quo Meridionales & Septentrionales Anglorum populi dirimuntur, fines imperij tetenderat*, ut conceptis verbis affirmat Beda, Hiſt. Angl. lib. 1. cap. 25. Nimirum è ſeptem illis, quæ Saxones in hac inſula poſſederunt, regnis, Cantium primum erectum eſt, cæteriſque erigendis viam patefecit. Hinc eſt quod primo in loco ſemper ponatur, quodque primatum ſuper cætera ſibi vendicarit: quem à nonnullis è Regulis ei denegatum Ethelbertus vi ac armis recuperavit; adeo ut in ipſa heptarchia, ille monarcha iſtis diebus eſſet; (ut alij poſtea). Ejus ſaltem regnum per omnes Meridionales terræ partes uſque ad Humbrum flumen extenſum eſſe ex iſtis Bedæ verbis ſatis abunde conſtat. Hujus porro regni Metropolis tunc temporis erat Dorobernia, ſive Cantuaria, ut ex eodem patet, dicente, *Dedit ergo Rex iis manſionem in civitate Dorovernenſi, quæ imperij ſui totius erat Metropolis.* Bed. ibid. Non ergo ſolius Cantij, ſed totius An-

glorum

glorum Imperij iſtis diebus Metropolis erat Dorovernia. Quin & capite proximo idem hæc habet, *Nec diſtulit quin etiam ipſis doctoribus ſuis locum ſedis eorum gradui congruum in Dorovernia Metropoli ſua donaret*; Quæ propterea *Regia civitas* ab eodem vocatur ibid. Cap. XXXIII. Cum hæc itaque totius Anglorum gentis ad fidem modo converſæ Metropolis eſſet, novæ etiam Eccleſiæ in iſto imperio conſtitutæ Metropolis eſſe debuit. Et Auguſtinus contra Apoſtolicam traditionem, & conſtantem Eccleſiæ primitivæ diſciplinam feciſſet, ſi Metropoliticam ſuam ſedem alibi fixiſſet. Aliæ enim Anglorum civitates huic ſubjectæ erant; Ipſa etiam Londonia ſive Londinum, cui Mellitus poſtea præfectus eſt, ut ex hiſce Bedæ verbis colligere licet. *Mellitum*, inquit, *ordinavit quidem ad prædicandum provinciæ Orientalium Saxonum, qui Thameſi fluvio dirimuntur à Cantio, & ipſi Orientali mari contigui, quorum Metropolis Londonia civitas eſt, ſuper ripam præfati fluminis poſita, & ipſa multorum emporium populorum terrà marique venientium. In qua videlicet gente, tunc temporis Sebertus nepos Ethelberti ex ſorore Riculà regnabat, quamvis ſub poteſtate poſitus ejuſdem Ethelberti, qui omnibus, ut ſupra dictum eſt, uſque ad terminum Humbri fluminis Anglorum gentibus imperabat*. Bed. lib. 2. cap. 3. E quibus verbis liquet, Londoniam Metropolim quidem fuiſſe, utpote primariam regis civitatem: ſed regis iſtius regnum nihil aliud erat quam *provincia Orientalium Saxonum*, quæ ex Eſtſexia, Middleſexia, & parte Hertfordiæ conſtabat, iiſdem ſcilicet limitibus, quibus Epiſcopi Londinenſis diœceſis hodie terminata. Quinetiam rex iſte ſub potentiſſimi Anglorum regis Ethelberti, (à quo eum regno iſti præfectum eſſe in Chronologia Saxonica ad Annum IↃCIV. legimus) poteſtate erat, cujus imperium uſque ad Humbri fluminis terminum extendebatur, aliaque præter Orientalium Saxonum regna & Metropoles eorum ſub ſe continebat. Hujus itaque imperij civitas regia Dorovernia, ſive Cantuaria, non ſolius Cantij, ſed totius Angliæ uſque ad Humbrum Metropolis erat, & Londium æque ac alias Saxonum civitates ſibi ſubjectas habebat. Cùm Eccleſia igitur in hac gente ad fidem recens converſa fundanda erat, Apoſtolorum exemplum & univerſalis Eccleſiæ praxis poſtulabat, ut Cantuaria ejuſdem Metropolis eſſet, & honore Metropolitico in Eccleſia non minus quam in Imperio frueretur. Quapropter Auguſtinus, ut primus inter omnes Angliæ Epiſcopus eſſet, hanc primariam imperij civitatem, rege annuente, ſibi eligebat; & ab eo uſque tempore Cantuaria jure meritiſſimo prima perpetuo fuit Eccleſiæ Anglicanæ ſedes, & Epiſcopi Cantuarienſes Primates & Metropolitani totius Angliæ. Et ut parœcia, ſive, ut hodie vulgo loquimur, diœceſis Londinenſis iſtam Angliæ partem hiſce diebus continet, quæ antiquitus, ut ante obſervatum eſt, regnum Orientalium Saxonum conſtituebat. Sic etiam Provincia Cantuarienſis per totam

Angliam

Angliam uſque ad Humbrum fluvium etiamnum protenditur, quo regnum Ethelberti ſeptentrionem verſus olim terminatum fuit. Unde Eccleſiam Anglicanam pariter atque Apoſtolicas primitivaſque omnes, de quibus ante diſſeruimus, ad imperij quo ſita eſt diſpoſitionem hâc in re exactiſſimè conſtitutam fuiſſe patet.

XVIII. Quandoquidem vero de ſedibus Metropoliticis hic agamus, ut antiquitus diſpoſitis, ad pleniorem earum intelligentiam, non abs re erit, ſi obſervemus inſuper, ſedes quidem Epiſcopales ab unâ ad aliam civitatem ſæpe tranſlatas fuiſſe, & jure transferri poſſe, ſed non item Metropoliticas. Civitas enim quæ à primâ Eccleſiæ cujuſvis fundatione Metropolis fuit, eundem in Eccleſiæ notitiâ honorem, etiamſi Imperij Metropolis eſſe deſinat, plerunque retinere ſolet, & ex Canonum Eccleſiaſticorum præſcripto ſemper retinere debet. Non me latet, provincias in Orientali ſaltem Eccleſiâ, nonnunquam immutatas eſſe, & novas ſubinde Metropoles à Græcis Imperatoribus erectas. At Imperatoria iſta novarum Metropoleon inſtitutio, antiquas non evertit, nec honore ipſis debito unquam ſpoliare potuit: utpote quibus priſtina ſua πρεσβεῖα à primâ univerſali Synodo confirmata ſunt. Et quæcunque propterea civitates ad Metropoliticam in imperio dignitatem Imperiali autoritate promotæ ſunt, Epiſcopi qui illis præſunt, nomine quidem Metropolitanorum & honore fruantur, non item poteſtate ullâ aut juriſdictione, ne antiqui & veri Metropolitani jura ac privilegia violentur, ut diſerte ſtatuit Concilium Chalcedonenſe, Canone duodecimo hæc habens, Ὅσαι δὲ ἤδη πόλεις διὰ γραμμάτων βασιλικῶν τῷ μητροπόλεως ἐτιμήθησαν ὀνόματι, μόνης ἀπολαυέτωσαν τῆς τιμῆς, καὶ ὁ τὴν ἐκκλησίαν αὐτῆς διοικῶν ἐπίσκοπος, σωζομένων δηλονότι τῇ κατ᾽ ἀλήθειαν μητροπόλει τῶν οἰκείων δικαίων. *Quæcunque autem civitates per literas Imperatorias Metropolis nomine honoratæ ſunt, ſolo honore fruantur, & qui ejus Eccleſiam adminiſtrat Epiſcopus, ſervatis ſcilicet veræ Metropoli ſuis juribus.* Unde ſimul conſtat eas quæ ab initio fuerunt Metropoles, κατ᾽ ἀλήθειαν, verè & reipſâ Metropoles eſſe, alias autem poſtea erectas nomen ſolum Metropoleon, in Eccleſiæ ſaltem notitiâ, habere, & præterea nihil. Sed idem, fateor, Concilium Canone XVII. decrevit, *ut ſi civitas ab Imperatoriâ autoritate innovata eſt, vel etiam deinceps innovata fuerit, civiles ac publicas formas Eccleſiaſticarum quoque parochiarum ordo conſequatur.* Quæ verba ſi ad Metropoles extenderentur, Canoni duodecimo ante citato planè contradicerent. Sed multi nihilominus viri eruditi hæc verba iſto ſenſu interpretati ſunt, ac proinde in Conciliandâ iſtâ contradictione diu ſe exercuerunt. Verumenimvero decimus ſeptimus iſte Canon non omnino de Metropolibus ſed de Epiſcopatibus ſolis agit, non de provinciis ad

Metropolitanos, ſed de parœciis ad Epiſcopos pertinentibus; ſtatuit enim, *ut quæ ſunt in unaquaque provincia rurales vicanæque parœciæ, firmæ ac inconcuſſæ maneant, apud eos qui illas tenent Epiſcopos, præſertim ſi XXX. Annorum tempore eas ſine vi detinentes adminiſtraverint.* Ubi, ut cuique patet, non de provinciis agitur, ſed de ſingularibus parœciis ſive, ut vulgo loquimur, parochiis ruralibus, quæ in provinciis conſtitutæ ſunt, & Epiſcopis ſubjectæ. Quin ultima etiam Canonis verba ante laudata, non de Metropolibus ſed de parœciis intelligenda eſſe, ex ipſis conſtat, utpote decernentibus, ut ſi quæ civitates ab Imperatore de novo extructæ fuerint, Eccleſiaſticarum parœciarum ordo civiles de iis formas conſequatur: hoc eſt, ſi pagi aliqui aut rurales parochiæ, de quibus loquitur Canon, à viciniâ aliquâ avulſæ fuerint, & civitati de novo conditæ ab Imperatore adjunctæ, Eccleſia hâc in re civili diſpoſitioni ſe accommodabit, & pagi iſti ad illum pertinebunt Epiſcopum, qui novam iſtam, cujus civili juriſdictioni ſubjiciuntur, urbem adminiſtrat. Quod autem ad Metropoles ſpectat, quartæ hujus univerſalis Synodi de iis ſententia non modo ex Canone XII. ante citato, qui diſertiſſimus eſt, colligitur, verumetiam è judicio quod de duabus cauſis coram ipſâ agitatis pronunciavit. Quarum una inter Eunomium Nicomedienſem & Anaſtaſium Nicænum Epiſcopum, altera inter Photium Tyri & Euſtathium Beryti Epiſcopum mota eſt. Nicomedia ſcilicet antiqua fuit & prima Bithyniæ Metropolis. Sed Anaſtaſius Nicænus ab Impp. Valentiniano & Valente impetraverat, ut urbs ſua Nicæa Metropolis fieret, qui propterea de privilegiis Metropoliticis cum Eunomio Nicomedienſi contendit. Chalcedonenſe vero Concilium, ad quod cauſa delata eſt, re in utramque partem auditâ, definivit, ut prima Metropolis Nicomedia omnia ſua privilegia inviolata retineret, Nicæa autem de novo honorata, nudum Metropoleos nomen in Eccleſiâ & honorem ſine omni Metropoliticâ autoritate haberet, Concil. Chalced. Act. XIII. Idem & in alterâ cauſâ Synodus judicium tulit. Tyrus enim prima ac vera Phœniciæ Metropolis fuit. Sed Euſtathius Beryti, urbis Phœniciæ, Epiſcopus, ab Imperatore Theodoſio obtinuerat, non tantum ut Berytus Metropolis eſſet, verum etiam ut ſex aliæ urbes Phœniciæ, Byblos, Botrys, Tripolis, Orthoſiades, Arcæ, & Antarados, Tyro Metropoli diſtractæ, Beryto ſubjicerentur. Photius primæ veræque Metropoleos Tyri Epiſcopus cauſam ad Synodum Univerſalem defert, quæ decrevit, ut Photius Tyri Metropolitanus omnem ordinandi poteſtatem in totâ ſuâ provinciâ adhuc haberet, Euſtathius autem ex Imperatoriis, quas obtinuerat, literis nihil amplius quam cæteri ejuſdem provinciæ Epiſcopi ſibi vendicaret. Concil. Chalced. Act. IV.

XIX.

XIX. His à Concilio Chalcedonenſi ſic determinatis, ſimilis olim inter Epiſcopum Cantuarienſem & Lichefeldenſem exorta eſt controverſia. Ex quo enim Angli Saxoneſque ad fidem converſi ſunt, Cantuaria, ut oſtendimus, vera & indubitata fuit totius hujuſce gentis Metropolis. Verum poſt ducentos propemodum annos, Rex Offanus in Lambertum, Cantuarienſem tunc temporis Metropolitanum, irâ ſuccenſus, ab Adriano P. R. impetravit, ut Provincia Cantuarienſis divideretur, & Lichefelda in poſterum Merciorum, quorum ille Rex erat, Metropolis fieret: & ſex Epiſcopi Eccleſiæ Lichefeldenſi tanquam Metropoliticæ ſubjicerentur, nimirum, Wigornenſis, Legreceſtrenſis, Sinaceſtrenſis, Herefordenſis, Helmanenſis, & Donmunenſis. Quibus ab eo avulſis, Archiepiſcopo Cantuarienſi quatuor tantùm Epiſcopi reliqui fiant, Londonienſis, Wintonienſis, Roffenſis, & Sireburnenſis, vel, ut alii, Seleſienſis. Hæc diviſio toto Lamberti Cantuarienſis præſulatûs tempore duravit. Lichefeldenſem autem, ut vocatur, Archiepiſcopatum primus quidem Eadulphus, & poſt eum Humbertus adminiſtravit. Verum exiguo poſt tempore, Kenulphus pene proximus poſt Offanum Merciorum Rex, tantam Eccleſiæ Anglicanæ illatam violentiam ægre ferens,à Leone III. P. R. per literas obtinuit, ut novo iſto Archiepiſcopatu Lichefeldenſi abolito, dignitas ſua ac privilegia omnia Eccleſiæ Cantuarienſi reſtituerentur. Et Athelardus, qui iſtis diebus Archiepiſcopus erat Cantuarienſis ſive,ut vulgo dicebatur, Dorobernienſis, Concilium hac de re convocavit, apud Cloveſho An. Dom. IↃCCCIII. ubi ſedem Metropolitanam in Dorobernienſi civitate cum maximâ fraude diviſam, & ſciſſam fuiſſe aſſerit, præcipitque in nomine Dei omnipotentis, & omnium ſanctorum illius, & per ejus tremendum judicium, ne quis in poſterum honorem Metropolitanæ ſedis minuere, vel in aliquantulâ particulâ dividere præſumat, ſed per omnia in eo dignitatis honore pleniſſime ſemper permaneat, quo in Conſtitutione B. Gregorij & in privilegiis ſucceſſorum ejus habetur, in Doroberniæ civitate, ubi *prima*, inquit,*in hâc inſulâ Catholica fides emicuit, & à S. Auguſtino ſacrum baptiſma celebratum eſt, & Evangelium Chriſti prædicatum, & inde per gratiam Sancti Spiritus late diffuſum.* Quibus ab eo prolatis tota Synodus conſenſit, cui inter alios intererat, & proximus poſt Athelardum ſubſcribebat Alduulfus Lichefeldenſis Eccleſiæ Epiſcopus. Unde conſtat Eccleſiam Lichefeldenſem omni Archiepiſcopatûs honore exutam & Dorobernienſi iterum ſubjectam eſſe, juxta Concilij Chalcedonenſis Canonem & judicium de cauſis ſimilibus pronunciatum. Et ab eo uſque tempore nulla de primatu ſedis Cantuarienſis mota eſt controverſia; niſi quod Gilbertus Foliot, Epiſcopus Londinenſis, è contentione inter Henricum II. & Thomam Becketum Cantuarienſem Epiſcopum fervente, occaſionem arripiens, Metropoliticam dignitatem Cantuarienſi auferre, & ad ſuam

transferre ſedem conatus ſit; eò ſcilicet, quod Archiflaminum, ut aiebat, ſedes antiquitùs fuerat. Quemadmodum Johannes Sariſburienſis, ejuſdem ætatis ſcriptor, memoriæ tradidit. Epiſt. CCLXXII. Præterquam autem quod à Gentilium Flaminibus ad Epiſcopos Chriſtianorum nulla prorſus ſit conſequentia, adeo ut parum referat, ubi iſti conſtituti fuerint; Archiflaminum ne nomen quidem in quovis antiquo & probatæ fidei autore memoratur. Primò enim occurrit in ſuppoſititiâ quadam appendice ad ſuppoſititiam Epiſtolam Clementis I. ad Jacobum, ab omnibus jamdudum exploſam. Et ex eo haud dubie fonte hauſit Gilbertus quæ de Archiflaminibus tantopere jactitabat. Hoc vero argumentum haud citius ab eo adductum, quam ab aliis omnibus rejectum eſt. Sed obſervandum eſt, eum Metropoliticam dignitatem ſedi ſuæ Londinenſi aſſerere conatum eſſe, non quod Archiepiſcopi ſed quod Archiflamines ibi antiquitus conſtituti fuerant. Quod ſi ei conſtitiſſet Londinum Eccleſiæ Britannicæ Metropolim fuiſſe, vel Archiepiſcopatum, dum Britones hanc terram incolebant, hoc potius prætextu Metropoliticum honorem ſibi proculdubio arrogâſſet. Verum nec ille nec quivis,ut opinor, alius novit, quænam Britannis Metropolitica ſedes fuiſſet. Quod etiam Guilielmus Malmesburienſis, qui eodem quo Gilbertus clarebat ſeculo, obſervavit. Hic enim in prologo libri primi de geſtis Anglorum Pontificum, ubi Archiepiſcopum Cantuarienſem totius Angliæ Primatem & Patriarcham eſſe affirmâſſet, addit protinus, *Cæterum ubi fuerit Archiepiſcopatus tempore Britonum, cognitio labat: quia vetuſtas conſumpſit noſtri ſeculi memoriam.* Et quidem licet nemini dubium eſſe poſſit quin Eccleſia Britannica aliquem Archiepiſcopum ſibi habuerit præſidentem, incertum tamen eſt utrum Epiſcopus Londinenſis, annon potius, ut aliis videtur, Eboracenſis, vel fortè tertiæ alicujus ſedis nobis incognitæ Epiſcopus, Archiepiſcopalem honorem ac poteſtatem obtinuerit. Pro certo autem habemus ac explorato, Doroberniam, ſive Cantuariam Anglorum Metropoliticam perpetuo fuiſſe Eccleſiam, ex quo illi ad fidem Chriſtianam converſi ſunt.

XX. Controverſia iſta, quæ inter Lanfrancum Archiepiſcopum Cantuarienſem & Thomam Eboracenſem, Guilielmo Primo hic regnante, agitata fuit, longe alia fuit atque ea quam Gilbertus Londinenſis movit. Ille enim non negabat quin Cantuarienſis Archiepiſcopus, ſuper omnes in ſuâ provinciâ Epiſcopos, inter quos Londinenſis erat, primatum habere debeat: ſed contendebat tantummodo ſe ſuamque provinciam, nullo ei modo ſubeſſe. Ventilata eſt ac definita hæc cauſa à Synodo Wentoniæ habitâ, Anno Domini CIↃLXXII. ubi, ut ait Guilielmus Malmeſburienſis, *tandem aliquando diverſis diverſarum cauſarum autoritatibus probatum atque oſtenſum eſt, quod Eboracenſis Eccleſia Cantuarienſi Eccleſiæ debeat ſubjacere, ejuſque Archiepiſcopi, ut primatis totius Britanniæ*

Britanniæ diſpoſitionibus in iis quæ ad Chriſtianam religionem pertinent, in omnibus obedire. Eodem etiam Concilio, ut idem refert, ſubjectionem Dunelmenſis ſive Lindisfarnenſis Epiſcopi, & omnium regionum à terminis Lichefeldenſis Epiſcopi & Humbri magni fluvij uſque ad extremos fines Scotiæ, & quicquid ex hâc parte prædicti fluminis ad Parochiam Eboracenſis Eccleſiæ jure competit, Cantuarienſis Metropolitanus Eboracenſi Archiepiſcopo ejuſque ſucceſſoribus in perpetuum obtinere conceſſit: ita ut ſi Cantuarienſis Concilium cogere voluerit, ubicunque ei viſum fuerit, Eboracenſis Archiepiſcopus ſui præſentiam, cum omnibus ſibi ſubjectis Epiſcopis, ad nutum ejus exhibeat, ut ejus Canonicis diſpoſitionibus obediens exiſtat. Quin ipſe etiam Lanfrancus Cantuarienſis hæc à Synodo iſtâ ſub ipſo habitâ, geſta enarrat, in Epiſtolâ quam eâ de re ad Alexandrum II. P. R. ſcripſit. Et ab eo demum tempore ſopita eſt iſta controverſia, Archiepiſcopo Eboracenſi *Primate Angliæ*, Cantuarienſi autem *Primate totius Angliæ* nuncupato. Sed ex eâ alia poſtea inter eos exorta eſt contentio. Eboracenſis enim Archiepiſcopus, ut Primas Angliæ, ſibi liberum eſſe contendit, crucem ante ſe per totam Angliam deferre: quæ quidem quæſtio, Anno circiter CIↃCLXXX. exorta, eos diu exercuit; tandem autem ſub certis conditionibus ei etiam extra ſuam provinciam elatâ cruce procedere permiſſum eſt. Hæc autem de crucis antelatione concertatio, non tanti fuit, ut ei diutius immoremur, præſertim cum ipſum Archiepiſcopi Cantuarienſis primatum minime attingat.

XXI. Hæc fuſiùs idcirco proſecuti ſumus, quod hic Canon Apoſtolicus de primatu inter Epiſcopos agens, unus ſit ex iis quorum cauſâ tota collectio oppugnatur. Ex iis autem quæ diſſeruimus, abunde ſatis, ut upinor, conſtat, nihil in eo decerni aut contineri, quod Eccleſiæ primitivæ ac Apoſtolicæ inſtitutis ac praxi non eleganter conſonat. Quandoquidem, ut oſtendimus, ipſi Apoſtoli in Eccleſiâ propagandâ, ſingularem ad Provincias ut in imperio diſpoſitas reſpectum, ſummamque in ſingulis provinciis Metropoleon rationem habuerunt: eorumque exemplo ducti, ipſorum in Eccleſiæ adminiſtratione ſucceſſores, quibus nihil antiquius fuit quam deceſſorum ſuorum veſtigiis inſiſtere, Metropoli cujuſque provinciæ, & Epiſcopo eidem præpoſito primatum quendam perpetuo detulerunt, illumque primum inter omnes provinciæ ſuæ Epiſcopos, reliquorumque caput ac Præſidem exiſtimarunt. Et ne quis ſuſpicetur Eccleſiam Anglicanam hâc in re à Primitivâ diſcrepare, quod eadem hodie non ſit Eccleſiæ atque regni Metropolis, ſed hujus quidem Londinum, illius autem Cantuaria; rem iſtam ab ipſâ origine deducere, & primatum Eccleſiæ Cantuarienſi non tantum ex uſu & conſuetudine, verumetiam ex jure Canonico, & Eccleſiæ Apoſtolicæ primitivæque diſciplinâ deberi, oſtendere & operæ pretium duximus & neceſſarium. Eo ſcilicet argumento,

mento, quod cum gens Anglorum fidem Chriſtianam prima amplectebatur, non Londinum, ſed Cantuaria prima ejuſdem Metropolis erat. Cujus propterea Epiſcopus Metropoliticam & Archiepiſcopalem dignitatem jure merito ſibi vendicávit, eamque mille & quod ſupereſt annos inviolatam retinuit. Adeo ut Eccleſia Anglicana, ut hodie conſtituta, in hâc æque ac in aliis quibuſcunque rebus, Eccleſiæ Primitivæ moribus ac diſciplinæ ſummè conſona videatur & conformis. Faxit Deus, ut uſque ad ſecundum Domini noſtri adventum ita permaneat.

C A P U T VI.

Synopſis.

I. *Canon Apoſt. L.* de trinâ Merſione *in Baptiſmo. Quam antiquus fuerit iſte ritus. A S. Patribus inter Apoſtolicas traditiones recenſetur.*

II. *Nihil eſt ineptiæ nedum vitij in hâc ſanctione. Per quam deponuntur illi ſoli qui unâ merſione in mortem Domini datâ baptizant.*

III. *Objectio contra hujus Canonis antiquitatem, ex eo petita, quod* Eunomiani *quarto ſeculo exorti, non trinâ ſed unâ merſione in mortem Domini primi baptizaſſe perhibeantur.*

IV. *Huic objectioni reſpondetur. Nec* Socrates *nec* Sozomenus *Eunomium dixit in mortem Domini primum baptizaſſe. Alij longe ante Eunomium in nomine ſolius Chriſti baptizantes Hæretici, amplam ſatis huic condendo Canoni materiam præbuerunt.*

V. Eunomij *hiſtoriam ut à* Theodoreto *traditam, antiquitatem hujus Canonis confirmare potius quam elevare oſtenditur.*

VI. *Traditiones non ſcriptæ Patribus eæ dicuntur, quæ in ſacris Scripturis non continentur. Non eæ quæ nec in ſcriptis Eccleſiaſticis habentur. Cujus rei ſpecimen è S.* Baſilio *datur.*

I. CANONES Apoſtolici à triceſimo quarto ad quinquageſimum, ita conditi ſunt, ut ipſe Dallæus nihil iis vitio vertere, nec inficiari poſſet, eos S. Apoſtolorum tempora & doctrinam ſapere. At in quinquageſimum (quem ille quadrageſimum nonum & Dionyſiacæ collectionis penultimum falſò vocat) infeſtus fertur, eumque non niſi longo poſt Apoſtolos intervallo editum fuiſſe contendit. De Pſeudep. lib. 3. cap. 17. p. 626. Sed ipſum Canonem audiamus, ſic ſtatuentem. Εἴ τις ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος, μὴ τρία βαπτίσματα μιᾶς μυήσεως ἐπιτελέσῃ, ἀλλὰ ἓν βάπτισμα, εἰς τὸν θάνατον τοῦ κυρίου διδόμενον, καθαιρείσθω· οὐ γὰρ εἶπεν ὁ κύριος, εἰς τὸν θάνατόν μου βαπτίσατε, ἀλλὰ πορευθέντες μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ

τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. *Si quis Epiſcopus vel Presbyter non trina unius myſterij baptiſmata perfecerit, ſed unum baptiſma quod datur in mortem Domini, deponatur. Non enim dixit Dominus, in mortem meam baptizate, ſed euntes docete omnes gentes, baptizantes ipſos in nomen Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* In hunc Canonem Dallæus propterea invehitur, quod diſerte præcipiat deponi Epiſcopum vel Preſbyterum qui ſine trinâ in aquam merſione quempiam baptizaverit. Fatetur autem vetuſtiſſimum fuiſſe apud Chriſtianos hunc morem, ut ter, qui baptizabantur, mergerentur. Id tamen vel ab Apoſtolis traditum, vel à Clemente ſcriptum fuiſſe negat. Negamus & nos illud à Clemente ſcriptum, vel ab Apoſtolis totidem ſaltem verbis, quibus hoc Canone concipitur, conſtitutum eſſe. Aliquo tamen modo id ab Apoſtolis traditum, negare non auſi ſumus: utpote quod à S. Patribus, nec ſemel aſſertum legimus. Ut alios enim taceam veteres Eccleſiæ ſcriptores, S. Athanaſium, Cyrillum Hieroſolymitanum, Ambroſium, Hieronymum, qui cum multis aliis de trinâ in baptiſmo merſione, ut ſuis diebus ubique uſitatâ meminerunt, S. Baſilius hunc ritum Apoſtolicæ traditioni diſerte acceptum refert. Primo enim affirmat ille dogmata & inſtituta, quæ in Eccleſiâ iſtis diebus prædicabantur & obſervabantur, quædam haberi è doctrinâ ſcripto traditâ, quædam rurſus ex Apoſtolorum traditione in myſterio tradita eſſe, quorum tamen, inquit, utraque parem vim habent ad pietatem, nec his quiſpiam contradicit, qui vel tenuiter expertus eſt quænam ſint jura Eccleſiaſtica. Cùm hæc & ſimilia dixiſſet, recenſens deinde ea quæ Eccleſia non è ſacris ſcripturis ſed ex Apoſtolorum traditione recepit, inter alia huc non pertinentia, ait, τὸ δὲ τρὶς βαπτίζεσθαι τὸν ἄνθρωπον, πόθεν; ἀλλὰ δὲ ὅσα περὶ τὸ βάπτισμα, ἀποτάσσεσθαι τῷ Σατανᾷ καὶ τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ, ἐκ ποίας ἐστὶ γραφῆς; *Jam ter immergi hominem, unde è ſcripturis hauſtum? Reliqua autem quæ fiunt in baptiſmo, velut renunciare Satanæ, & Angelis ejus, ex quâ ſcripturâ habemus?* Baſil. de Spiritu S. cap. 27. Sed & ipſo S. Baſilio majorem hâc in cauſâ teſtem habemus Tertullianum, qui ante centum ab ultimo Apoſtolorum elapſos annos in Eccleſiâ claruit. Cujus hæc ſunt verba, *Et quamdiu per hanc lineam ſerram reciprocabimus, habentes obſervationem inveteratam, quæ præveniendo ſtatum fecit? Hanc ſi nulla ſcriptura determinavit, certe conſuetudo corroboravit, quæ ſine dubio de traditione manavit. Quomodo enim uſurpari quid poteſt, ſi traditum prius non eſt? Etiam in traditionis obtentu exigenda eſt, inquis, autoritas ſcripta. Ergo quæramus an non traditio non ſcripta debeat recipi. Planè negabimus recipiendam, ſi nulla exempla præjudicent aliarum obſervationum quas ſine ullius ſcripturæ inſtrumento, ſolius traditionis titulo, exinde conſuetudinis patrocinio vendicamus. Denique ut à baptiſmate ingrediar,*

ingrediar, aquam adituri, ibidem, ſed & aliquanto priùs in Eccleſiâ ſub Antiſtitis manu conteſtamur nos renunciare Diabolo & pompæ, & Angelis ejus: dehinc ter mergitamur, amplius aliquid reſpondentes quam Dominus in Evangelio determinavit. Tertull. de coronâ milit. cap. 3. Quibus verbis aperte ſignificatur, nonnullos iſtis etiam diebus obſervatos fuiſſe ritus, qui nuſquam in ſacris Scripturis præcepti leguntur, ſed tantum traditione recepti, & conſuetudine corroborati; huncque de trinâ in baptiſmo merſione unum inter eos eſſe. Cùm vero exiguum adeo temporis ſpatium inter ſanctos Apoſtolos & Tertullianum effluxerit, vix dubitari poteſt, quin ritus Eccleſiaſtici tunc temporis paſſim in Eccleſiâ uſitati ab Apoſtolicâ traditione manârint.

II. Verum Dallæus ritum hunc *ineptiæ* damnat, *ut myſteria neſcio quæ in ternario numero quærentem*: *quod à verorum*, inquit, *Apoſtolorum gravitate ac ſimplicitate longiſſime abeſt.* Quid vero? Ipſe hic ritus myſteria quævis in ternario numero quærit? Cuinam unquam ante Dallæum hujus in mentem venit? Sed Eccleſiam fortaſſe intelligit, apud quam antiquitus vulgo obtinuit; quam propterea ſui immemor ineptiæ damnat, ſuumque ingenium toti primitivæ Eccleſiæ anteponit. Quid autem mali, quid ineptiæ in hoc ritu hæret? Servator noſter mandavit, baptiſmum adminiſtrandum eſſe in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: qui tres ſunt diſtinctæ perſonæ, ac proinde Eccleſia Apoſtolica ac primitiva, quum quempiam baptizabat, eum ter in aquam immergebat, ſemel ſcilicet in unamquamque perſonam, juxta præceptum Domini, nominatam. Quod quidem nemo præter Dallæum ei vitio vertat: præſertim cùm à primitivâ Eccleſiâ nihil myſterij in eo quæreretur, nedum in ternario numero tunc temporis adhibito. Quod ſi qui poſtea myſteria neſcio quæ in iſto numero quæſiverunt, ipſi hoc viderint: Ut eorum autem culpa ac ineptia vel ipſi ritui vel Eccleſiæ eundem obſervanti objiceretur, injuſtum nimis eſt & periniquum. *Sed ex multis*, inquit Dallæus, *non ſacrarum modo literarum, ſed & ipſius Eccleſiaſticæ antiquitatis monumentis clarum eſt, ad baptiſmum ſatis eſſe unam vel merſionem vel etiam aſperſionem.* Eſto. Quid hinc ſequitur? *Ergo*, inquit, *iniquus eſt, Apoſtoliſque adeo indignus hic Canon, qui baptiſmum unâ vel alterâ merſione celebrantes damnat, omninoque trinam merſionem requirit.* Verumenimvero hunc ritum ut ter mergerentur quicunque baptizabantur, apud univerſam Eccleſiam primitivam obtinuiſſe, ipſe Dallæus, rei veritate victus negare nequit, ſed ſæpe confeſſus eſt. Annon igitur in Eccleſiæ poteſtate ſitum erat, illud ſub pœnâ ſancire, quod ubique obſervatum erat, & ab Apoſtolicâ traditione receptum? An iniquum erat eos damnare & pœnis ſubjicere, qui univerſam Eccleſiæ praxim ſchiſmaticè violabant? Hoccine Apoſtolis indignum, vetare ne ſchiſma in Eccleſiâ fiat, eoſque punire qui faciunt? Quid vero ſi Canon non

K k damnet

damnet eos qui ſimpliciter trinâ merſione in baptiſmo celebrando non utuntur, ſed eos ſolos qui baptizatum ter propterea non immergunt, quod baptiſmum non in nomine SS. Trinitatis, ſed tantum in mortem Chriſti celebrarent? Profectò qui verba attente & ſine præjudicio legit, hunc genuinum eſſe eorum ſenſum facile videbit. Canon enim non dicit, *Si quis Epiſcopus, vel Presbyter non tria unius myſterij baptiſmata perfecerit, deponatur.* Sed hoc dicit, *Si quis Epiſcopus vel Presbyter non tria unius myſterij baptiſmata perfecerit, ſed unum baptiſma in mortem Domini datum, deponatur.* Quæ ultima verba, *ſed unum baptiſma in mortem Domini datum,* conjunctim haud dubie cum prioribus intelligenda ſunt. Adeo ut iſti ſoli hoc Canone damnentur, non qui unâ merſione abſolutè, ſed qui unâ merſione in mortem Chriſti datâ utuntur. Quod etiam è ratione ſanctioni additâ manifeſtius evadit, ut ſic habente, *Non enim dixit Dominus in mortem meam baptizate, ſed euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Quæ quidem ratio clariſſimè oſtendit, Canonem in eos ſolos ſancitum eſſe, qui non in nomine SS. Trinitatis juxta Domini inſtitutionem, ſed tantum in mortem Chriſti baptiſmum adminiſtrant. A quibus, ut præceptum Domini violantibus, depoſitionis pœna jure exigitur. Quin hoc etiam ex ipſâ Dallæanâ horum verborum interpretatione eliciatur. Dicit enim, *Sed hæc quæ dixi verba* (nimirum *ſed unam merſionem in mortem Domini datam*) *ideo addit Canon, quod nulli ſcilicet præter iſtos in Domini mortem baptizantes, apud Chriſtianos tum reperirentur, qui baptiſmum aliter quam tribus merſionibus peragerent.* Pag. 628. Hinc enim neceſſario conſequitur, eos ſolos hoc Canone damnari, qui in mortem Chriſti baptizabant: ſiquidem omnes alij Dallæo judice baptiſmum non niſi trinâ merſione peragebant. Canon autem eos, qui non modo SS. Trinitatem negabant, verum & ipſum baptiſmi ſacramentum, ut à Domino inſtitutum corrumpere & violare auſi ſunt, deponi jubens, nec iniquus, nec ipſis adeo Apoſtolis indignus habeatur. Nihil ſaltem vetat, quo minus ab Eccleſiâ Apoſtolicâ conſtitui & divulgari potuit.

III. Hinc alio ſe convertit vir doctiſſimus, huncque Canonem non modo non ab ipſis Apoſtolis, ſed nec ante Annum Domini CCCXXXVII. editum fuiſſe probare enititur, eo ſcilicet quod non alij in veteri Chriſtianiſmi hiſtoriâ occurrunt quam Eunomiani quidam, qui teſte Socrate, οὐκ εἰς τὴν τριάδα, ἀλλ᾽ εἰς τὸν τοῦ Χριστοῦ βαπτίζουσι θάνατον, *Non in Trinitatem, ſed in mortem Chriſti baptizant.* Socrat. Hiſt. Eccleſ. lib. 5. c. 24. Quique ut Synodus Conſtantinopolitana prima docet (Canone nimirum ſeptimo, qui tamen iſti Synodo falſo adſcribitur) *εἰς μίαν κατάδυσιν ἐβάπτιζοντο, unâ merſione baptizabantur.* Quod utrumque, inquit, ex Theodoreto

doreto diſcimus, qui hoc Eunomij de baptiſmo placitum refert, μὴ δεῖν τρὶς καταδύειν τὸν βαπτιζόμενον, μηδὲ ποιεῖσθαι τὴν τῆς τριάδος ἐπίκλησιν, ἀλλ' ἅπαξ βαπτίζειν εἰς τὸν θάνατον τοῦ Χριστοῦ, *Non oportere ter illum immergere qui baptizatur, nec Trinitatem invocare, ſed ſemel immergere in mortem Chriſti.* Theodoret. hæret. Fab. lib. 4. cap. 3. Ad iſtos, inquit Dallæus, totum hunc Dionyſiacæ ſive Græcanicæ collectionis Canonem XLIX. reſpicere ac pertinere, qui non intelligit, næ ille nihil intelligit. Itaque cum ij, quos rectâ ferit, Eunomiani Conſtantij principatu, hoc eſt, poſt An. Dom. CCCXXXVII. exorti ſint, fieri profecto non poteſt, ut non modo Apoſtolis ſed etiam Clemente duobus totis & amplius ſeculis recentior non fuerit, qui hunc Canonem condidit. Hactenus Dallæus cujus argumentum firmius adhuc è Sozomeni teſtimonio adſtructum videatur, dicentis, φασὶ δέ τινες πρῶτον τοῦτον τὸν Εὐνόμιον τολμῆσαι εἰσηγήσασθαι ἐν μιᾷ καταδύσει δεῖν ἐπιτελεῖν τὴν θείαν βάπτισιν, καὶ παραχαράξαι τὴν ἀπὸ τῶν Ἀποστόλων εἰσέτι νῦν ἐν πᾶσι φυλαττομένην παράδοσιν, *Aiunt porro quidam Eunomium hunc primum aſſerere auſum eſſe, quod ſacrum baptiſma unâ merſione peragendum ſit, & traditionem, quæ ab Apoſtolis ad hunc uſque diem ubique ſervatur, corrupiſſe.* Sozom. lib. 6. cap. 26. Hoc autem teſtimonium cautus prudenſque omiſit vir eruditus, ut illud quod hoc Canone ſancitur, ab ipſis Apoſtolis traditum, & ab iis uſque ad Sozomeni ætatem, & quidem ubique ſive ab omnibus Eccleſiis ſervatum aſſerens, quod à Dallæanâ de eo opinione uſque adeo abhorret, ut ſine ſummo cauſæ periculo ab eo divulgari non poſſit.

IV. Hoc autem etiamſi, primo ſaltem intuitu, aliqualem argumenti ſpeciem præ ſe ferat, eò quod veriſimile ſit hæreticum aliquem in mortem Chriſti baptizantem, huic condendo Canoni occaſionem præbuiſſe, ſi paulo tamen attentius inſpiciatur, nihil in ſe continet, quod tantæ eum novitatis arguit. Enimvero Socrates & Sozomenus Eccleſiaſticas ſuas, ut cuique notum eſt, hiſtorias ab eo demum tempore incipiunt, in quo hiſtoria Euſebij Cæſarienſis deſiit: ac proinde nihil ex iis certi de Eccleſiæ primitivæ diſciplinâ hauriri poteſt. Quod itaque Sozomenus de Eunomio ſcribit, eum ſcilicet primum juxta nonnullos aſſeruiſſe, quod ſacrum baptiſma unâ tantum merſione peragendum ſit, de iſtis ſolis temporibus intelligendum eſt, quorum hiſtoriam ille contexuit: quibus etiam ipſis Eunomium hoc primum prædicâſſe, ipſe Sozomenus non affirmat, ſed dicit tantummodo φασὶ δέ τινες, *nonnulli hoc dicunt.* Quibus verbis hanc aliorum quidem nonnullorum, ſed non ſuam eſſe opinionem indicat. Quin iſti etiam qui illud affirmabant, de ſuis tantum temporibus loquebantur, quibus Eunomius primus hoc aſſerere auſus eſt. Socrates autem & Theodoretus, licet hanc Eunomij ſententiam fuiſſe conſentiant, neutiquam tamen

men illum primum ita ſenſiſſe dicunt: ſed obſervant tantummodo eum unâ merſione in mortem Domini datâ baptiſmum celebrâſſe. Quod alij proculdubio hæretici nonnullis retro ſeculis aſſeruerant & factitârant: quod nec Socrates, nec Theodoretus, nec ipſe Sozomenus negavit uſpiam, vel negare potuit. Multis enim ante Eunomium annis Monarchiani, Praxeani aliique blaſphemi hæretici Sacroſanctam Trinitatem negaverant, ac proinde trinam in baptiſmo merſionem admittere non potuerunt, quippe quæ tres diſtinctas in divinâ naturâ perſonas ſupponit, in quas ſingulas baptiſmus adminiſtratur. Unde Tertullianus Patris ac Filij adeoque perſonarum SS. Trinitatis diſtinctionem hoc argumento demonſtrat, quòd Baptiſmus juxta Dominicam inſtitutionem in ſingulas perſonas celebrandus ſit. Etenim adverſus Praxean ejuſque gregales de hâc re diſputans, hæc habet, *Et poſt reſurrectionem ſpondens* Chriſtus, *miſſurum ſe diſcipulis promiſſionem patris, & noviſſimè mandans, ut tinguerent in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, non in unum. Nam nec ſemel ſed ter, ad ſingula nomina in ſingulas perſonas tinguimur.* Tertull. adv. Prax. cap. 26. Ubi etiam verba iſta, *& non in unum,* Praxean aliosque iſtius ſeculi hæreticos, in unum, in Chriſtum ſcilicet, ejuſque mortem baptizare ſolitos fuiſſe innuunt. Quod etiam è D. Cypriano indubium redditur. Hunc acriter contendiſſe eos qui ab hæreticis ad Eccleſiam Catholicam converſi ſunt, baptizandos eſſe, & baptiſmum ab hæreticis collatum à nemine tanquam verum admittendum, nemo neſcit. Si rationem autem quæramus quâ in hanc opinionem inductus eſt, huc fere redit, quod iſtorum temporum hæretici non in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, juxta quod à Domino præſcriptum eſt, ſed tantum in nomine Chriſti pro nobis mortui baptizare ſolerent. *Cum ergo*, inquit, *ex ipſius Chriſti prædicatione & conteſtatione Pater ante cognoſcendus ſit qui miſit, tum deinde Chriſtus qui miſſus eſt, nec poſſit eſſe ſpes ſalutis niſi duobus ſimul cognitis, quomodo non cognito, imo & blaſphemato Deo Patre, qui apud hæreticos Chriſti nomine baptizati dicuntur, peccatorum remiſſam conſecuti judicantur?* Et paucis interjectis, *Denique ubi poſt reſurrectionem, à Domino Apoſtoli ad gentes mittuntur, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti baptizare gentiles jubentur. Quomodo ergo quidam dicunt, foris extra Eccleſiam, imo & contra Eccleſiam modo in nomine Ieſu Chriſti, ubicunque & quomodocunque gentilem baptizatum remiſſionem peccatorum conſequi poſſe, quando ipſe Chriſtus gentes baptizari jubeat in plenâ & adunatâ Trinitate.* Cyprian. Epiſt. LXXIII. ad Jubajan. Eadem fere repetit in Epiſtolâ ad Pompeium, & paſſim alibi. E quibus conficitur iſtius ſeculi hæreticos in Deum Patrem blaſphemâſſe, ac propterea baptiſmum non in adunatâ Trinitate, ſed tantum in nomine Chriſti, qui pro nobis mortuus eſt, adminiſtrâſſe. Contra quos proinde talis, qualem ſub manibus habemus, Canon ab Eccleſiâ ederetur neceſſe

neceſſe fuit: ut magnum ſcilicet hoc Sacramentum, quo in Eccleſiam Chriſtianam admittimur, juxta Chriſti ipſius inſtitutionem in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & non tantum in nomine vel in mortem Chriſti peragatur. Huic ſaltem conſtituendo Canoni veteres illi, qui Eccleſiam ſecundo tertioque ſeculo infeſtarunt, hæretici, amplam ſatis materiem præbuerunt, æque ac Eunomius qui quarto nondum adulto exortus eſt.

V. Argumentum igitur ex Eunomio petitum, antiquitati hujuſce Canonis nihil detrahit. Quin potius hæretici iſtius hiſtoria, ut a Theodoreto tradita, luculentum eidem adſtruendæ argumentum ſuppeditat. Ille enim de Eunomio loquens hæc habet, Αὐτὸς καὶ τοῦ ἁγίου βαπτίσματος ἀνέτρεψε τὸν ἀνέκαθεν παρὰ τοῦ κυρίου καὶ Ἀποστόλων παραδοθέντα θεσμὸν, καὶ ἄντικρυς ἀντινομοθέτησε, μὴ χρῆναι λέγων τρὶς καταδύειν τὸν βαπτιζόμενον, μηδὲ ποιεῖσθαι τὴν τῆς Τριάδος ἐπίκλησιν, ἀλλ᾽ ἅπαξ βαπτίζειν εἰς τὸν θάνατον τοῦ Χριστοῦ, *Idem ſancti etiam baptiſmatis legem antiquitus à Domino ac Apoſtolis traditam evertit, & contrariam aperte ſanxit, dicens non oportere ter illum immergere qui baptizatur, nec Trinitatem invocare, ſed ſemel baptizare in Chriſti mortem.* Theodoret. hæret. Fab. lib. 4. cap. 3. Hic enim legem à Domino ac Apoſtolis ejus latam aſſerit, ut SS. Trinitas in baptiſmo adminiſtrando invocetur ſive nominetur, utque is qui baptizatur, ter in aquam immergatur, cui propterea Eunomius ἄντικρυς, ut ait, ἀντινομοθέτησε, *contrariam plane legem ſanxit*, Cum hos ritus minime neceſſarios, nec omnino obſervandos eſſe, ſed baptiſmum in mortem Chriſti conferendum edixerit. Et quidem de SS. Trinitate invocandâ res ſatis conſtat, cùm ipſe Dominus in mandatis dederit, ut baptiſmus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti peragatur. Ubi vero eſt lex iſta ab Apoſtolis data, cui Eunomius contradixit, imo contrariam legem tulit? Ubi illi tradiderunt, ut baptiſmus trinâ merſione, & non unâ ſolâ in mortem Chriſti datâ celebretur? Talem ſane legem vel à Domino, vel ab Apoſtolis ejus latam Theodoretus hoc in loco diſerte affirmat. Conſtat autem Dominum illud nuſquam præcepiſſe: Apoſtolos etiam nullam eâ de re legem in ſacris ſcripturis tuliſſe conſtat. Reſtat igitur, ut lex iſta Apoſtolica, cui Theodoretus Eunomium contrarium ſanxiſſe aſſerit, nihil aliud fuerit, quam præſens Canon Apoſtolicus, conceptis verbis præcipiens, ut baptiſmus trinâ merſione perficiatur, & non unicâ in mortem Chriſti collatâ, cui lex ab Eunomio lata planè contraria fuit. Neque ulla unquam lex ſive conſtitutio Eccleſiaſtica de hâc re Apoſt. nomen ſibi inſcriptum habuit, præter hunc unum Apoſtolicum vulgo appellatum Canonem. Quem propterea Theodoretus in animo habuiſſe videtur, cum verbis ſupra laudatis, Eunomium in baptiſmi celebratione Apoſtolorum legem evertiſſe,

tiſſe, eique contrariam ſanxiſſe dicebat. Adeo ut hoc Theodoreti teſtimonium, tantum abeſt ut antiquitatem horum Canonum convellat, ut inter ea potius recenſeatur argumenta, quibus noſtra de iis opinio confirmatur.

VI. Hiſce diffiſus, Dallæus aliâ adhuc machinâ antiquitatem hujuſce Canonis labefactare conatus eſt, &, quod mirum eſt, novitatem illius exinde probare, quod ab ipſis Domini Apoſtolis antiquis Patribus traditus perhibeatur. *Sed & aliter*, inquit, *ejuſdem novitas deprehenditur. Hanc enim trinam quam in baptiſmo decernit merſionem, & Tertullianus, & Baſilius, & Hieronymus graviſſimi viri authores ſint ſolâ mutâ & ἀγράφῳ traditione fuiſſe à majoribus receptam, nullâ ſcriptâ lege, nullis literarum tabulis expreſſam aut præceptam.* Interjectis deinde Patrum iſtorum teſtimoniis à nobis ante partim recitatis, infert, *Atqui & hujus ritus ſcripta erat lex, ſi Apoſtolicus hic à Clemente ſcilicet ſcriptus Canon extabat.* Dall. de Pſeudep. pag. 630, 631. Nos hunc Canonem à Clemente ſcriptum fuiſſe haudquaquam contendimus. Veruntamen non poſſumus non mirari, quo demum artificio ſibi perſuadere potuit Dallæus, hunc Canonem novitatis ex eo convinci poſſe, quod res in eo decreta ab antiquis adeo ſcriptoribus ad Apoſtolicam traditionem referatur. Neminem, nedum Dallæum latere potuit, Patres, ubicunque leges ſcriptas & ἀγράφυς traditiones diſtinguunt, nihil aliud ſibi per leges ſcriptas velle, quam ipſas ſacras ſcripturas divinitus inſpiratas. Quicquid autem in iis non habetur, & nihilominus ſemper & ubique obſervatum ab Eccleſiâ fuit, illud traditioni acceptum retulerunt, licet in ſexcentis aliis libris præſcriptum eſſet. Exempla paſſim occurrunt. Nos unicum edemus ad rem noſtram imprimis faciens. S. Baſilius unus è graviſſimis illis viris à Dallæo hic laudatis, inter ἀγράφυς traditiones à ſe recenſitas refert, quòd primâ Sabbati erecti preces effundere ſolebant. Καὶ ὀρθοὶ μὲν πληρῦμεν τὰς εὐχὰς ἐν τῇ μιᾷ τῦ σαββάτυ. Eundem ritum per totum tempus à Paſcha ad Pentecoſten obſervatum fuiſſe aſſerit. Hæcque inter ἄγραφα τῆς ἐκκλησίας μυςήεια recenſet, Baſil. de Spir. Sancto, cap. 27. Conſtat autem Tertullianum, alioſque S. Baſilio longe antiquiores Patres eundem ſcriptis mandâſſe ritum. Imo quidem lex ab ipſo Concilio Nicæno ſcripta extabat, hæc diſerte præcipiens, Ἐπειδή τινές εἰσιν ἐν τῇ κυριακῇ γόνυ κλίνοντες, καὶ ἐν ταῖς τῆς πεντηκοςῆς ἡμέραις, ὑπὲρ τῦ πάντα ἐν πάσῃ παροικίᾳ ὁμοίως παραφυλάττεσθαι, ἑςῶτας ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ τὰς εὐχὰς ἀποδιδόναι τῷ Θεῷ. *Quoniam ſunt quidam qui in die Dominico genu flectunt, & ipſis diebus Pentecoſtes, ut omnia ſimiliter in omni parochiâ ſerventur, viſum eſt ſanctæ Synodo, ut ſtantes Deo orationes effundant.* Syn. Nic. Can. XX. Sed non obſtante ipſo Nicæno decreto,

creto, S. Baſilius hunc ritum non ſcriptâ lege, ſed ſolâ mutâ traditione à majoribus acceptum refert. Eo ſcilicet quod in ſacris ſcripturis non continetur. Idem & de Apoſtolico hoc Canone dicatur: Utpote quo non obſtante, S. Baſilius aliique antiquiores Patres ter baptizatum immergendi ritum ſoli traditioni propterea adſcribunt, quod in ſacris ſcripturis nec præceptum illius nec exemplum habeamus. Qui hunc autem Canonem ſcriptis antea non mandatum fuiſſe ex eo probare molitur, quod ad mutam ſive ἄγραφον traditionem à Patribus referatur, idem eodem argumento probet, Nicænum de precibus fundendis Canonem ſcriptum non extitiſſe, cum S. Baſilius ritum iſtum ἄγραφον eſſe traditionem aſſerebat. Quo nihil abſurdius effingi poteſt. Siquidem Nicænum iſtum Canonem multis ante S. Baſilium annis editum fuiſſe inter omnes conſtat. Adhæc quas Patres *traditiones* nominarunt, eas omnes ab Apoſtolis manâſſe crediderunt. Quapropter Tertullianus aliique antiquum hunc ritum, quo baptizati ter immergerentur, per traditionem ab Eccleſiâ receptum arbitrantes, eo ipſo nomine eundem ab ipſis Apoſtolis derivatum traditumque judicarunt. Quod quidem eum novitatis uſque adeo non arguit, ut antiquiſſimum potius Eccleſiæ ritum fuiſſe demonſtrat, digniſſimumque qui in Codicem Canonum Eccleſiæ Primitivæ colligatur.

CAPUT

CAPUT VII.

Synopſis.

I. *Quid contra Canones Apoſt. LII. & LXII. de Pœnitentibus recipiendis objectum ſit?*
II. *Pœnitentes ſecundo tertioque ſeculo ab Eccleſiâ receptos eſſe probatur. Quod ſi clerici eſſent, ad laicam tantum communionem admiſſi ſunt.*
III. *Quicquid his Canonibus decernitur Apoſtolorum doctrinæ convenit.*
IV. *Canon LX. de libris hæreticis. Multi hujuſmodi libri iſtis diebus editi ſunt. A* Valentino, Marcione, & *aliis. Evangelium ſecundum* Ægyptios, *ſecundum* Hebræos, Judæ, Veritatis.
V. *Canon Apoſt. LXIII. Apoſtolorum Doctrinæ & decreto conſonat. Lex Moſaica de ſanguine & ſuffocatis non edendis, neceſſaria judicata eſt obſervatu aliquandiu poſt Apoſtolos. Ab Eccleſiâ occidentali diu obſervata fuit, ab Orientali ad hunc uſque diem.*
VI. *Canon LXVI. defenditur. Primitiva Eccleſia die dominico non jejunabat, neque Sabbato, niſi magno. Hæreſis Marcionis huic de Sabbato non jejunando Sanctioni materiam dedit.*
VII. *Poſt Extinctam iſtam hæreſin, nonnullis in locis Sabbato jejunatum eſt, aliis non. D.* Ambroſij *de hujuſmodi rebus conſilium.*

I. QUICQUID V. Cl. Johannes Dallæus contra quemvis è quinquaginta prioribus Apoſtolorum Canonibus à Dionyſio Exiguo latine verſis objecit, quod noſtram de iis opinionem quovis modo labefactare videatur, expendimus hucuſque & diluimus. Reliquum eſt, ut eas etiam diſcutiamus exceptiones, quas contra triginta quinque poſteriores excogitavit. E quibus in ſecundum, quem ille primum vocat, quique totius collectionis eſt LII. primum impetum

petum facit. Canon iſte ſic habet, Εἴτις ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος τὸν ἀποστρέφοντα ἀπὸ ἁμαρτίας, οὐ προσδέχεται, ἀλλ᾽ ἀποβάλλεται, καθαιρείσθω· ὅτι λυπεῖ τὸν Χριστὸν τὸν εἰπόντα, χαρὰ γίνεται ἐν οὐρανῷ ἐπὶ ἑνὶ ἁμαρτωλῷ μετανοοῦντι. *Si quis Epiſcopus vel Presbyter eum qui à peccato convertitur non recipit, ſed rejicit, deponatur, quoniam Chriſtum moleſtiâ afficit, dicentem, Gaudium eſt in cœlo propter unicum peccatorem pœnitentiam agentem.* Huic, inquit Dallæus, jungendus quoque eſt ejuſdem ſententiæ ſexageſimus primus (ſecundus potius) edicens, ut Clericus negator *ſi pœnitentiam egerit, ut laicus recipiatur.* Hos duos Canones novos eſſe, & non ante Tertulliani, & ipſius Cypriani tempora conſtitutos ex eo pronunciat & demonſtrare nititur Dallæus, quòd controverſias dirimant iſtis demum temporibus exortas, quod ante Cyprianum, hoc eſt ante An Dom. CCL. alius fuiſſet Eccleſiæ uſus, quam qui his Canonibus exhibetur, & eâ demum tempeſtate lapſos ad pœnitentiam admittendos decretum ſit. Hæc Dallæanæ contra antiquitatem horum Canonum exceptionis ſumma eſt, quatenus noſtram ſcilicet de iis ſententiam pulſat. Dall. de Pſeud. l 3. c. 12.

II. De hâc autem objectione, ut Turrianum petente, nihil eſt quod nos admodum ſoliciti ſimus, qui hos Canones non ab Apoſtolis ſancitos, non à Clemente ſcriptos, ſed ab Eccleſiâ primitivâ Tertulliani circiter & Cypriani tempora conſtitutos editoſque fuiſſe contendimus. Quin illud enim quod hiſce duobus Canonibus decernitur, iſtis diebus in Eccleſiâ Catholicâ obtinuerit, nec ipſe Dallæus, nec Albaſpinæus ab eo laudatus, nec quivis alius unquam negavit. Univerſa enim iſtorum temporum commentaria id manifeſtum ac indubitatum faciunt. Cautum eſt enim Canone LII. ut is qui a peccato convertitur in Eccleſiam recipiatur, per publicam ſcilicet abſolutionem, quam ſuâ ætate uſitatam fuiſſe Tertullianus teſtis eſt, ubi dicit, *An melius eſt damnatum latere quam palam abſolvi?* Tertull. de pœnitent. cap. 10. Origenes etiam Tertulliano æqualis docet, ut Eccleſia converſos à peccatis receperit, ubi de Chriſtianis loquens, hæc habet, οὗτοι δὲ ὡς ἀπολωλότας καὶ τεθνηκότας τῷ Θεῷ τοὺς ἀπ᾽ ἀσελγείας, ἤ τινος ἀτόπου νενικημένους, ὡς νεκροὺς πενθοῦσι, καὶ ὡς ἐκ νεκρῶν ἀναστάντας, ἐὰν ἀξιόλογον ἐνδείξωνται μεταβολὴν χρόνῳ πλείονι τῆς κατ᾽ ἀρχὰς εἰσαγομένων, ὕστερόν ποτε προσίενται, εἰς οὐδεμίαν ἀρχὴν καὶ προστασίαν τῆς λεγομένης ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ καταλέγοντες τοὺς φθάσαντας μετὰ τὸ προσεληλυθέναι τῷ λόγῳ ἐπταικέναι. *Hi vero ut perditos Deoque mortuos lugent eos qui libidine aliove malo victi fuerunt, ac rurſus reſipiſcentes haud ſecus quam redivivos recipiunt, tandem poſt longiorem melioris mentis approbationem, quam cum primum ad religionem diſcendam admitterentur, eâ tamen conditione, ut quoniam lapſi ſunt, excludantur in poſterum ab omnibus dignitatibus ac magiſtratibus Eccleſiaſticis.* Orig. contra Celſ. lib. 3. E quibus verbis

bis liquet, non modo eos,qui probatâ peccatorum ſuorum pœnitentiâ ducti fuerunt, ab Eccleſiâ receptos eſſe, juxta quod Canone præſenti LII. decretum eſt, verum illud etiam quod Canone LXI. definitur, tunc temporis obſervatum fuiſſe, ut is ſcilicet, qui fornicationis, adulterij, aut alicûjus alius prohibitæ actionis convictus fuerit, ad clerum non provehatur. Fateor equidem primis Chriſtianiſmi diebus eum fuiſſe Eccleſiæ rigorem, eam ſeveritatem, ut mœchis, homicidis, & idololatris pax non niſi difficillimè indulgeretur. Conſtat autem Zepherinum, pontificem Romanum, Tertulliano coævum, decretum de mœchis admittendis ediſſe, his verbis conceptum, *Ego & mœchiæ, & fornicationis delicta pœnitentiâ functis dimitto.* Apud Tertull. de Pudicitiâ cap. 1. Et ab iſto ſaltem tempore etiam Mœchi & fornicatores ad pœnitentiam, & eâ peractâ ad communionem ab Eccleſiâ Catholicâ admiſſi ſunt. Tametſi Tertullianus, jam Montaniſta factus, graviſſime in illud ibidem invehatur. Et paulo poſt homicidæ etiam ac idololatræ, qui vel comminationibus ſcilicet vel tormentis victi idolis ſacrificârant, Eccleſiæ reconciliati ſimul ac à peccatis ſuis converſi ſunt, & debitam pœnitentiam egerunt. Hoc è D. Cypriani Epiſtola ad Antonianum, aliiſque ejus opuſculis uſque adeo conſtat, ut ipſi etiam adverſarij illud diffiteri nequeant. Præſertim, cum id à Synodo tam Romana ſub Cornelio, quàm Africana ſub Cypriano habita decretum fuerit: Et quod inprimis obſervandum eſt, D. Cyprianus eandem in hac cauſa rationem è Chriſti verbis petitam reddit, quæ in hoc Canone exhibetur. *Quos utique*, inquit, *ad pœnitentiam Dominus non hortaretur, niſi quia pœnitentibus indulgentiam pollicetur; & in Evangelio, dico, inquit, vobis ſic erit gaudium in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quam ſuper nonaginta novem juſtis, quibus non opus eſt pœnitentiâ.* Cyprian. Epiſt. LII.ad Antonian. Et quod ad Canonem LXII. huic à Dallæo conjunctum præterea ſpectat, quo ſcilicet cavetur, ut Clericus negator pœnitentia ductus, *recipiatur ut Laicus*, Id D. Cypriani tempore & ante obtinuiſſe, ex eodem conſtat,qui de Trophimo quodam clerico, qui in errorem lapſus, ejuſdem modo pœnitentiam egerat, loquens, ait, *Tractatu ergo illic cum collegis plurimis habito, ſuſceptus eſt Trophimus, pro quo ſatisfaciebat fratrum reditus & reſtituta multorum ſalus. Sic tamen admiſſus eſt Trophimus, ut Laicus communicet: non ſecundum quod ad te malignorum literæ pertulerunt, quaſi locum Sacerdotis uſurpet.* Id. ibid. Hinc enim conſtat hanc vulgarem fuiſſe paſſimque ante receptam Eccleſiæ diſciplinam, ut Clerici à peccatis aut hæreſibus converſi in priſtinam dignitatem non reſtituerentur, ſed tantum ad communionem Laicam. Cum malignorum enim literæ ad Antonianum pertulerint, Trophimum in locum,unde cecidit, Sacerdotalem, à D. Cypriano reſtitutum eſſe, ei ſe purgat D. Cyprianus, aſſeritque Trophimum ita admiſſum eſſe, ut communicet tantum ut Laicus.

cus. Verumenimvero haud neceſſe fuiſſet, ut Sanctiſſimus Pater hâc ſuſpicione ſe exſolveret, niſi diſciplina ab Eccleſia prius recepta exegiſſet, ut Clericus delinquens non aliter ac Laicus admittatur, juxta quod in dicto Apoſtolico Canone præſcriptum habemus.

III. His autem pleniori explicatione non opus eſt; ſiquidem Apoſtolicos hoſce de pœnitentibus recipiendis Canones Eccleſiaſticæ diſciplinæ tertio ſaltem ineunte ſeculo uſitatæ conſentaneos eſſe, inter omnes, ipſos etiam adverſarios, conſtat. Hoc enim ſententiæ noſtræ hoſce Canones iſtis diebus conditos editoſque ſtatuenti, abunde ſufficit. Quod autem ad præſentes inſuper duos Canones à Dallæo impugnatos ſpectat, nihil certe in iis decernitur, quod non cum Chriſti ipſius, & Apoſtolorum ejus doctrina convenit. Utpote quæ homines ad pœnitentiam agendam paſſim invitat, & verè pœnitentibus peccatorum remiſſionem pollicetur. Et etiamſi non deeſſent in Eccleſia primitiva ac Apoſtolica, qui in nonnulla peccatorum genera ſeveriores eſſent, Catholica tamen Eccleſia etiamrecens fundata, vera pœnitentia ductum nec à Deo rejectum docuit, nec ipſa unquam rejecit. Adamitæ autem, Montaniſtæ, & qui poſt eos exorti ſunt Novatiani, pacem Eccleſiaſticam pœnitentibus denegantes, inter hæreticos & Apoſtolicæ doctrinæ corruptores perpetuo, meritoque recenſiti ſunt. Adeo ut nihil in duobus hiſce Canonibus occurrat, quo minus ab Eccleſia Apoſtolica ſanciri potuerunt, ac debuerunt etiam, cùm Catholica Doctrina ab ea vindicata, ab hæreticis tam cito oppugnata fuerit. Unde etiam Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus An. Dom. CLX. plus minus, idem fere in mandatis dederit quod in Apoſtolicis hiſce Canonibus jubetur. Nam in Epiſtola quam ad Amaſtrianorum & cæteras Eccleſias Ponti conſcripſit, referente Euſebio, πολλὰ περὶ γάμου καὶ ἁγνείας αὐτοῖς παραινεῖ, καὶ τοὺς ἐξ οἵας δ' οὖν ἀποπτώσεως εἴτε πλημμελείας εἴτε μὴν αἱρετικῆς πλάνης ἐπιστρέφοντας, δεξιοῦσθαι προστάττει. *Multa de nuptiis & de caſtitate iis præcipit; & cunctos qui à quovis lapſu ſive delicto, ſive etiam ab hæretica pravitate convertuntur, benigne ſuſcipi jubet.* Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 4. cap. 23.

IV. Poſthæc Dallæus Canonem Apoſtolicum LIX. (nobis LX.) adoritur: quippe qui vetat in Eccleſia publicari τὰ ψευδεπίγραφα τῶν ἀσεβῶν βιβλία, *falſo inſcriptos impiorum libros*, edita ab hæreticis, inquit vir doctus, ſub ementitis Apoſtolorum & diſcipulorum nominibus Evangelia, Acta, Itineraria, & alia ejuſdem farinæ opuſcula clariſſimè demonſtrans, quæ nondum ipſis Apoſtolorum temporibus nata, poſtea emerſerunt. Dall. de Pſeudep. lib. 3. cap. 12. Non equidem diffiteor, quin Evangelia ab hæreticis conficta, aliique Apoſtolorum nomina falſo præ ſe ferentes libri hoc Canone intelligantur. Utrum tales ipſis Apoſtolorum tem-

poribus conſarcinati eſſent, nihil eſt quod nos laboremus; etiamſi veri nobis pluſquam ſimillimum videatur. Sed noſtræ ſatis eſt opinioni confirmandæ, ſi tales libri ab hæreticis (qui hoc & XLVII. Canone ἀσεβεῖς vocantur) ante tertium æræ Chriſtianæ ſeculum conſcripti ſint. Hoc autem nemo qui antiquitatem Eccleſiaſticam vel primis deguſtavit labiis, ignorare poteſt. Ut hæreſes enim unà cum Catholica doctrina ſeminari cæperunt, ſic & autores earum ac propugnatores multa ſtatim de iis volumina ediderunt. Ut mittam enim Phaneroſeis ab Appelle, Epiſtolas & Antitheſes à Marcione, Sophiam, Pſalmos, & Epiſtolas à Valentino & Commentarios ab ejus diſcipulis, aliaque quam plurima hæreticorum figmenta in ipſa Eccleſiæ infantia edita, & ab Irenæo, & Tertulliano memorata, Evangelium ſecundum Ægyptios ſuis extitiſſe diebus teſtis eſt Clemens Alexandrinus dicens, φέρεται δὲ οἶμαι ἐν τῷ κατ' Αἰγυπτίους εὐαγγελίῳ. Stromat. lib. 3. pag. 452. & poſtea, πρῶτον μὲν οὖν ἐν τοῖς παραδεδομένοις ἡμῖν τέτταρσιν εὐαγγελίοις οὐκ ἔχομεν τὸ ῥητόν, ἀλλ' ἐν τῷ κατ' Αἰγυπτίους. Ibid. pag. 465. Idem etiam citat Evangelium ſecundum Hebræos, ἢ κἀν τῷ καθ' Ἑβραίους, inquit, τῷ εὐαγγελίῳ, ὁ θαυμάσας βασιλεύσει γέγραπται, καὶ ὁ βασιλεύσας ἀναπαύσεται. Id. Strom. lib. 2. pag. 380. Adhæc *Evangelium Judæ* dictum Irenæi ætate ab hæreticis circumferebatur, utpote qui ejuſdem mentionem fecerit, his verbis, *Et confinctionem afferunt hujuſmodi, Judæ Evangelium illud vocantes.* Iren. lib. 1. cap. 35. Marcion etiam ſe diverſum ab aliis Evangelium habere aſſeruit, Ibid. lib. 3. cap. 11. Valentiniani volumen à ſe confictum *Veritatis Evangelium* perfricta fronte nuncupare auſi ſunt. *Hi vero*, inquit Irenæus, *qui ſunt à Valentino, iterum exiſtentes extra omnem timorem, ſuas conſcriptiones proferentes, plura habere glorientur quam ſunt ipſa Evangelia. Siquidem in tantum proceſſerunt audaciæ, uti quod ab his non olim conſcripum eſt, veritatis Evangelium titulent, in nihilo conveniens Apoſtolorum Evangeliis, ut nec Evangelium quidem iis ſit ſine blaſphemiâ.* Ibid. Cum hæc igitur aliaque quæ hujuſcemodi plurima proferri poſſunt, omni impietate, hæreſique & blaſphemia conferta volumina, ſecundo currente ſeculo in lucem prodierint, idque ſub ſpecioſo Evangeliorum nomine, haud mirum eſt quod ab Eccleſia hoc Canone cautum ſit, ne iſtiuſmodi ψευδεπίγραφα τῶν ἀσεβῶν βιβλία in Eccleſiaſticis cœtibus publice legerentur: mirandum potius eſſet, ſi Eccleſia primitiva ſui curæque ſibi concreditæ adeo negligens fuiſſet, ut talem non ederet Canonem, quo impios hujuſmodi, hæreticos, blaſphemos, falſoque inſcriptos libros populo recitari prohiberet.

V. Porro

V. Porro Canon Apoſt. LXIII. ſic ſe habet, Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ὅλως τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ φάγῃ κρέα ἐν αἵματι ψυχῆς αὐτοῦ, ἢ θηριάλωτον, ἢ θνησιμαῖον, καθαιρείσθω. τοῦτο γὰρ ὁ νόμος ἀπεῖπεν· εἰ δὲ λαϊκὸς εἴη, ἀφοριζέσθω. *Si quis Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel omnino ex Sacerdotali catalogo, comederit carnes in ſanguine animæ ſuæ, vel quod à feris captum, vel morticinum, deponatur. Hoc enim lex prohibet. Si autem ſit Laicus, ſegregetur.* Quod hoc Canone ſancitur ab ipſis Apoſtolis decretum & à primitivâ Eccleſiâ accuratè obſervatum fuiſſe, ex Tertulliano, Origene, Clemente Alexandrino, & ex Epiſtolâ Viennenſium & Lugdunenſium ad Eccleſias Aſiæ ac Phrygiæ ſcriptâ apud Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 5. cap. 1. necnon è Minutio Felice in Annotationibus probatum dedimus. Nec pluribus opus eſt teſtimoniis, ſiquidem ipſe Dallæus negare non potuit, Eccleſiam Apoſtolicam à ſanguine, à ſuffocatis, & morticinis abſtinere ſolitam fuiſſe. Ac propterea nihil huic Canoni objecit, præter rationem ei hujus interdicti redditam, τοῦτο γὰρ ὁ νόμος ἀπεῖπεν, *Hoc enim lex prohibuit.* At vero, inquit, Apoſtoli hujuſmodi rebus veſci Chriſtianos vetuerunt, ad vitandum Judæorum ſcandalum, non ob legis ipſius autoritatem, quam hâc in parte à Chriſto Domino abrogatam luculentiſſime paſſim docent. Dall. de Pſeudep. lib. 3. cap. 12. pag. 560. Hæc autem objectio noſtram opinionem nequaquam attingit, qui ſcilicet hunc cæteroſque hujuſce collectionis, Canones non ab ipſis Domini Apoſtolis ſed à primitivâ tantum Eccleſiâ aliquot poſt Apoſtolos annis conditos collectoſque aſſerimus. Sed obſervare nihilominus liceat, quod lex hoc in loco memorata de Apoſtolicâ de hâc re Hieroſolymis editâ, æque ac de Moſaicâ intelligi poſſit: quodque ſi de antiquiſſimâ lege quæ hujuſmodi rebus veſci prohibuit, intelligatur, ea diu ante Moſaicam, ſive cæremonialem lata fuit. Hoc enim è ſeptem eſt Noachidarum, ut vocantur, præceptis. Sic enim præcepit Dominus Noacho & filius ejus אך בשר בנפשו דמו לא תאכלו πλὴν κρέας ἐν αἵματι ψυχῆς οὐ φάγεσθε, ut LXX. interpretantur, Gen. IX. 4. Ad quam quidem legem conditores hujuſce Canonis reſpexiſſe videntur, ut iiſdem fere verbis utentes. Et præterea, etiamſi lex Moſaica cæremonialis à Chriſto abrogata ſit, hanc tamen quæ ſanguinis, ſuffocati & morticini eſum prohibuit, legem ad tempus ſaltem neceſſariam fuiſſe obſervatu, ipſi Apoſtoli in decreto ſuo de hâc re edito diſerte affirmarunt, Act. XV. 28. Quapropter primi poſt Apoſtolos Chriſtiani, dicto ipſorum decreto ſe obſtrictos habentes, hanc etiam legem adhuc valere crediderunt. Alioquin enim vix credibile eſt, ut hoc tantâ religione ab iis obſervaretur, quantâ obſervatum

fuiſſe

fuiſſe inter omnes convenit. Cum primitivæ igitur Eccleſiæ præſules hunc Canonem vere Apoſtolico conſonum ſancirent, hanc ejus rationem reddiderunt; quandoquidem hanc legem ab ipſis Apoſtolis ad aliquod ſaltem tempus confirmatam, nondum penitus abrogatam fuiſſe cenſuerunt. In quâ quidem opinione Eccleſia Orientalis ſemper fuit, & etiamnum manet, adeo ut ſuffocatis veſci iis religio ſit. Et in occidente etiam contraria conſuetudo non niſi poſt aliquot ab Apoſtolis ſecula invecta eſt; ut è Gregorij tertii P. R. aliorumque Canonibus Pœnitentialibus videre eſt. Adeo ut occidentalis etiam Eccleſia illud quod hoc Canone ſancitur, perdiu obſervarit, Orientalis ſemper.

VI. Quem proximum oppugnat Dallæus, eſt Canon Apoſt. ſexageſimus ſextus, ſic habens, Εἴ τις κληρικὸς εὑρεθῇ τὴν κυριακὴν ἡμέραν νηστεύων, ἢ τὸ σάββατον, πλὴν τοῦ ἑνὸς μόνου, καθαιρείσθω· ὁ δὲ λαϊκὸς ἀφοριζέσθω. *Si quis Clericus deprehendatur die dominico jejunans, vel Sabbato, præter unum ſolum, deponatur. Laicus autem ſegregetur.* Multa contra hunc Canonem congeſſit vir doctus, quibus iſtum nec ab ipſis Apoſtolis ſancitum, nec editum à Clemente probaret. Sed Palmarium ejus argumentum eſt ad hominem, ad ipſum ſcilicet Turrianum, qui Canonem ab Eccleſiâ, cujus ipſe alumnus erat, per multa retro ſecula violatum, verè Apoſtolicum eſſe contendit. Nos autem qui Turrianicam de Apoſtolicâ horum Canonum autoritate ſententiam non defendimus, neque objectionibus ad iſtam ſolam evertendam allatis reſpondere conſtringimur. Noſtræ ſatis eſt vindicandæ pariter atque confirmandæ opinioni, ſi probemus illud quod hoc Canone conſtituitur, Eccleſiæ primitivæ moribus ac inſtitutis convenire. Cautum eſt porro hoc Apoſtolico Canone, ne quis diem Dominicum jejunet vel etiam Sabbatum, unico excepto, magno ſcilicet ſive Antepaſchali, quod paſchalem nimirum feſtivitatem die dominico celebratam immediate præcedit. Primo itaque ſancitur, ne dies dominica jejuniis peragatur. Hoc Tertullianus non modo ſuâ ætate obtinuiſſe fidem facit, verum etiam ad Apoſtolicam traditionem refert. Iſtos enim Eccleſiæ ritus enumerans qui in ſacris ſcripturis nuſquam præcepti, ubique nihilominus obſervati fuerunt, ut ab ipſis Apoſtolis per traditionem recepti, hunc inter alios recenſet, dicens, *die dominico jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare.* Tertull. de Coron. milit. cap. 3. Et mox poſt alios hujuſmodi recenſitos Eccleſiæ ritus, addit, *Harum & aliarum ejuſmodi diſciplinarum ſi legem expoſtules ſcripturarum, nullam invenies. Traditio tibi prætendetur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſervatrix. Rationem traditioni, conſuetudini, fidei patrocinaturam aut ipſe perſpicies, aut ab aliquo qui perſpexerit,*

ſpexerit, diſces. Ibid. cap. 4. Cùm hic igitur ritus etiam Tertulliani diebus adeo antiquus eſſet, ut ab ipſis Apoſtolis traditus videretur, & longâ conſuetudine confirmatus, non mirum eſt quod ab Eccleſiæ tunc temporis præſulibus pœnâ transgreſſoribus impoſitâ ſanciatur.

Quinetiam altera pars Canonis, quâ ſcilicet Sabbati cujuſque præterquam magni jejunium prohibetur, iiſdem diebus accuratè admodum obſervata fuit. Hoc ex eodem Tertulliano Montani hæreſi jam infecto, ad Catholicos ſub probroſo Pſychicorum nomine hæc loquente, conſtat, *Quanquam vos etiam Sabbatum, ſi quando continuatis, nunquam niſi in paſcha jejunandum, ſecundum rationem alibi redditam.* Tertull. adv. Pſych. cap. 14. Unde liquet apud orthodoxos etiam tertio ineunte ſeculo ſolenne fuiſſe, ut nullum præter Antepaſchale Sabbatum jejunio conſecrarent, juxta quod hoc Canone definitur. Eundem etiam apud ſe ſuoſque obtinuiſſe morem, idem paucis interjectis teſtatur dicens, *Duas in anno hebdomadas xerophagiarum, nec totas, exceptis ſcilicet Sabbatis & Dominicis, offerimus Deo, abſtinentes ab iis quæ non rejicimus, ſed differimus.* Ibid. cap. 15. Ergo & iſti qui jejunia à ſeſe religioſe adeo obſervata tantopere jactitabant, Sabbata tamen & Dominicos dies ab iiſdem excipiebant, etiam per ſuas xerophagiarum hebdomadas, quum alios omnes, iſtis exceptis, dies jejunantes tranſigere conſueti ſunt. Quod luculente demonſtrat, uſu publico iſtis diebus receptum eſſe, ut Sabbatis non minus quam Dominicis jejunia ab omnibus Chriſtianis ſolverentur. Neque difficile eſt deprehendere, unde hoc originem traxerit, & quare inſtitutum fuerit. Enimvero proximo poſt Apoſtolos ſeculo, Marcion erumpebat, alium eſſe & colendum eſſe Deum præter creatorem à Judæis cultum, blaſphemè aſſerens. Ut ex Irenæo, Tertulliano, aliiſque iſtorum temporum ſcriptoribus conſtat. Cum hæreticus igitur iſte improbam hanc opinionem diſſeminâſſet, ut Judæorum, quemadmodum eum vocabat, Deus in nullo ab iis numero haberetur, Sabbatum, quo is à mundi creatione requievit, non requie ſed jejunio à diſcipulis ſuis celebrandum eſſe inſtituit. Hoc Epiphanius vidit, & poſteritati his verbis tradidit, Τὸ δὲ σάββατον νηστεύει διὰ τοιαύτην αἰτίαν. Ἐπειδὴ, φησὶ, τοῦ Θεοῦ τῶν Ἰουδαίων ἐστὶν ἡ ἀνάπαυσις τοῦ πεποιηκότος τὸν κόσμον, καὶ ἐν τῇ ἑβδόμῃ ἡμέρᾳ ἀναπαυσαμένου, ἡμεῖς νηστεύσωμεν ταύτην, ἵνα μὴ τὸ καθῆκον τοῦ Θεοῦ τῶν Ἰουδαίων ἐργαζώμεθα. *Sabbati jejunium ob hanc cauſam inſtituit. Cum enim, ait, Judæorum Dei, qui hunc mundum fabricavit, illa ſit requies, cum die ſeptimâ requieverit, eâdem nos jejunare inſtituimus: ne Judæorum Dei ritibus uti videamur.* Epiph. Hær. XLII. N. III. Cùm Marcionis itaque diſcipuli ob hanc rationem juxta magiſtri inſtitutum, Sabbatis jejunare ſolerent,

rent, neceſſitas poſtulabat, ut contrarium ab Eccleſiâ Catholicâ ſanciretur, ne quis ſcilicet Sabbatum quodvis præter antepaſchale, quo Dominus noſter in ſepulchro jacuit jejunio dedicaret. Alioquin enim prævalente paulatim Marcionis hæreſi, unum verumque Deum, omnipotentem mundi conditorem, quem ipſa religioſe colebat, ab aliis ludibrio & contemptui haberi impiè pateretur. Qui iſthoc enim infecti veneno Sabbatum tunc temporis jejunabant, eò ſe Deum Opt. Max. omniumque rerum creatorem contemnere & contumeliâ, quantum fieri potuit, onerare profitebantur. Hinc itaque caute admodum & prudenter ab Eccleſia primitiva hoc Canone conſtitutum eſt, ut Clerici quidem Sabbatum, magno excepto, jejunantes, deponantur, & excommunicentur Laici, ut peſtifera Marcionis de Deo creatore opinione imbuti

VII. Et ipſum quidem Marcionem huic condendo Canoni occaſionem præbuiſſe, eo magis adducor ut credam, quod etiamſi Cerdon, aliique, quos inter Simon Magus, eadem de Deo blaſpheme prædicâſſent, nulla tamen hujus de Sabbato non jejunando inſtituti veſtigia extant, ante Marcionem, qui Antonino Pio imperante vixit, ſuamque propterea hæreſim Anno plus minus CXL. divulgare cœpit. Epiſtola enim ad Philippenſes B. Ignatio adſcripta, qua dicitur, Εἴ τις κυριακὴν ἢ σάββατον νηστεύει, πλὴν ἑνὸς σαββάτου τοῦ πάσχα, οὗτος χριστοκτόνος ἐστί. Hæc, inquam, Epiſtola nec ab Euſebio, nec Hieronymo, nec à quovis veterum inter genuinas ſanctiſſimi illius martyris Epiſtolas memoratur, diuque poſtea conficta videtur. At poſt dictam Marcionis hæreſin exortam, Sabbatum à jejunio immune paſſim ſervatum fuit. Idque non tantum in toto oriente, verumetiam in multis Occidentis partibus. Sed extincta tandem aliquando iſta Marcionis hæreſi, cujus ſolius cauſa contraria obtinuit conſuetudo, Sabbata jejuniis iterum plurimis in locis dicata ſunt: Romæ ſáltem, ut obſervavit Socrates, qui de ſuis diebus loquens, ἐν Ῥώμῃ, inquit, πᾶν σάββατον νηστεύουσι. Hiſt. Eccleſ. lib. 5. cap. 21. Et in nonnullis Hiſpaniæ Eccleſiis, ut conſtat è Concilio Eliberitano, dicente, *Errorem placuit corrigi, ut omni Sabbati die jejuniorum ſuperpoſitionem celebremus.* Conc. Elib. Can. XXVI. Mediolani autem uſque ad S. Ambroſij ætatem, Sabbato non jejunatum eſt. Et quidem cum hoc Eccleſiæ decretum ob prædictam hæreſin tantummodo editum fuerit, ea ſemel exploſa & extincta, non neceſſe erat, ut diutiùs obſervaretur. Sed liberum fuit cuique Eccleſiæ, illud in re adeo adiaphora eligere, quod ſibi ſuiſque filiis magis congruere videtur. Et prudentis eſt Chriſtiani in hujuſmodi inſtitutis Eccleſiæ ſuæ ſeſe accommodare, & graviſſimum illud D. Ambroſij conſilium obſervare, quod ſcilicet ille

S. Au-

S. Auguſtino ipſum de hac re conſulenti his verbis dedit, *Cùm Romam venio, jejuno Sabbato, cùm hic* (Mediolani) *ſum, non jejuno. Sic etiam tu, ad quam forte Eccleſiam veneris, ejus morem ſerva, ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalo, nec quenquam tibi.* Apud Anguſtin. Epiſt. CXVIII. ad Januarium cap. 2. De quâ ſententiâ etiam atque etiam cogitans D. Auguſtinus, ita ſemper habuit, tanquam eam cœleſti oraculo ſuſcepiſſet, ut ipſe ibidem atteſtatur.

CAPUT VIII.

Synopſis.

I. *Canon Apoſt. LXIX. de quadrageſimâ & quartâ, ſextâque feriis jejunandis, in proximo libro ſeorſim vindicatur.*

II. *Canon LXXII. defenditur.* Cera & *Oleum ab Eccleſiâ Primitivâ quamobrem uſitata.*

III. *Canon LXXIII. vindicatur. Apoſtolos ædes Dei cultui conſecratas habuiſſe pluſquam veriſimile eſt. Vaſa & aurea & argentea proximis poſt eos ſeculis in uſu fuiſſe certiſſimum.*

IV. *Canones LXXXI. & LXXXIII. de iis qui civiles unà cum Eccleſiaſticis dignitatibus obtinebant, defenduntur.* Paulus Samoſatenus & *Epiſcopus fuit & Ducenarius.*

I. QUEM proximum poſt eos, quos hactenus vindicavimus, ex Apoſtolicis Canonibus oppugnavit Dallæus, nonus eſt ſupra ſexageſimum de ſtatis Eccleſiæ jejuniis agens. Quandoquidem vero is ſingularem *de jejuniis & quadrageſimâ* librum edidit, quo jejunia dicto Canone commemorata, veteribus incognita fuiſſe Chriſtianis probare molitus eſt*; ne quid nos intactum relinquere videamur, quicquid ille in iſto libro contra horum jejuniorum antiquitatem ſcripſit, fuſius expendere neceſſarium duximus, & è genuinis veterum teſtimoniis, ab omnibus ejus exceptionibus vindicatis, evincere, ea, quorum facta eſt hoc Canone mentio, jejunia ab Apoſtolicâ ac primitivâ Eccleſiâ religioſe admodum obſervata fuiſſe, prius ſcilicet quam hæc Canonum Apoſtolicorum ſylloge, juxta noſtram de eâ opinionem, in lucem prodierit. Hæc autem diſputatio, cum adeo prolixa ſit, ut in uno capite commodè comprehendi nequeat, adeoque neceſſaria, ut totum alterius, potius quam partem hujuſce libri conſtituere mereatur, eâ in proximum librum, quo ſeorſim

ſeorſim Deo adſiſtente diſcutietur, rejectâ, hic interim exceptiones doctiſſimi viri contra reliquos, qui ſuperſunt, Canones expendemus.

II. Duobus autem proximis ſive LXX. & LXXI. Canonibus Apoſtolorum, ut in Apoſtolicam & doctrinam & ætatem convenientibus prætermiſſis, Dallæus Canonem LXXII. adoritur. Is ſic habet, Εἴ τις κληρικὸς ἢ λαϊκὸς ἀπὸ τῆς ἁγίας ἐκκλησίας ἀφέληται κηρὸν ἢ ἔλαιον, ἀφοριζέσθω *Si quis Clericus vel Laicus à ſanctâ Eccleſiâ ceram vel oleum aufert, ſegregetur.* Hic autem Canon, inquit vir doctus, ab Apoſtolicis quoque temporibus abhorret. Quid ita quæſo? Enimvero quoniam, inquit, ex omni novo fœderis inſtrumento non apparet aliud in Eccleſiâ oleum beato illo ſeculo floruiſſe vel in pretio fuiſſe, præter illud Spiritus Sancti myſticum, quo Deus Chriſtum, & ex eo homines cœleſtis gratiæ conſortes perfundit, atque inungit, vel alias ceras, quam quæ igne ſacro ac ſpirituali incenſæ tenebras hujus ſeculi ſanctorum exemplarium radiis perfundit. De Pſeudep. lib. 3. cap. 13. Hæc Dallæus, aliud procul omni dubio agens. Annon ipſis enim Apoſtolis lucernis opus erat, cum preces funderent, concioneſque per totas ſæpe noctes haberent? Annon etiam cera & oleum iſti uſui inſervirent? Nos autem non de ipſis Apoſtolorum temporibus, ſed de iis quæ proximè ſecuta ſunt, diſputamus: contendimuſque Ceram & Oleum hoc Canone memorata primitivis Chriſtianis magno in uſu pretioque fuiſſe, in Antelucanis ſcilicet, ac Veſpertinis (quorum meminit Canon Laodicenus XVIII.) obeundis officiis. Cereorum enim ab iis tunc temporis uſitatorum, ut & lampadum, quibus ellychnia oleo foventur, frequens apud Eccleſiaſticos primorum ſeculorum ſcriptores occurrit mentio. D. Hieronymus adverſus Vigilantium diſputans, *Cereos autem*, inquit, *non clarâ luce accendimus, ſicut fruſtra calumniaris, ſed ut noctis tenebras hoc ſolatio temperemus, & vigilemus ad lumen, ne cæci tecum dormiamus in tenebris.* Et paulo poſt, *Nam & abſque martyrum reliquiis, per totas orientis Eccleſias quando legendum eſt Evangelium, accenduntur luminaria, jam ſole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum.* Hieron. adv. Vigilant. Socrates τὰς ἐν ταῖς λυχναψίαις εὐχὰς memorat, dicitque præterea, ἀεὶ ἑσπέραν μετὰ τῆς λυχναψίας οἱ πρεσβύτεροι καὶ ἐπίσκοποι τὰς γραφὰς ἑρμηνεύουσι. Hiſt. Eccleſ. lib. 5. cap. 22. Epiphanius, Ἑωθινοί τε ὕμνοι ἐν αὐτῇ τῇ ἁγίᾳ ἐκκλησίᾳ διηνεκῶς γίνονται, καὶ προσευχαὶ ἑωθιναί, λυχνικοί τε ἅμα ψαλμοὶ καὶ προσευχαί. *Matutinæ inſuper laudes in ſanctâ Eccleſiâ, Matutinæque preces aſſidue celebrantur: Lucernales item Pſalmi & Orationes.* Epiph. expoſ. fid. num. 23. Ante eos

S. Athanaſius prodigioſa iſta à Georgio & gregalibus ejus Alexandriæ perpetrata facinora in Eccleſiis ibidem devaſtandis deſcribens, inter alia ait, quod τὸ ἀποκείμενον ἔλαιον ἥρπαζον, *Oleum reconditum prædarentur*, ϗ τοὺς κηρίωνας τῆς ἐκκλησίας τοῖς εἰδώλοις ἀνῆπτον, *& Cereos Eccleſiæ idolis adolerent*. Athan. Epiſt. ad Orthod. t. 1. pag. 946. Perpetratum eſt igitur tunc temporis illud quod hoc Canone prohibetur. Ceram enim & oleum ab Eccleſiâ auferebant. Adhæc Synodus Eliberitan quarti initio ſeculi congregata, *Cereos*, inquit, *per diem placuit in cæmeterio non accendi*. Can. XXXIV. Cereos itaque vel interdiu in Eccleſiâ habere, vel noctu accendi non diſplicuit. Tertio inſuper ineunte ſeculo illuſtriſſimum hujus rei documentum ab Euſebio memoriæ traditum habemus. In miraculo nimirum iſto quod à Narciſſo Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Epiſcopo factum refert. In magnâ enim, ut ait, paſchæ vigiliâ, oleum forte miniſtris deerat, quâ de cauſâ cum univerſus populus graviſſimo mœrore perculſus eſſet, Narciſſus mandâſſe fertur iis quibus curæ erat lucernas accendere, ut aquam ex quodam propinquo hauſtam puteo ad ſe deferrent. Quod ubi dicto citius impletum eſt, juſſiſſe dicitur, ſincerâ in Chriſtum fide, ut eam lucernis infunderent. Quo itidem peracto, aquam aiunt contra morem naturæ ſuæ mirabili quâdam ac divinâ virtute in olei pinguedinem eſſe converſam. Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 6. cap. 9. Qui hæc legit mirari nequit, quod iſtius ætatis Epiſcopi lege ſanxerint, ne quis oleum aut ceram ex Eccleſiâ auferat, cum adeo neceſſaria iis fuerint, ut digna eſſent quæ miraculo ſupplerentur. Et quidem qui *antelucanos*, ut Tertullianus vocat, Eccleſiæ Apoſtolicæ cœtus memoriâ tenet, cùm Chriſtiani *ante diem convenire* ſolerent, teſte Plinio, lib. 10. Epiſt. 97. is dubitare nequit, quin cera & oleum ſumme iis neceſſaria eſſent, ac proinde non poterant non omnibus modis cavere ne illis deſtituerentur: neque ea quæ in Eccleſiis ad ſacrum illum uſum ab ipſis recondita ſunt, ab aliis auferrentur. Hoc autem totum eſt quod hâc Apoſtolicâ ſanctione cavetur; quam propterea ipſi Apoſtolicæ Eccleſiæ ſatis convenire certiſſimum eſt.

III. Idem dicendum eſt & de ſequenti ſive LXXIII. Canone, quo cautum eſt, *ne quis vas aureum, vel argenteum, vel velum ſanctificatum in uſum ſuum amplius convertat*. Contra quem Canonem nihil aliud excepit vir doctus, quam conditum illum eſſe ſecutis poſt Apoſtolos ſeculis, cum & ædes ſacras, & pretioſam ſupellectilem, & reliquam pompam Chriſtianorum copiæ in uſum apud nos invexiſſent. Apoſtolorum, inquit, ævo tanta erat noſtrorum ſimplicitas atque parſimonia, & frugalitas, adhæc tenuitas, tantæque à perſecutorum odiis ac furore anguſtiæ, ut illis indulgere non licuerit. *Certe ne ædes quidem*

quidem ſacras in illis initiis habuiſſe Chriſtianos veriſimile eſt, nedum, ut velis, aureiſque & argenteis vaſis inſtructas habuiſſe eos crediderim. Dall. de Pſeud. lib. 3. cap. 13. Qualia myſtica, ut antiquitas ea vocavit, vaſa in Euchariſtiâ celebrandâ ipſi adhibuerunt Apoſtoli, & utrum ſacras ædes habuerint, non noſtrum eſt hoc loco inquirere, qui hos Canones non ab ipſis Apoſtolis ſed proximis poſt eos ſeculis publicatos eſſe contendimus. Quicquid autem Dallæo viſum eſt, nemo ſanè cordatus ſibi unquam perſuaſum habeat, Sanctos Domini Apoſtolos æque ac Judæos ſacras non habuiſſe ædes Dei cultui conſecratas, quibus magna fidei Chriſtianæ myſteria celebrarent. Et quantacunque fuerit primorum Chriſtianorum aliis in rebus ſimplicitas ac parſimonia, quantaecunque frugalitas atque tenuitas, quantæcunque denique ex perſecutorum odio ac furore anguſtiæ; in rebus ſaltem ad Dei cultum, ad Chriſti honorem, ad religionis ſuæ myſteria pertinentibus prælargi proculdubio fuerunt ac ſummè liberales. Quaſcunque enim, ut cuique notum eſt, poſſeſſiones habebant, omnes in pios ſacroſque convertebant uſus. Unde eos non modo ſacras ædes, verum & eaſdem pretioſiſſimâ, prout facultates eorum ferebant, ſupellectili inſtructas atque ornatas habuiſſe veri longe ſimillimum eſt: Mox ſane poſt Apoſtolos Lucianus locum quo Chriſtiani conveniebant, χρυσόροφον οἶκον, *domum aurato faſtigio inſignem* vocavit. Lucian. in Philopat. Quod ſi iſtis etiam diebus, Trajano ſcilicet imperante, Chriſtiani ab ipſis Apoſtolis edocti, tales habuerint ædes ſacras, myſtica etiam vaſa ex auro, argentove conflata iis in uſu fuiſſe extra dubium eſt. Qualia ſcilicet S. Laurentij ætate, hoc eſt, tertio currente ſeculo ab Eccleſiâ uſitata fuiſſe, ex Prudentio diſcimus, qui in hymno de geſtis illius Martyris Perſecutores inducit hæc ei dicentes,

Hunc eſſe veſtris Orgiis
Moremque & artem, proditum eſt,
Hanc diſciplinam fœderis,
Libent ut auro Antiſtites.
Argenteis ſcyphis ferunt
Fumare ſacrum ſanguinem,
Auroque nocturnis ſacris
Adſtare fixos Cereos.

Sed in re adeo perſpicuâ pluribus non opus eſt teſtimoniis. Neminem enim in antiquitate Eccleſiaſticâ vel Mediocriter verſatum latere poteſt, perſecutiones Chriſtianis ſæpe intermiſſas fuiſſe, reſque eorum pacatas ac minime turbulentas, uſque adeo ut per ſummam Dei Opt. Max. miſericordiam quiete & tranquillitate per multos ſimul annos fruerentur.

rentur. Cum tantâ itaque fœlicitate ſecundo etiam tertioque ſeculo gauderent, nulli haud dubie ſumptui pepercerunt, quo ſe gratos in Deum demonſtrarent, eumque ſummâ quâ poterant ſolemnitate ac decentiâ colerent. Cumque ipſi in privatis ſuis domiciliis aurea & argentea vaſa haberent, vilioribus eos in ipſo Dei, cui omnia accepta ferebant, cultu uti, nec religio eorum, nec gratitudo, addam nec ratio permitteret. Proinde nec mirum eſt, quod hoc Canone proſpexerint, ne quis ſacra iſtiuſmodi vaſa in ſuos, hoc eſt, in profanos, uſus convertat.

IV. Sed æque abhorret, inquit vir doctus, à temporibus Apoſtolorum, quod Canone LXXX. (nobis LXXXI.) ſtatuitur, ὅτι οὐ χρὴ ἐπίσκοπον, ἢ πρεσβύτερον καθιέναι ἑαυτὸν εἰς δημοσίας διοικήσεις, *Quod non oportet Epiſcopum aut Presbyterum ad publicas adminiſtrationes ſe demittere.* Et quod mox ejuſdem ingenij Canone LXXXII. (LXXXIII. potius) ſubjicitur, ut deponatur Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus, στρατείᾳ σχολάζων, καὶ βουλόμενος ἀμφότερα κατέχειν, Ῥωμαϊκὴν ἀρχὴν καὶ ἱερατικὴν διοίκησιν, *Exercitui vacans, & utraque obtinere volens, Romanum ſcilicet magiſtratum, & Eccleſiaſticam adminiſtrationem.* Quaſi vero, inquit, Apoſtolis verendum fuerit, ne Chriſtiani, quos Pagani vix aere & luce communi frui patiebantur, nedum ut eos ad publicas dignitates admitterent, ſacerdotium unà cum Romano magiſtratu obtinere vellent. Hæc Dallæus, pag. 585. Verumenimvero ſi nihil in totâ hâc Canonum Apoſtolicorum collectione à temporibus Apoſtolorum magis abhorreret, quam quod his duobus Canonibus conſtituitur, Turriani de eâ ſententiâ faciles acquieſceremus. Nonnullos enim è Romanis magiſtratibus ad fidem Chriſtianam ab ipſis Apoſtolis converſos fuiſſe conſtat. De iis igitur, ut & de aliis, qui religionem noſtram poſtea amplexuri erant, nihil vetat quin Apoſtoli talem conſtitutionem ederent. Quanto magis neceſſarium fuit, ut hujuſmodi Canones ſecundo tertioque ſeculo ederentur, cùm ipſi ſcilicet Imperatores Chriſtianis ſubinde faverent, eoſque, licet forte non quâ Chriſtianos quâ fideles tamen tantiſque muneribus idoneos viros, ad amplas in imperio dignitates promoverent. Exempla in Eccleſiaſticis hiſtoriis paſſim occurrunt, ut non opus ſit hic congerantur. Unum autem, ut ad rem noſtram apprimè faciens, præterire nequeo. Anno ſcilicet CCLXXII. habita eſt Antiochiæ magna Epiſcoporum Synodus, qui Paulum Samoſatenum, Eccleſiæ Antiochenæ præſulem, inter alia eò condemnabant, quod ſeculares etiam dignitates geſſerat. In Synodicâ enim ad Dionyſium Romanum, Maximum Alexandrinum alioſque Epiſcopos conſcriptâ, is, inquiunt, ὑψηλὰ φρονεῖ, καὶ ὑπερῆρται, κοσμικὰ ἀξιώματα ὑποδυόμενος·

ὑποδυόμενος καὶ δουκηνάριος μᾶλλον ἢ ἐπίσκοπος θέλων καλεῖσθαι. *Faſtu ac arrogantiâ ſupra modum elatus ſeculares gerit dignitates, & Ducenarius vocari quam Epiſcopus mavult.* Apud Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 7. c. 30. Paulus itaque Samoſatenus unà cum Sacerdotio Romanum etiam magiſtratum geſſit. Imo quidem *Ducenarius* fuit, talis nimirum magiſtratus cui ducena ſeſtertia in annuum ſalarium ab Imperatore conſtituta ſunt. Si aliis itaque criminibus minus obnoxius fuiſſet, hoc ſaltem nomine Epiſcopatu deponi promeritus eſt, quod illud, quod antiquis hiſce Canonibus conſtituitur, nefarie violârat.

CAPUT IX.

Synopſis.

I. *Ultimus Canon Apoſt. Quot & quales contra eum objectiones edidit* Dallæus? *Quæ tamen Turrianicam magis quam noſtram opinionem perſtringunt.*

II. *Libros* Maccabæorum *antiquitùs in hoc Canone non recenſitos eſſe* Joh. Antiocheni *collectio, & Eccleſiæ Græcæ uſus fidem faciunt.*

III. *Libri illi inter Canonicos S. Scripturæ libros ante* Syn. Nicænam *numerati ſunt: nec duo tantum ſed tres.*

IV. Conſtitutiones Apoſtolorum, *ut hodie in hoc Canone lectæ. Has eaſdem eſſe ac* Διδαχὰς *ſive* Διδαχὴν τῶν Ἀποστόλων *ab* Euſebio & Athanaſio *memoratas nonnulli judicarunt.*

V. *Quare iſta opinio nobis etiam veriſimilis videatur. Conſtitutionum opus doctrina ſæpe appellatur.*

VI. *Conſtitutiones Apoſt.* Epiphanio *viſæ ſunt, laudatæ, & perinde habitæ ac ſi ab iſis Apoſtolis editæ fuiſſent.*

VII. *Haud mirum eſt, ſi Conſtitutiones iſtæ inter ſacros Scripturæ libros numeratæ eſſent ante Syn. Nicænam.*

VIII. *Verum hoc ultimo Canone Apoſtol. inter Canonicos S. Scripturæ libros non recenſentur, ſed ab iis aperte diſtinguuntur.*

IX. *Earum mentio aliâ ac primi conditoris manu huic Canoni inſerta eſt. Inter Canones & Conſtitutiones antiquas diſconvenit.*

X. Clementis *Epiſtolæ, ut hic memoratæ. Duæ ab antiquis Patribus celebratæ, ab ipſo etiam* Dionyſio Corinthiorum *Epiſcopo: cujus verba explicantur. Quæ ſecunda dicitur Prima ſcripta fuit, idque ſub Clementis, ut altera ſub Eccleſiæ Romanæ nomine.*

XI. *Quæcunque pro ſacris habitæ ſunt ſcripturis, olim unà cum Canonicis promiſcuè numeratæ ſunt.*

XII. *In MS. Alexandrino hæ duæ Clementis Epiſtolæ libris Canonicis ſubjunguntur. Syllabus librorum qui in iſto Codice habentur. Non mirum eſt quod hæ*

hæ Epiſtolæ huic Canoni inſertæ ſint.

XIII. *Ex Apocalypſi in hoc Canone prætermiſſâ nihil contra ejus antiquitatem concludi poteſt. Liber iſte diu in dubium vocatus fuit. Ex ultimo hoc Canone antiquitas hujus Sylloges adſtruitur potius quam elevatur.*

I. SUPEREST modo unus, iſque ultimus è Canonibus Apoſtolorum vulgo nuncupatis, è quo contra totius collectionis intiquitatem, vel potius contra Apoſtolicam ejuſdem inſtitutionem diſputat Clariſſimus Dallæus. Is autem de S. Scripturæ libris agit, ſicque habet, *Sint vobis omnibus Clericis & Laicis libri venerandi & ſancti. Veteris quidem Teſtamenti, Moſis quinque Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium. Ieſu filij Nave unus, Judicum unus. Ruth unus. Regnorum quatuor. Paralipomenon, id eſt Derelictorum libri dierum duo: Eſdræ duo, Eſther unus: Maccabæorum tres: Job unus: Pſalterij unus: Solomonis tres: Proverbia, Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum: Prophetarum XII. Eſaiæ unus: Jeremiæ unus: Jezekielis unus: Danielis unus: Extrinſecus autem à vobis intelligatur debere veſtros adoleſcentes diſcere ſapientiam eruditiſſimi Sirach Noſtri autem, id eſt, Novi Teſtamenti, Evangelia quatuor, Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis. Pauli Epiſtolæ quatuordecim: Petri Epiſtolæ duæ: Joannis tres: Jacobi una: Judæ una: Clementis Epiſtolæ duæ: & Conſtitutiones vobis Epiſcopis per me Clementem, octo libris editæ, quæ non ſunt omnibus divulgandæ propter ea quæ ſunt in iis myſtica: Et Actus noſtri Apoſtolorum.* Ex hoc uno Canone Dallæus octo congeſſit argumenta, quibus iſtum ab Apoſtolis non conſtitutum fuiſſe contra Turrianum demonſtraret. Primo quidem quod duo, deinde qnod tres etiam Maccabæorum libri inter Canonicos ſacræ ſcripturæ libros hic recenſeantur: Tertio quod Clementinæ Conſtitutiones in eodem cenſu collocentur. Quarto quod duæ Clementis Epiſtolæ in eodem divinorum librorum Catalogo numerentur. Quinto id etiam,* inquit, hujus Canonis falſitatem abunde coarguit, quod ſcripturarum noſtrarum Catalogum texens, neque Eſdram in veteri Teſtamento collocat (hoc autem falſiſſimum eſſe ex ipſo Canone patet, ut quo *Eſdræ duo* numerantur) neque Apocalypſin in novo: Sexto Romanam Eccleſiam jamdudum hunc Canonem neſciiſſe, ex eo conſtare dicit, quod & librum Sirachidis, quem Canon diſerte ἐν τοῖς ἔξωθεν cenſet, & libros Tobiæ, Judith, Eccleſiaſtici, quos idem Canon indictos prætermittit, ipſa jampridem pro Canonicis habet. Septimo hunc Apoſtolicum non fuiſſe Canonem ex eo probat, quod neque Euſebius, neque Athanaſius, neque Hieronymus, neque quiſquam alius Veterum divinæ ſcripturæ Canones exhibens, hunc memo-

râſſe deprehenditur. Octavo denique quædam eorum quæ continet hic Canon cum Turriani hypotheſibus pugnare oſtendit, Dall. de Pſeudep. lib. 3. cap. 13.

Quo pacto Turriani, hoſce Canones ipſis Apoſtolis aſſerentis, opinio hiſce difficultatibus à Dallæo objectis eximatur, illi viderint, quibus id poſſibile videtur. Nos non Turrianicam, ſed noſtram hic tuemur ſententiam, quæ hos Canones non ab ipſis Apoſtolis ſed centum circiter poſt illos annis editos fuiſſe ſtatuit. Proinde non opus eſt nos omnes has exceptiones ab erudito viro contra hunc Canonem allatas, percurramus, quippe quæ noſtram de eo ſententiam minime attingunt. Ne mirum autem cuipiam videatur, quod ſtante noſtrâ de hoc Canone ſententiâ, tres Maccabæorum libri, Conſtitutiones Apoſtolicæ & duæ Clementis Epiſtolæ in ſacrorum librorum Catalogo quodammodo recenſitæ, ſancti autem Joannis Apocalypſis omiſſa fuerit, de his ſingulis pauca differere non pigebit, ſiquidem provincia à nobis ſuſcepta id poſtulare videatur.

II. Quod primò ad Maccabæorum libros ſpectat, in antiquâ illâ Græcâ Canonum collectione à Joh. Antiocheno elaborata, tit. L. ubi hic Canon extat, hi libri penitus prætermittuntur; nullâ prorſus mentione eorum inſertâ, quemadmodum etiam in Annotationibus à nobis obſervatum eſt, & exinde collectum libros iſtos in recentioribus horum Canonum editionibus aliâ quam primi editoris manu interſertos videri. Hanc concluſionem Obſervator, pag. 27. negat, *eo ſcilicet magis* (ut inquit, quo autem minus non dicit) *quod in verſione latinâ Johannis Antiocheni numerantur tres libri Maccabæorum.* Sed quid nobis cum latinâ verſione, ubi ipſum Græcum habemus textum? Illine major quam huic habeatur fides? Nobis abunde ſat eſt, quod in ipſo Joh. Antiocheni textu hæc verba non leguntur. Ex eo enim non è latinâ verſione Vera Canonis lectio petenda eſt. *Sed veriſimilius eſt,* inquit vir doctus, *in Græco quodam Codice manu exarato ita legiſſe editores & interpretes, alioquin hâc de re lectorem erant monituri.* Quid collectionis iſtius editores in alio Græco Codice legerint, nos neſcimus, neſcit & Obſervator. Hoc autem ſcimus omnes, quod in iſto quem ediderunt Codice hæc verba non occurrunt, & quod ad latinam verſionem attinet, ea Græco Joh. Antiocheni Codici non accommodata eſt: neque alia plane eſt quam Balſamonis verſio è Gentiano Herveto facta: ut cuivis conferenti patebit. Ut alia enim omittam, In Balſamonis illa verſione verba iſta, Ἔσδρα δύο· Ἐσθὴρ ἓν perperam transferuntur, vel imprimuntur potius. *Eſdræ duo: libri Eſther unus.* Hic autem error etiam in Joh. Antiocheni verſionem irrepſit. Quod fieri non potuit, niſi eadem omnino eſſet verſio, etiam cum mendis ſuis tranſſcripta: è quâ propterea ut ad alium Codicem & autorem etiam, Balſamonem ſcilicet, propriè pertinente, nihil de hoc Canone ut à Joh. Antiocheno.

ocheno lecto concludi poteſt. Ex eo autem quod in Græco ejus textu nulla fiat Maccabæorum mentio, legitimè inferamus libros illos huic Canoni antiquitus non inſertos fuiſſe. Hoc vero ipſe etiam Obſervator deprehendiſſe videtur, alio enim confugit, dicitque, *Niſi malis dicere Joh. Antiochenum libros Maccabaicos in ſuâ collectiore de induſtriâ omiſiſſe, quoniam in Eccleſiæ Græcæ ſcripturarum Canone, illius ætate non extabant. Ut liquet ex Canone quem exhibet Leontius Joh. Antiocheni, ut quibuſdam placet, æqualis vel ſuppar, de Sect. Act. 2. tom. 11. bibl. patr. pag. 496.* At at nemini unquam perſuadebit Obſervator Joh. Antiochenum in Eccleſiaſticis Canonibus colligendis quippiam de induſtriâ omittere voluiſſe; Hoc enim non eſſet colligere, ſed ex condicto depravare Canones. Quod in tantum virum ſine ſummâ injuriâ objici non poteſt. Quod dicit autem libros Maccabaicos in Græcæ Eccleſiæ ſcripturarum Canone iſtis diebus non extitiſſe, ſi hoc concedatur, clariſſimè exinde conſequetur, libros illos in hoc Apoſtolico Canone iſtâ ætate non recenſitos fuiſſe. Græca enim Eccleſia hiſce Canonibus religioſiſſime ſemper adhæſit. Adeo ut ſi illa libros Maccabaicos in ſacrorum numerum non admiſerit, nemini dubium eſſe poſſit, quin iſti in hoc Canone Apoſt. ab initio non numerati fuerint. Ac propterea nullum ex iſtis libris hic modo recenſitis exculpi poteſt argumentum, quo ſummæ horum Canonum antiquitati quidvis detrahatur.

III. Ad hæc ſi demus libros Maccabaicos à primis editoribus huic Canoni inſertos eſſe, nihil exinde proficient adverſarij. Iſti enim libri longe ante Concilium Nicænum inter ſacros numerati ſunt. Quod quoniam à Dallæo pariter atque ab Obſervatore negatur, paucis probatum dabimus. D. Cyprianus in Epiſtolâ ad Cornelium de Fortunato & Feliciſſimo, hæc habet, " Sed non idcirco, frater chariſſime, relinquenda eſt Ec-" cleſiaſtica diſciplina, aut Sacerdotalis ſolvenda cenſura, quoniam con-" viciis infeſtamur, aut erroribus quatimur, quando occurrat & moneat " ſcriptura divina, dicens, *Ille vero qui præſumit, & contumax eſt,* " *vir ſui jactans, nihil omnino perficiet, qui dilatavit tanquam infer-*" *nus animam ſuam.* Et iterum, *& verba viri peccatoris ne timueri-*" *tis, quia gloria ejus in ſtercora erit, & in vermes, hodie extolletur,* " *& cras non invenietur: quoniam converſus eſt in terram ſuam, & co-*" *gitatio ejus perit.* Et iterum, *Vidi impium exaltatum, & extolli ſu-*" *per Cedros Libani, & tranſivi, & ecce non fuit, & quæſivi eum, &* " *non eſt inventus locus ejus.* Cyprian. Epiſt. 55. Ubi obſervare licet, tres divinæ, ut ait, ſcripturæ ſententias à D. Cypriano citatas, quarum prima eſt ex Prophetiæ Habacuc cap. II. Altera incipiens, *& verba viri*, è Maccabæorum lib. 1. cap. II. Tertia è Pſalmo XXXVII. Primus ergo Maccabæorum inter cæteros *divinæ ſcripturæ* libros diſertiſſimè hic laudatur. Idem videre eſt in ejuſdem Cypriani tertio Teſtimoniorum libro

ad Quirinum. Ubi libri Maccabaici inter alias *ſanctas*, ut in præfatione loquitur *ſcripturas* paſſim citantur præſertim cap. IV. XV. LIII. Quinetiam Origenes poſtquam duos & viginti libros juxta Hebræos numeravit, (ſed libro XII. Prophetarum perperam omiſſo) addit, Ἔξω δὲ τούτων ἐστὶ τὰ Μακκαβαϊκά, ἅπερ ἐπιγέγραπται Σαρβὴθ, σαρβανὲ ἔλ, *Extra hos ſunt Maccabaici, qui inſcribuntur Sarbet, Sarbane el*, Orig. in Pſal. I. & apud Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 6. cap. 25. Etſi igitur hi libri ex iis non eſſent, quos ab Hebræis receperat, illis tamen ab Eccleſiâ Chriſtianâ tunc temporis ſubjuncti erant, & una lecti. Alioquin eos non minus quam alios Apocryphos libros rejeciſſet haud dubie Origenes. A quo tamen non modo reliquis hic ſubnectuntur, verumetiam inter alios SS. Scripturæ libros aliquoties laudantur, ut è commentariis ejus, quæ etiamnum extant, videre licet. Ac proinde non mirum eſt, quod in hoc Canone Apoſtolico inter alios veteris Teſtamenti libros *Maccabaici* recenſeantur; neque etiam quod tres ibidem numerentur. Nam τὰ Μακκαβαϊκὰ, viz. βιβλία, tres minimum, libros deſignant: de tribus ſaltem jure explicari poſſunt. *Sed perinde eſt*, inquit Obſervator, *ſi tres aut duos numeres, quando Maccabaici omnes libri extra Canonicorum claſſem & ordinem ab Origene recenſentur.* Eo nimirum quod Origenes dicat ἔξω τούτων *extra hos ſunt* libri Maceabæorum. Verumenimvero Origenes iſthoc in loco non de Canonicis SS. Scripturæ libris generatim ſic dictis, agit, ſed de eis duntaxat quos Eccleſia ab Hebræis receperat. Εἰσὶ δὲ, inquit, αἱ εἴκοσι δύο βίβλοι καθ' Ἑβραίους αἵδε: quibus recenſitis, addit ἔξω δὲ τούτων τὰ Μακκαβαϊκά, hoc eſt, extra duos illos & viginti Hebræorum libros recepit Eccleſia etiam Maccabaicos, licet non eodem fortaſſe numero, quo cæteros, ut dignos tamen qui illis in eodem volumine ſubjungantur. Quod etiam plerunque ſi non ſemper factum fuiſſe, ex omnibus liquet quæ vel extant, vel extitiſſe noſcuntur verſionis LXX. Codicibus MSS. Vaticano, Alexandrino: in editionibus etiam Venetâ & Complutenſi, necnon in verſione Syriacâ, tres Maccabaici reliquis V. T. libris interſeruntur. Cùm autem nonnullos ſaltem è dictis Codicibus uno alterove poſt Concilium Nicænum ſeculo ſi non eodem, exaratos fuiſſe conſtet, nemo dubitare poteſt quin conſuetudo ante iſtud Concilium obtinuerit, ut hi cum reliquis veteris Teſtamenti libris unà compingerentur. Neque enim credibile eſt, ut quemlibet librum iſtis demum diebus inter ſacros recenſerent, niſi quem à majoribus ſuis inter eos recenſitum acceperant. *Sed ego*, inquit Obſervator, *contrarium plane colligo ex eo quod ab Eccleſiaſticis ſcriptoribus Synodo Nicænâ vetuſtioribus Maccabaici inter Canonicos V. T. libros nunquam numerati ſunt.* Quod quam falſum ſit, è ſupra dictis patet. Cùm Cyprianus enim hos libros inter Canonicos eodem, ut ita loquar, halitu, eâdem ſerie, nullâ prorſus adhibitâ diſtinctione

ctione citaverit, Catholicam iſtius ætatis Eccleſiam eos unà cum Canonicis numerare ſolitam fuiſſe palam eſt. Præſertim cum Origenes etiam τὰ Μακκαβαϊκὰ libris ab Eccleſiâ Judaicâ Chriſtianæ traditis ſubjunxerit. Nimirum duo & viginti (ut à veteribus numerantur) libri à veris prophetis divinitùs inſpiratis conſcripti, totum authenticum Judæorum Canonem conſtituerunt. Sed enim inter Judæorum à captivitate Babylonicâ reditum, & Chriſti adventum, alij ab aliis de rebus iſto intermedio tempore geſtis ſcripti ſunt libri, de quibus Joſephus meminit, qui poſt recenſitos iſtos XXII. libros, addit, Ἀπὸ δὲ Ἀρταξέρξου μέχρι τοῦ καθ' ἡμᾶς χρόνου, γέγραπται μὲν ἕκαστα· πίστεως δὲ οὐχ ὁμοίας ἠξίωται τοῖς πρὸ αὐτῶν, διὰ τὸ μὴ γενέσθαι τὴν τῶν προφητῶν ἀκριβῆ διαδοχήν, *Cæterum ab imperio Artaxerxis ad noſtram uſque ætatem, ſingula quidem literis mandata ſunt: ſed nequaquam tantam fidem meruerunt, quantam ſuperiores ij libri, propterea quod minus explorata fuit ſucceſſio prophetarum.* Joſeph. cont. Apion. lib. 1. & apud Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 3. cap. 10. Hi itaque libri, quos inter Maccabaici erant, non Hebraicâ, qua duo & viginti, ſed Græcâ exarati linguâ, nec ipſis Judæis ejuſdem ac illi autoritatis fuerunt, ſed nihilominus ab Helleniſtis, ſive Judæis inter Græcos diſperſis, eorumque linguâ utentibus, publicè legi & eodem quo libri verè θεόπνευστοι volumine ſcribi ſolebant. Quo factum eſt, ut Chriſtiani primitivi Græca biblia hiſce libris adaucta in publico uſu habentes, libros hoſce licet non ejuſdem ac reliquos, magnæ tamen autoritatis, atque utilitatis eſſe exiſtimarint, eoſque inter libros Veteris Teſtamenti numerarint, & legi voluerint, ut ait D. Hieronymus, *ad ædificationem plebis, ſed non ad autoritatem Eccleſiaſticorum dogmatum confirmandam.* Hieron. in præf. ad Proverb. Et de ipſâ Maccabæorum ſcripturâ S. Auguſtinus ait, *recepta eſt ab Eccleſiâ non inutiliter, ſi ſobriè legatur, vel audiatur, maximè propter illos Maccabæos, qui pro Dei lege ſicut veri Martyres à perſecutoribus tam indigna & horrenda perpeſſi ſunt.* Aug. contra ſecundam Gaudent. Epiſt. lib. 2. cap. 23. Et alibi, *Quorum ſupputatio temporum non in ſcripturis ſanctis, quæ Canonicæ appellantur, ſed in aliis invenitur, in quibus ſunt Maccabæorum libri, quos non Judæi ſed Eccleſia pro Canonicis habet, propter quorundam martyrum paſſiones vehementes, atque mirabiles.* Id. de Civit. Dei lib. 18. cap. 36. Dicit igitur hos libros Canonicas quidem ſcripturas non eſſe, quales ſcilicet ſunt viginti duo libri à Prophetis ſcripti, ſed nihilo ſecius pro Canonicis ab Eccleſiâ haberi, pro iſtiuſmodi nimirum libris qui inter Canonicas & authenticas V.T. ſcripturas utiliter perlegantur.

Cùm quæſtio autem nobis non inſtituatur de libris Canonicis & Apocryphis, ſed de Canonum Apoſtolicorum antiquitate, parum in hâc controverſiâ

troverſiâ intereſt, utrum libri Maccabaici in hoc ultimo Canone Apoſtolico jure an injuriâ inter Canonicos numerentur. Nobis enim ſatis eſt, quod hi libri ante Synodum Nicænam publice, non minus quam Canonici lecti fuerint, & à nonnullis etiam pro Canonicis habiti. Hinc enim apparet, hos libros inter Canonicos in hoc ultimo Apoſtolorum Canone recenſeri potuiſſe, etiamſi tota hæc Canonum collectio multis ante iſtud Concilium annis juxta noſtram ſententiam facta fuerit. Nihil ſaltem ex his libris hic memoratis contra Canonum horum antiquitatem exculpi poteſt. Præſertim cum in antiquiſſimâ, ut oſtendimus, hujus Canonis editione, Johannis nimirum Antiocheni, nulla horum librorum mentio inducatur.

IV. Ut inter Canonicos Veteris Teſtamenti libros Maccabaici, ſic inter Authenticas Novi Scripturas Conſtitutiones Apoſtolorum vulgo dictæ, in hoc ultimo Canone Apoſtolico recenſeri videntur. Poſt enumeratas enim genuinas S. Apoſtolorum Epiſtolas, protinus ſubjicitur, Κλήμεντος ἐπιστολαὶ δύο· Καὶ διαταγαὶ ὑμῖν τοῖς ἐπισκόποις δι' ἐμοῦ Κλήμεντος, ἐν ὀκτὼ βιβλίοις προσπεφωνημέναι· ἃς οὐ χρὴ δημοσιεύειν ἐπὶ πάντων διὰ τὰ ἐν αὐταῖς μυστικά. *Clementis Epiſtolæ duæ: & Conſtitutiones vobis Epiſcopis per me Clementem in octo libris editæ, quæ non ſunt omnibus divulgandæ propter ea quæ ſunt in iis myſtica.* De duabus Clementis Epiſtolis hic prius memoratis nos poſtea agemus, quàm argumentum contra horum Canonum antiquitatem è Conſtitutionibus Apoſtolicis petitum diluerimus. Quod ut effectum demus, diſquirendum imprimis eſt, cujuſmodi eſſet illud Conſtitutionum volumen hic commemoratum.

Euſebius, qui primitivæ Eccleſiæ monumenta quarto ineunte ſeculo publicavit, in ſacris recenſendis libris, eos in tres claſſes redegit. Alios enim dicit ab Eccleſiâ ſine omni controverſiâ receptos eſſe: alios autem eâdem confidentiâ rejectos, ut à doctrinâ Apoſtolicâ alienos: alios deniq; ἀντιλεγομένους vocat, in dubium ſcilicet à nonnullis vocatos, ſed plurimis tamen Eccleſiis publicè lectos. Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 3. cap. 31. Medij hujus generis hos numerat libros, ἐν τοῖς νόθοις κατατετάχθω καὶ τῶν Παύλου πράξεων ἡ γραφὴ, ὅ τε λεγόμενος Ποιμὴν, καὶ ἡ Ἀποκάλυψις Πέτρου, καὶ πρὸς τούτοις ἡ φερομένη Βαρνάβα ἐπιστολὴ, καὶ τῶν Ἀποστόλων αἱ λεγόμεναι Διδαχαὶ, ἔτι τε ὡς ἔφην, ἡ Ἰωάννου ἀποκάλυψις εἰ φανείη. *Pro ſpuriis* (hoc eſt iis quibus contradicitur, ut in loco mox ante citato ſeſe explicat) *habendi ſunt etiam Actus Pauli, & liber Paſtoris titulo inſcriptus, & Revelatio Petri: Barnabæ item Epiſtola, & quæ dicuntur Apoſtolorum doctrinæ ſive inſtitutiones, quibus, ut dixi, adjungatur, ſi lubet, Revelatio Johannis.* Ibid. cap. 25. Hæc ultima de Johannis Revelatione verba appoſui, quoniam ex iis conſtat, quales eſſent reliqui libri hic unà commemorati, qui

qui ſcilicet Johannis Apocalypſeos inſtar, non omnimodo rejecti, ſed tantum in dubium vocati ſunt: de quibus ſcilicet controverſum eſt, utrum in ſacrum Canonem admitti debeant, an non. Inter eos autem hoc in loco numerantur τῶν Ἀποστόλων αἱ λεγόμεναι διδαχαί, *Doctrinæ Apoſt. dicta*, ſive *Inſtitutiones Apoſt.* quemadmodum Cl. V. Henricus Valeſius non inepte reddit. Ruffinus vertit, *Doctrina quæ dicitur Apoſt.* In numero itaq; ſingulari legit, καὶ τῶν Ἀποστόλων ἡ λεγομένη διδαχὴ, Secundum hæc S. Athanaſius in Synopſi ſacræ ſcripturæ, poſt numeratos Authenticos & ab omnibus receptos utriuſq; Teſtamenti libros, addit alios eſſe & veteris & novi Fœderis libros, quorum aliis contradicitur, alii vero Apocryphi vocantur, hoc eſt in ejus notitiâ omnino rejiciuntur. Εἰσὶ δὲ, inquit, καὶ ἄλλα βιβλία διάφορα παρὰ τὰ προλεχθέντα, ἑκατέρας διαθήκης, τῆς παλαιᾶς δηλαδὴ καὶ τῆς νέας τὰ μὲν ἀντιλεγόμενα, τὰ δὲ Ἀπόκρυφα. Juxta quam diſtinctionem recenſet in veteri quidem Teſtamento, primo eos quibus contradicitur, ut Sapientiam Solomonis, & Ieſu Sirach, Eſther, Judith, Tobiam, Maccabæorum libros quatuor, &c. Deinde Apocryphos, ut Enoch Patriarchas, orationem Joſephi, Teſtamentum Moyſis, & alia ejuſdem furfuris figmenta. Poſtea τὰ τῆς νέας διαθήκης ἀντιλεγόμενα, *illos Novi Teſtamenti libros quibus contradicitur* recenſet, inter quos numeratur Διδαχὴ τῶν Ἀποστόλων, Necnon in Epiſtolâ Feſtali idem ſanctiſſimus Pater poſt recenſitos itidem utriuſque Teſtamenti libros, Ἔστι δὲ, inquit, καὶ ἕτερα βιβλία τούτων ἔξωθεν, οὐ κανονιζόμενα μὲν, τετυπωμένα δὲ παρὰ τῶν πατέρων ἀναγινώσκεσθαι τοῖς ἄρτι προσερχομένοις καὶ βουλομένοις κατηχεῖσθαι τὸν τῆς εὐσεβείας λόγον, *Sunt & alij præter ſupradictos libri, non in Canonem quidem redacti, à patribus vero inſtituti, ut ab iis qui primo accedunt, & in pietatis doctrinâ initiari volunt, legantur.* Cujuſmodi ſunt, inquit, (in Veteri Teſtamento) Sapientia Solomonis, Sapientia Sirach, Eſther, Judith, & Tobias: (in Novo Teſtamento) ἡ διδαχὴ τῶν Ἀποστόλων καὶ ὁ Ποιμὴν, *Doctrina quæ dicitur Apoſtolorum, & Paſtor.* Quendam itaque librum τῶν Ἀποστόλων διδαχὴν dictum iſtis temporibus extitiſſe, atque etiam inter iſtos N. T. libros, non qui omnimodo rejecti ſunt, ſed tantum de quibus dubitatum fuit, recenſitum fuiſſe, duos graviſſimos habemus teſtes, Euſebium & Athanaſium. Verumenimvero hunc librum eundem eſſe qui etiam διαταγαὶ ſive διατάξεις τῶν Ἀποστόλων vocatus eſt, & nunc & olim doctiſſimis viris pluſquam veriſimile viſum eſt. Zonaras enim Eruditus in Canones Eccleſiæ Orientalis Scholiaſta, in Scholiis ad supradictam S. Athanaſij Canonicam de Feſtis Epiſtolam, quæ nos è Codice Amerbachiano edidimus in Annotationibus ad Pandectas Canonum, pag.

221. hæc habet, καὶ διδαχὴν καλουμένην τῶν Ἀποστόλων, λέγουσιν εἶναι τὰς διὰ τοῦ κλήμεντος συγγραφείσας τῶν Ἀποστόλων διατάξεις, ἃς ἡ λεγομένη ἕκτη σύνοδος ἀναγινώσκεσθαι οὐ συγχωρεῖ, ὡς νοθευθείσας, καὶ φθαρείσας ὑπὸ αἱρετικῶν, *& doctrinam Apoſtolorum dictam aſſerunt eſſe Conſtitutiones Apoſtolorum a Clemente conſcriptas, quas ea quæ ſexta dicitur Synodus legi non permittit, ut adulteratas & corruptas ab hæreticis.* Et poſt eum Matthæus Blaſtares, διδαχὴν τῶν Ἀποστόλων à S. Athanaſio memoratam eandem eſſe dicit quam ſexta Synodus rejecit, ταύτην δὲ, inquit, καὶ ἡ ἕκτη σύνοδος ἠθέτησεν, ὡς δεδήλωται, *Hanc autem ſexta Synodus rejecit, ut oſtenſum eſt:* paulo nimirum antea, ubi Conſtitutiones Apoſtolorum ab iſtâ Synodo rejectas dixerat. Matth. Blaſt. Syntag. Alphab. lit. B. cap. 11. Hanc tenet ſententiam J. B. Cotelerius, diluitque argumenta quæ contra eam allata ſunt.

V. Et hæc quidem ſententia ſi non de iis quæ hodie circumferuntur, ſed de Conſtitutionibus ab Epiphanio citatis intelligatur, nobis etiam veriſimillima videtur: Eo ſcilicet quod eodem quo Euſebius & Athanaſius ſcripſerunt ſeculo, iſtæ Conſtitutiones ſub Apoſtolorum nomine vulgo notæ fuerint, & ab Epiphanio aliquoties laudatæ, ac proinde mirum eſſet, ſi Euſebium & Athanaſium diligentiſſimos antiquitatum Eccleſiaſticarum inveſtigatores laterent. Has autem Conſtitutiones iis incognitas fuiſſe dicamus neceſſe eſt, niſi eas per *Apoſtolorum doctrinam* ſive *doctrinas* ſignificarent. Quibus etiam accedit, quod Epiphanius Conſtitutionum opus à ſe citatum *Doctrinam* ſubinde vocet. Quo nomine & in ipſo libri corpore ſæpe indigitantur. Ut in præfatione ad primum librum Apoſtoli inducuntur Chriſtianos ad Conſtitutiones ſuas attento animo excipiendas, his verbis incitantes, Ἀκούσατε διδασκαλίαν ἱερὰν οἱ ἀντεχόμενοι τῆς ἐπαγγελίας αὐτοῦ ἐκ προστάγματος τοῦ σωτῆρος ὁμόστοιχον ταῖς ἐνδόξοις φθογγαῖς αὐτοῦ, *Audite, qui ex præcepto Salvatoris promiſſionem ejus retinetis, ſacram doctrinam glorioſis ejus vocibus conſonam.* Sic alibi Conſtitutio de modo quo Pœnitentes tractandi ſunt, vocatur διδασκαλία, ὅπως χρὴ προσφέρεσθαι τοῖς μετανοοῦσι. lib. 2. cap. 12. Sic paſſim per totum librum, ut nemini mirum eſſe videatur, ſi idem liber qui ab his διαταγαὶ, ab aliis διδαχαὶ vel διδαχὴ τῶν Ἀποστόλων nuncupetur.

VI. Adhæc Epiphanius quendam Conſtitutionum librum tanquam ab Apoſtolis traditum ita laudat, ut nihil dubij eſſe poſſit, quin multis ante ejus ætatem annis talis liber in lucem editus fuiſſet, & doctorum manibus vulgo tritus. Ἀλλὰ καὶ, inquit, οἱ Ἀπόστολοί φασιν ἐν τῇ διατάξει τῇ καλουμένῃ, ὅτι φυτεία Θεοῦ καὶ ἀμπελὼν ἡ καθολικὴ ἐκκλησία, *Sed & Apoſtoli in*

in libro qui Conſtitutio vocatur, dicunt, Eccleſia Catholica Dei plantatio eſt, & Vinea. Epiphan. hær. 45. Quæ verba ab eo citata initio Conſtitutionum etiamnum extant. Et alibi, Παρατηρεῖται δὲ ἡ ἐκκλησία ἄγειν τὴν ἑορτὴν τοῦ πάσχα, τουτέστι τὴν ἑβδομάδα τὴν ὡρισμένην καὶ ἀπ' αὐτῶν τῶν Ἀποστόλων ἐν τῇ διατάξει ἀπὸ δευτέρας σαββάτων, ὅπερ ἐστὶν ἀγορασμὸς τοῦ προβάτου, *Obſervat autem Eccleſia feſtum Paſchatis peragere, hoc eſt hebdomadam decretam etiam ab ipſis Apoſtolis in Conſtitutione, à ſecundo Sabbatorum, quod eſt emptio agni.* Id. hær. 70. N. 12. Et iterum, Εἰ δὲ καὶ χρὴ τὸ τῆς διατάξεως τῶν Ἀποστόλων λέγειν, πῶς ἐκεῖ ὡρίζοντο τετράδα, καὶ προσάββατον νηστεύειν διὰ παντὸς χωρὶς πεντηκοστῆς, *Si vero & ex Apoſtolorum Conſtitutione repetenda nobis eſt autoritas, cur illis quartæ ſextæque feriæ jejunium perpetuâ lege ſancitur exceptâ Pentecoſte.* Et paucis interjectis, Εἶτα δὲ εἰ μὴ περὶ τῆς αὐτῆς ὑποθέσεως τετράδων καὶ προσαββάτων οἱ αὐτοὶ Ἀπόστολοι ἐν τῇ διατάξει ἔλεγον, καὶ ἄλλως ἐκ πανταχόθεν εἴχομεν ἀποδεῖξαι· ὅμως περὶ τούτου ἀκριβῶς γράφουσι, *Deinde vero ſi de iſto quartæ ſextæque feriarum argumento iidem Apoſtoli in Conſtitutione nihil dixiſſent, etiam aliter undique poſſemus demonſtrare. Quanquam eâ de re accurrate ſcribunt.* Id. hær. 75. N. 6. In hiſce omnibus, ut patet, locis Epiphanius non modo librum Conſtitutionum Apoſtolicarum, ſed & ipſos Apoſtolos in eo loquentes citat; perinde ac ſi librum iſtum ab ipſis Apoſtolis ſcriptum fuiſſe perſuaſiſſimum habuiſſet. Hoc autem veri nullo modo ſimile ei videri potuit, niſi certiſſime conſtitiſſet, librum iſtum non paulo ante ab hæreticis confictum, ſed adeo antiquum pariter atque doctrinæ traditionibuſque Apoſtolorum conſonum fuiſſe, ut ipſis Apoſtolis vel viris ſaltem Apoſtolicis merito adſcribi poſſet. Et quidem quanti ille hunc librum æſtimavit, ex his ipſius verbis conſtat, Εἰς τοῦτο δὲ, inquit, οἱ αὐτοὶ Αὐδιανοὶ παραφέρουσι τὴν τῶν Ἀποστόλων διάταξιν, οὖσαν μὲν τοῖς πολλοῖς ἐν ἀμφιλέκτῳ, ἀλλ' οὐκ ἀδόκιμον· πᾶσα γὰρ ἐν αὐτῇ κανονικὴ τάξις ἐμφέρεται, καὶ οὐδὲν παρακεχαραγμένον τῆς πίστεως, οὐδὲ τῆς ὁμολογίας, οὐδὲ τῆς ἐκκλησιαστικῆς διοικήσεως, καὶ κανόνος, καὶ πίστεως. *Ad hoc autem iidem Audiani detorquent Apoſtolorum Conſtitutionem, qui quidem liber à multis in dubium vocatur, ſed non eſt improbandus: Omnis quippe Canonicus ordo in eo continetur, nihilque à fide adulteratum, neque à confeſſione, nec ab Eccleſiaſticâ adminiſtratione, & Canone, & fide.* Id. hær. 70. Num. 10. ubi propterea teſtimonium ab Audianis ex iſto libro adductum, non omnino rejicit, tanquam invalidum & fide indignum, ſed verba Conſtitutionis aliter exponit, docetque Conſtitutionem iſtam pacis tantum & concordiæ gratiâ ad tempus editam fuiſſe. Quali quidem reſponſione nunquam uſus fuiſſet,

niſi liber iſte ſummæ apud ipſum autoritatis eſſet. Adhæc, καὶ περὶ μὲν τοῦ γενείου, inquit, ἐν ταῖς Διατάξεσι τῶν Ἀποστόλων φάσκει ὁ Θεῖος λόγος, καὶ ἡ διδασκαλία, μὴ φθείρειν, τουτέστι μὴ τέμνειν τρίχας γενείου. *Et quidem de barbâ in Conſtitutionibus Apoſtolorum edicit divinus ſermo & Doctrina, non corrumpendos eſſe: hoc eſt, non eſſe ſecandos pilos barbæ.* Id. hær. 80. N. 7. Quæ quidem ſunt verba vix dubitantis, quin hæ Conſtituiones verè Apoſtolicæ eſſent, aut ab ipſis Apoſtolis traditæ. Alioquin enim *divinum ſermonem doctrinamque* iis nunquam attribuiſſet.

VII. Ex hiſce ſaltem clariſſimis Epiphanij teſtimoniis de Conſtitutionibus Apoſtolorum antiquitus appellatis, manifeſtum efficitur, Conſtitutiones quaſdam ſub Apoſtolorum nomine, quarto, quo ſcribebat doctiſſimus ille pater, ſeculo non modo pro antiquis, verum & à nonnullis pro verè Apoſtolicis habitas fuiſſe: Ac proinde haud mirum eſſe ſi nonnulli ſeculo præcedente, cùm in eâdem opinione eſſent, has Conſtitutiones Authenticis Apoſtolorum Commentariis ſubjunxerint, & unà cum Canonicis ſacræ ſcripturæ libris nonnunquam legerint, & numerarint. Nec moramur quod Obſervator poſt Dallæum aliosque ex Epiphanio obſervarit, nonnullos de hoc libro dubitaſſe. De nonnullis enim ex verè Canonicis Apoſtolorum libris tribus prioribus Chriſtianiſmi ſeculis dubitatum fuiſſe, neminem fugit. Ex eo autem quod liber quilibet ab aliis in dubium vocaretur, minime ſequitur quin ab aliis idem approbatus eſſet, & inter Canonicos recenſitus. Sed contendit adhuc Obſervator, pag. 32. Conſtitutiones illas à nemine ante Concilium Nicænum in Canonem ſcripturæ relatas eſſe, ac propterea poſt illa tempora vixiſſe Canonum Apoſtolicorum conſarcinatorem. *Unus*, inquit, *Epiphanius circa Annum Domini CCCLXXV. Clementinas Conſtitutiones aliquâ cum laude nominavit*; *ante eum nemo.* Primo autem neminem ante Epiphanium Conſtitutiones iſtas in Canonem ſcripturæ retuliſſe, vel ullâ cum laude nominâſſe, non ſumendum erat, ſed probandum. Hoc enim eſt de quo contendimus, annon ſcilicet in hoc ipſo Canone Apoſtolico Conſtitutiones in Canonem relatæ fuiſſent ante Concilium Nicænum? Deinde probandum etiam erat, Διδαχὴν τῶν Ἀποστόλων, ab Euſebio & Athanaſio memoratam, non eundem fuiſſe librum quem poſtea Epiphanius Διάταξιν τῶν Ἀποστόλων nominavit. Iſto enim dato, quod nobis, ut oſtendimus, veriſimillimum videtur, Conſtitutiones Apoſtolicæ ante Epiphanium inter iſtiuſmodi numeratus fuit libros, qui ἀντιλεγόμενοι quidem erant, ſed nondum è Canone penitus rejecti. Quid etiam ſi excepto hoc Canone Apoſtolico Conſtitutiones à nemine ante Epiphanium, vel ante Concilium Nicænum in Canonem relatæ ſunt? A quonam obſecro poſt iſta tempora id factum legitur? Sane rationi fideique magis conſonum videtur, hunc librum in Canonicorum catalogo col-

collocatum fuiſſe iſtis temporibus quibus de libris Canonicis adhuc diſceptatum erat, potius quam poſtea, cum inter omnes de illis convenit: ideoque primis Chriſtianiſmi ſeculis potius quam ſequentibus quibus ſacræ ſcripturæ Canon ubique ſtabilitus & receptus fuit.

VIII. Adhæc nihil eſt quod eruditi viri in ultimum hunc Apoſtolorum Canonem tantâ vehementiâ inveherentur, quod octo Conſtitutionum Apoſtolicarum libros in Canonicorum cenſum, vel in Novi Teſtamenti Canonem retulerit. Hoc enim non niſi ſummâ injuriâ contra dictum Canonem objici poteſt: quippe quo Conſtitutiones à Canonicis ſacræ ſcripturæ libris apertiſſimè diſtinguuntur. De authenticis enim & Canonicis utriuſque fœderis libris hæc præfatur Canon, Ἔστω δὲ ὑμῖν πᾶσι κληρικοῖς καὶ λαϊκοῖς βιβλία σεβάσμια καὶ ἅγια, *Sint autem vobis omnibus Clericis & Laicis libri venerabiles & ſancti.* Deinde recenſitis Canonicis Veteris novique Teſtamenti libris, de Conſtitutionibus Apoſtolicis hæc dicit, Καὶ αἱ διαταγαὶ ὑμῖν τοῖς ἐπισκόποις, δι' ἐμοῦ κλήμεντος ἐν ὀκτὼ βιβλίοις προσπεφωνημέναι, ἃς οὐ χρὴ δημοσιεύειν ἐπὶ πάντων, διὰ τὰ ἐν αὐταῖς μυστικά. *Et conſtitutiones vobis Epiſcopis per me Clementem in octo libris nuncupatæ, quas non oportet coram omnibus divulgare propter ea quæ ſunt in illis myſtica.* Canonici itaque libri Clericis & Laicis, Conſtitutiones autem ſolis Epiſcopis nuncupantur, idque eâ cautione, ut coram omnibus non divulgentur, propter myſteria ſcilicet quæ in iis continentur. Quod de libris verè Canonicis dici non poteſt, neque hic dictum eſt, utpote qui eo ſcripti ſunt ut omnes veram de Deo fidem rectamque vitæ inſtituendæ rationem ex iis diſcant. Cúmque in hoc ipſo Canone Apoſtolico Cautio iſta ad conſtitutiones ſolas adhibeatur, non item ad alios utriuſvis Teſtamenti libros ibidem connumeratos, clariſſime exinde conſtat, illas ab hiſce ex Canonis mente ſecretas eſſe, ut libros Apocryphos ſive non Canonicos à verè Canonicis. Nimirum octo Conſtitutionum libri hoc in loco Epiſcopis, iiſque ſolis commendantur, ut πᾶσαν, ſi cum Epiphanio loquar, κανονικὴν τάξιν καὶ ἐκκλησιαστικὴν διοίκησιν continentes, nequaquam ut Canonici ſacræ ſcripturæ libri ab omnibus perlegendi. Ac proinde quæcunque argumenta contra Canones Apoſtolicos è Conſtitutionibus, ut in Canonem ſacræ ſcripturæ relatis petuntur, unà corruunt, nihilque concludunt.

IX. Hæc vero omnia eo tantum nomine à nobis dicta ſunt, ut pateat Canones Apoſtolicos ante Concilium Nicænum conſtitui colligique potuiſſe, etiamſi Conſtitutiones Apoſtolicas iis ab initio interſertas fuiſſe concederemus. Ad extremum autem totam hanc de Conſtitutionibus clauſulam ultimo huic Apoſtolorum Canoni aliâ quam primi conditoris manu, longeque poſtea inſertam fuiſſe pro comperto habeo. Nullus enim du-

bito, quin idem huic, quod pleriſque aliis Eccleſiæ primitivæ monumentis, acciderit, ut multis ſcilicet in locis interpolatum fuerit. Quod ut de aliis certum, de hoc ſaltem loco certiſſimum eſt: ut ex eo conſtat, quod Canonibus Apoſtolicis cum antiquis Conſtitutionibus in omnibus non conveniat. Cum antiquis, inquam, Conſtitutionibus. De iis enim, quæ nomen iſtud ſibi inſcriptum hodie circumferunt, non diſputamus, utpote quæ ab antiquis illis quas Epiphanius laudavit Conſtitutionibus in omnibus fere diſcrepant, ut à viris doctis ſæpe obſervatum fuit, ac demonſtratum. In antiquis autem Conſtitutionibus contraria atque in Canonibus Apoſtolicis conſtituta ſunt. Epiphanius enim ex iis qui ejus ætate extabant Apoſtolorum, ut vocat, Conſtitutionibus, hæc de Paſchâ verba citavit, ὑμεῖς μὴ ψηφίζητε, ἀλλὰ ποιεῖτε ὅταν οἱ ἀδελφοὶ ὑμῶν οἱ ἐκ περιτομῆς· μετ' αὐτῶν ἅμα ποιεῖτε. *Vos temporum rationes ne ſubducite, ſed eodem tempore celebrate Paſcha, quo fratres veſtri qui ex circumciſione ſunt. Cum illis una peragite.* Apud Epiph. hær. 70. Num. 10. Eos autem qui ex circumciſione ad fidem Chriſtianam prodierunt, eodem atque Judæos tempore celebraſſe Paſcha, inter omnes conſtat. Verum in Canonibus Apoſtolicis hoc diſertè prohibetur; ut quorum ſeptimus ſic ſtatuit, Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος τὴν ἁγίαν τοῦ πάσχα ἡμέραν πρὸ τῆς ἐαρινῆς ἰσημερίας μετὰ Ἰουδαίων ἐπιτελέσει, καθαιρείσθω. *Si quis Epiſcopus vel Presbyter, vel Diaconus ſanctum Paſchæ diem ante vernum Æquinoctium cum Judæis celebraverit, deponatur.* Can. Apoſt. VII. Idem fere in iis quæ hodie extant Conſtitutionibus habemus, lib. 5. cap. 7. Quod cum contrarium ſit iis quæ Epiphanius ex antiquis Conſtitutionibus citavit, legitimè ex eo collegerunt viri eruditi, aliud antiquitus fuiſſe Conſtitutionum opus, quam quibus Apoſtolorum & Clementis nomen hodie inſcribitur. Quin idem etiam demonſtrat, inter Conſtitutiones & Canones Apoſtolicos antiquitùs diſconveniſſe. Illis enim decretum eſt, ut Chriſtiani Paſcha cum Judæis nullâ habitâ calculorum ratione celebrent, κἂν τε πλανηθῶσι, inquiunt priſtini Conſtitutores, μηδὲν ὑμῖν μελέτω, *& quamvis ipſi aberrent, nihil id vos commoveat.* Hiſce autem, nempe Canonibus, è contra cautum eſt, ne quis Paſcha cum Judæis ante vernum æquinoctium, accuratè ſcilicet calculatum, celebret. Quocirca omnem excedit fidem, ut qui primus vel condidit, vel collegit Canones Apoſtolorum, Conſtitutiones illas commendaret. Hoc enim nihil aliud eſſet quam in uno Canone evertere, quod in alio conſtitutum fuerat. Quo nihil abſurdius eſſe poteſt. Ac propterea perſuaſiſſimum habeo, illam ultimi Canonis Apoſtolorum partem, quæ de Conſtitutionibus agit, interpolatoris alicujus manu interſertam fuiſſe, ejuſdem fortaſſe, qui ipſas etiam Conſtitutiones corrupit, & depravavit. Cùm hic enim ex variis, ut videtur, Apoſtolorum, Pauli, Clementis, Ignatij, Polycarpi, Hippolyti,

polyti, aliorumque didaſcaliis antiquum Conſtitutionum opus pro libitu auxiſſet, immutâſſet, ſuique ſeculi ritibus ac inſtitutis accommodâſſet, quo fallaces ſuas ac fucoſas merces aliis commendatiores haberet, earum mentionem ultimo huic Apoſtolorum Canoni, inter ipſos SS. Scripturæ libros improbus inſeruit. Et ex eâdem, ut opinor, officinâ prodierunt, quaſcunque hodie in hiſce Canonibus corruptelas habemus, aut interpolationes. Idem etiam Canones Conſtitutionibus primus ſubjunxiſſe videtur, atque in unum opus conflâſſe, cum ab initio diverſa fuiſſe opera & res ipſa clamet, & ipſe Dallæus fatetur, probatque de Pſeudep. lib. 3. cap. 1. E quibus omnibus conſtat, nihil ex eo contra antiquitatem horum Canonum legitimè concludi poſſe, quod Conſtitutiones in iis hodie inter S. Scripturæ libros commemorentur.

X. Præter Conſtitutiones Apoſtolicas duæ Clementis Epiſtolæ inter S. Scripturæ libros nominantur, idque hoc modo, Πέτρου ἐπιστολαὶ δύο, Ἰωάννου τρεῖς, Ἰακώβου μία, Ἰούδα μία· Κλήμεντος ἐπιστολαὶ δύο. Ubi primò aliquid obſervare licet diſcriminis inter has Clementis & alias Epiſtolas hic recenſitas. Poſtquam enim dixiſſet, *Johannis tres*, *Jacobi una*, *Judæ una*, non addit *Clementis duæ* ſed voce ἐπιστολαὶ repetitâ, Κλήμεντος ἐπιστολαὶ δύο. Quod non opus erat ſi hæ ejuſdem eſſent authoritatis atque aliæ prius numeratæ. Deinde obſervatum etiam velim Clementis Epiſtolas alio atque Conſtitutiones modo hic deſcribi: Conſtitutiones enim perinde memorantur, ac ſi ab ipſo Canonum conditore editæ fuiſſent. Καὶ αἱ διαταγαὶ ὑμῖν τοῖς ἐπισκόποις δι' ἐμοῦ Κλήμεντος, *& Conſtitutiones vobis Epiſcopis per me Clementem:* Quæ propterea ab impoſtore aliquo ſub ementito Clementis nomine inſertæ ſunt. At Epiſtolæ tanquam à tertiâ perſonâ, vel ab alio quam ab ipſo Canonum conditore ſcriptæ memorantur, non ſcilicet ἐμοῦ Κλήμεντος, ſed in genere, Κλήμεντος ἐπιστολαὶ δύο. Et ſane quicunque fuerit qui Conſtitutiones vel Primus collegit, vel collectas poſtea interpolavit, & huic Canoni inſeruit; Clementem ſaltem, cujus Epiſtolæ hic memorantur, Romanum fuiſſe Epiſcopum inter omnes convenit. Et has quidem duas ipſius Epiſtolas ſummæ apud primitivos Chriſtianos autoritatis fuiſſe, ex eorum ſcriptis apparet, ut quibus paſſim laudantur. Prima enim Epiſtola ab Irenæo, à Clemente Alexandrino & ab Origene nec ſemel citatur. Eam Euſebius ab omnibus uno conſenſu receptam, & in plurimis Eccleſiis publicè recitatam fuiſſe teſtatur. Hiſt. Eccleſ. lib. 3. cap. 16. De alterâ, fateor, Epiſtolâ, idem dicit, ἰστέον δὲ ὡς καὶ δευτέρα τις εἶναι λέγεται τοῦ Κλήμεντος ἐπιστολὴ, οὐ μὴν ἔθ' ὁμοίως τῇ προτέρᾳ καὶ ταύτην γνώριμον ἐπιστάμεθα, ὅτι μηδὲ τοὺς ἀρχαίους αὐτῇ κεχρημένους ἴσμεν. *Sciendum autem eſt quod quædam ſecunda etiam Clementis Epiſtola eſſe dicitur.*

dicitur: Eam autem non ſimiliter ac priorem notam fuiſſe comperimus, quoniam nec veteres eâ uſos fuiſſe ſcimus. Ibid. cap. 38. E quibus Euſebij verbis D. Hieronymus in catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum de Clemente agens, dicit, *Fertur & ſecunda ejus nominis Epiſtola, quæ a veteribus reprobatur.* Hoc autem non dixit Euſebius: non dixit hanc Epiſtolam à veteribus reprobatam, ſed non adeo notam & celebratam fuiſſe ac priorem. Et ipſe quidem Hieronymus, ubi non Euſebij, ſed ſuam de his Epiſtolis ſententiam profert, ambas ſine ullo diſcrimine conjungit. *Ad hos*, inquit, *& Clemens ſucceſſor Apoſtoli Petri, cujus Paulus Apoſtolus meminit, ſcribit Epiſtolas, omnemque pene ſermonem ſuum de virginitatis puritate contexuit.* Hieron. adv. Jovinian. lib. 1. cap. 7. Quin Epiphanius etiam eodem modo utriuſque mentionem facit, dicens, Λέγει γὰρ ἐν μιᾷ τῶν ἐπιστολῶν αὐτοῦ, ἀναχωρῶ, ἄπειμι, εὐσταθείτω ὁ λαὸς τοῦ Θεοῦ, *Dicit enim* (Clemens) *in unâ Epiſtolarum ſuarum, Recedo, exeo, inſtet populus Dei.* Epiph. hær. 27. Num. 6. Alibi vero ambas has Epiſtolas in publicis Eccleſiæ conventibus recitatas fuiſſe tradit: dicit enim Αὐτὸς Κλήμης αὐτοὺς κατὰ πάντα ἐλέγχει, ἀφ' ὧν ἔγραψεν ἐπιστολῶν ἐγκυκλίων, τῶν ἐν ταῖς ἁγίαις ἐκκλησίαις ἀναγινωσκομένων. *Ipſe Clemens omnibus iſtos* (Ebionitas) *modis redarguit, in circularibus illis quas ſcripſit Epiſtolis, quæ in ſanctis Eccleſiis leguntur.* Id. hær. 30. N. 15. Et quidem, niſi longe fallor opinione, ipſe quoque Dionyſius Corinthiorum, quibus ambæ hæ Epiſtolæ nuncupatæ ſunt, Epiſcopus, proximo poſt Clementem ſeculo idem innuit: In Epiſtolâ enim ad Romanos ſcriptâ hæc habet, τὴν σήμερον οὖν κυριακὴν ἁγίαν ἡμέραν διηγάγομεν, ἐν ᾗ ἀνεγνώκαμεν ὑμῶν τὴν ἐπιστολὴν, ἣν ἕξομεν ἀεί ποτε ἀναγινώσκοντες νουθετεῖσθαι, ὡς καὶ τὴν προτέραν ἡμῖν διὰ Κλήμεντος γραφεῖσαν. *Hodie diem Dominicam ſacram tranſegimus, in quâ Epiſtolam veſtram legimus, quam quidem perpetuo deinde legentes, perinde ac priorem illam nobis à Clemente ſcriptam Epiſtolam, optimis præceptis ac documentis abundabimus.* Apud. Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 4. cap. 23. Hic duæ celebrantur à Dionyſio Epiſtolæ, ad Eccleſiam Corinthiacam miſſæ, quarum una ab Eccleſiâ Romanâ, altera ab ipſo Clemente ſcripta dicitur. Quam à Romanis ſcriptam dicit, alia non videtur quam ea quæ *Prima Clementis ad Corinthios Epiſtola* vulgo indigitatur, utpote quæ non Clementis ſed *Eccleſiæ Romanæ* nomine ſcripta fuit, ut ex ipſâ inſcriptione patet. Altera vero, quæ ſecunda dicitur, non Eccleſiæ Romanæ ſed *Clementis* nomine ſcripta eſt, ut omnes conſentiunt, & res ipſa loquitur, quandoquidem in hâc Epiſtolâ appellatio iſta Ἀδελφοί μου ſæpe occurrit, in alterâ nuſquam. Hæc igitur eadem videtur fuiſſe, quam Dionyſius τὴν προτέραν ὑμῖν διὰ Κλήμεντος γραφεῖσαν appellat.

appellat. Huic noſtræ conjecturæ eruditi viri Joh. Bapt. Cotelerij obſervatio favet, quod ea ſcilicet quæ ſecunda dicitur, ipſius *Clementis* nomine ſcripta Epiſtola, ante alteram *Eccleſiæ Romanæ* nomine ſcriptam, miſſa fuit. Hinc enim conſtat, quare προτέρα à Dionyſio dicatur, eò nimirum quòd hæc ab ipſo Clemente, ante alteram illam ab Eccleſiâ Romanâ, conſcripta fuerat. Non me fugit, Euſebium, alioſque poſt eum omnes unam duntaxat Clementis Epiſtolam in his Dionyſij verbis intelligere, propterea ſcilicet, quod Clementis nomen uni ſoli inſcribatur. Verumenimvero cùm illa etiam quæ ab Eccleſiâ Romanâ ſcripta fuit, Clementi, & quidem jure, ut Eccleſiæ illius Antiſtiti attribuatur, nihil obſtat, quin eadem ſit Epiſtola, quam Dionyſius primo in loco memorat, dicens, ἐν ἧ ἀνεγνώκαμεν ὑμῶν τὴν ἐπιστολήν. Nec video quænam alia ab illo intelligatur? cùm aliam ab Eccleſiâ Romanâ ad Corinthiacam ſcriptam, publicéque lectam fuiſſe non conſtet. Verbis autem Dionyſij hoc modo intellectis, nihil diſertius eſſe poteſt. Dicit enim Eccleſiam ſuam Corinthiacam duas legere conſuetam eſſe Epiſtolas Româ miſſas, quarum una ab Eccleſiâ Romanâ, altera autem, quam & Priorem vocat, ab ejuſdem Præſule Clemente, ad ipſos ſcripta fuerat. Quas propterea ambas ab Eccleſiâ iſtâ Corinthiacâ, ad quam miſſæ ſunt, publicè lectas fuiſſe, nobis modo perſuaſiſſimum eſt.

XI. Hiſce præcognitis, etiamſi concederemus, quod nunquam probari poteſt, nobiſque veri admodum diſſimile videtur, duas ſcilicet Clementis Romani Epiſtolas huic Canoni ab initio interſertas fuiſſe, & proximè poſt Epiſtolas Canonicas collocatas, minime tamen exinde conficeretur novitium eſſe hunc Canonem, nec ante Synodum Nicænam conſtitutum. Nemo enim neſcit de Canonicis N. T. libris diu diſceptatum fuiſſe, his plures, illis pauciores per tria ſaltem priora ſecula numerantibus Eccleſiis: adeo ut duas in eundem conſentientes numerum vix reperias. Hoc autem iis omnibus ſolenne fuit, ut quaſcunque pro ſacris ſcripturas habebant, eas omnes ſine ullo fere diſcrimine unà recenſerent. Vix quempiam habemus Clemente Alexandrino antiquiorem, quem ſacras utriuſque Teſtamenti ſcripturas enumeràſſe conſtat. Is autem in recenſendis N.T. libris, neque illos prætermiſit, qui à nonnullis in dubium vocati ſunt, cum ab aliis recepti eſſent. Nam in libris ὑποτυπώσεων, ut ait Euſebius, omnium utriuſque Teſtamenti ſcripturarum compendioſam inſtituit enarrationem, μηδὲ τὰς ἀντιλεγομένας παρελθὼν, τὴν Ἰούδα λέγω, καὶ τὰς λοιπὰς καθολικὰς ἐπιστολὰς, τήν τε Βαρνάβα, καὶ τὴν Πέτρου λεγομένην ἀποκάλυψιν. *Ne illis quidem prætermiſſis, de quibus ambigitur, Judæ Epiſtolam dico, & reliquas Catholicas Epiſtolas, necnon Epiſtolam Barnabæ, & Revelationem quæ dicitur Petri.* Euſeb. Hiſt. 1. Eccl. lib. 6. cap. 14. Ad eundem

medum

modum in antiquâ illâ ſtichometriâ ab erudito viro J.B. Cotelerio in notis ad Epiſtolam Barnabæ è duobus MSS. erutâ, inter ſacras N. T. ſcripturas nullâ adhibitâ diſtinctione recenſentur Barnabæ Epiſtola, Liber Paſtoris, Actus Pauli & Revelatio Petri. Quis autem ſacrarum ſcripturarum catalogum à Clemente Alexandrino, & in hâc ſtichometriâ exhibitum poſt Synodum Nicænam factum fuiſſe exiſtimet, eò quod hujuſmodi libri iis annumerentur? Quis potius antiquos hoſce ſacræ ſcripturæ catalogos non longe ante elaboratos fuiſſe crederet, cùm Canon ſcilicet ſcripturæ fixos ſibi limites nondum haberet? Idem dicendum eſt de Clementis Epiſtolis hoc Canone Apoſtolico memoratis: Cùm à viro enim Apoſtolico ſcriptæ eſſent, & publicè in Eccleſiâ legi ſolerent, inter ſacras ſcripturas facile connumerari poterant, non minus quam Epiſtola Barnabæ, Hermæ Paſtor, Revelatio Petri, aliive iſtiuſmodi libri, qui olim in dubium à pleriſque vocati, hodieque Canone penitus ejecti ſunt.

XII. Secundum hæc non defuiſſe olim qui duas Clementis Epiſtolas ſacris ſcripturæ libris ſubjunxerunt, iiſque connumerarunt, è vetuſtiſſimo illo MS. conſtat, è quo in lucem primo editæ ſunt. Hunc MS. Codicem Cyrillus Lucaris à ſede Alexandrinâ ad Conſtantinopolitanam tranſlatus, tanquam pretioſiſſimum Orientis theſaurum Alexandriâ Conſtantinopolim ſecum attulit: eundemque Sereniſſimo pientiſſimoque Regi noſtro CAROLO I. dono dedit, in cujus Bibliothecâ adhuc aſſervatur. In hoc antiquiſſimo MS. ante mille, ut videtur, & ducentos annos exarato, & ex antiquiori procul omni dubio tranſcripto, omnes utriuſque Teſtamenti libri ab Eccleſiâ Primitivâ recepti, exhibentur; & inter alios, duæ iſtæ Clementis Epiſtolæ hoc canone Apoſtolico poſt Canonicos iiſdem ſacræ ſcripturæ libros commemoratæ. Codex iſte manu exaratus, in quatuor tomos nunc dividitur, quorum primo præfigitur catalogus omnium librorum qui in toto Codice continentur. Sed quandoquidem catalogus iſte, ut opinor, nondum in lucem datus fuit, eundem huc tranſcribere non gravabor, utpote qui magnam huic canoni lucem affert, egregiumque antiquorum Bibliorum Specimen exhibet. Scriptus eſt quidem hic catalogus ſive ſyllabus librorum, iiſdem quibus totus Codex characteribus, grandioribus ſcilicet ſive uncialibus, quibus ut jamdudum obſoletis in communes noſtros commutatis, aliud quicquam mutare nobis religio eſt. Ac proinde neque lacunas ſupplevimus, ſed ubi literæ quævis vetuſtate ſunt abraſæ, ibi interſtitia accuratè demenſa reliquimus. Sic itaque qualis qualis eſt, ſe habet.

Γένεσις

Γένεσις Κόσμου.
Ἔξοδος Αἰγύπτου.
Λευιτικόν.
Ἀριθμοί.
Δευτερονόμιον.
Ἰησοῦς Ναυῆ.
Κριταί.
Ῥούθ.
Ὁμοῦ βιβλία Η.
Βασιλειῶν Α.
Βασιλειῶν Β.
Βασιλειῶν Γ.
Βασιλειῶν Δ.
Παραλιπομένων Α.
Παραλιπομένων Β.
Ὁμοῦ βιβλία ϛ.
Προφῆται ιϛ.
Ὠσηὲ Α.
Ἀμὼς Β.
Μιχαίας Γ.
Ἰωὴλ Δ.
Ἀβδίου Ε.
Ἰωνᾶς ϛ.
Ναούμ Ζ.
Ἀμβακοὺμ Η.
Σοφονίας Θ.
Ἀγγαῖος Ι.
Ζαχαρίας ια.
Μαλαχίας ιβ.
Ἡσαΐας ιγ.
Ἱερεμίας ιδ.
Ἰεζεκιὴλ ιε.

Δανιὴλ ιϛ.
Ἐσθήρ.
Τωβίτ.
Ἰουδείθ.
Ἔσδρας Α. ἱερεύς.
Ἔσδρας Β. ἱερεύς.
Μακκαβαίων λόγος Α.
Μακκαβαίων λόγος Β.
Μακκαβαίων λόγος Γ.
Μακκαβαίων λόγος Δ.
Ψαλτήριον ρν. ᾀδῶν.
Ἰώβ.
Παροιμίαι.
Ἐκκλησιαστής.
Ἆσμα τῶν ᾀσμάτων.
Σοφία ἡ πανάρετος.
Σοφία Ἰησοῦ υἱοῦ Σιράχ.
Ἡ Καινὴ Διαθήκη.
Εὐαγγέλια Δ.
Κατὰ Ματθαῖον.
Κατὰ Μάρκον.
Κατὰ Λουκᾶν.
Κατὰ Ἰωάννην.
Πράξεις Ἀποστόλων.
Καθολικαὶ Ζ.
Ἐπιστολαὶ Παύλου ΙΔ.
Ἀποκάλυψις Ἰωάννου.
Κλήμεντος ἐπιστολὴ Α.
Κλήμεντος ἐπιστολὴ Β.
Ὁμοῦ βιβλία.
Ψαλμοὶ Σολομῶντος ΙΗ.

In hoc accurato librorum, qui in antiquiſſimo iſto MS. exhibentur, indice, ut alia huc minus pertinentia omittam, duas Clementis Epiſtolas inter ſacras N. T. Scripturas, non minus quam in hoc canone Apoſtolico, recenſitas habemus. Poſt eas enim ponitur, ὅμȣ βιβλία (ſed literis numeralibus vetuſtate exeſis) unde patet iſtas Epiſtolas partem canonis N. T. conſtituiſſe, vel inter canonicas ſaltem ſcripturas perinde numeratas fuiſſe, ac ſi ipſæ etiam verè canonicæ eſſent. Quocirca ubicunque perantiquus hic Codex, proximo, ut videtur, poſt Synodum Nicænam ſeculo, exaratus fuit, ex antiquiori haud dubie exemplari, has etiam Epiſtolas inter ſacros N. T. libros ibidem antiquitus collectas fuiſſe conſtat. Ac propterea nemini mirum eſſe videatur, quod idem hoc canone factum habeamus. Mirum potius fuiſſet, ſi in hoc Codice canonum Eccleſiæ primimitivæ, dictæ Clementis Epiſtolæ in ſacrorum librorum cenſu non collocatæ eſſent, cùm eæ tunc temporis & publicè in Eccleſiis legi, & unà cum aliis ſacroſanctæ ſcripturæ libris compingi ſolerent, ut è MS. hoc catalogo liquet. In quo etiam obſervare licet, omnes tam veteris quam novi Teſtamenti libros promiſcuè diſpoſitos eſſe, nullâ inter Canonicos & Apocryphos diſtinctione adhibitâ: niſi quod Pſalmi Solomonis extra aliorum librorum cenſum conſtitui videantur, quemadmodum etiam non modo in Nicephori Conſtantinopolitani ſtichometriâ, ſed & in S. Athanaſij Synopſi, Ψαλμοὶ καὶ ᾠδαὶ Σολομῶντος inter ἀντιλεγομένȣς V. T. libros collocantur. Cùm itaque Eccleſia nondum adeo ſolicita eſſet de Canonicis & Apocryphis Scripturis accurate diſtinguendis, quin hæ Epiſtolæ iſtis ſaltem diebus inter alios ſacræ ſcripturæ libros facile recenſerentur, nemo dubitare poteſt. Ac propterea ex earum in hoc canone mentione nihil contra canonis ipſius antiquitatem legitime concludatur: præſertim cum longe facilius eſſet, ut hæ Epiſtolæ Canonicorum librorum numero intruderentur ante Concilium Nicænum, quando de numero iſto inter omnes nondum convenit, quam poſtea cùm univerſalis Eccleſiæ conſenſu ſtabilitus & determinatus fuit.

XIII. Huic denique Canoni Dallæus vitio vertit, quod Apocalypſis Johannis in eo prætermittatur. Hoc autem antiquitatem canonis confirmat potius quam evertit. In omnibus enim recentioribus ſacrarum ſcripturarum catalogis Johannis Apocalypſis conſtanter annumeratur: ſed non item in antiquis. De iſto enim libro non tantum tribus prioribus, ſed & quarto currente ſeculo à multis dubitatum eſt: ut ex Euſebio conſtat dicente τῆς δὲ Ἀποκαλύψεως ἐφ' ἑκάτερον ἔτι νῦν παρὰ τοῖς πολλοῖς περιέλκεται ἡ δόξα, *De Revelationis autem libro adhuc in utramque partem opinionum varietate certatur.* Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 3. cap. 24. Et proximo capite de ſpuriis novi Teſtamenti

ti libris agens, de Actibus Pauli, Hermæ Paſtore, Revelatione Petri, Epiſtolâ Barnabæ, & inſtitutionibus Apoſtolorum, addit ἔτι δὲ, ὡς ἔφην, ἡ Ἰωάννου Ἀποκάλυψις, εἰ φανείη, ἥν τινες, ὡς ἔφην, ἀθετοῦσι, ἕτεροι δὲ ἐγκρίνουσι τοῖς ὁμολογουμένοις. *His adjunge, ſi lubet, Johannis Revelationem, quam nonnulli, ut ſupra dixi, rejiciunt, alij inter libros probatos annumerant.* Ibid. cap. 25. Idem alibi ex Papiæ libris obſervans duos fuiſſe eodem tempore in Aſiâ Johannis nomine indigitatos, ipſe dubius hæſitavit, utri eorum, Evangeliſtæ, an alteri, Presbytero, adſcribenda ſit Revelatio. Ibid. lib. 3. cap. 39. Et poſt Euſebium, ut alios hic omittam, Amphilochius Iconij Epiſcopus, S. Baſilij æqualis, ad finem verſuum de ſacræ ſcripturæ libris, hæc habet

Τὴν δ' Ἀποκάλυψιν Ἰωάννου πάλιν
Τινὲς μὲν ἐγκρίνουσιν, οἱ πλείους δέ γε
Νόθον λέγουσιν.

Aſt Apocalypſim Johannis aliqui
Iis inſerunt, ſed longe plurimi
Adulterinam dicunt.

Hinc ipſe quoque Gregorius Nazianzenus, in ſuis de eodem argumento Carminibus, hunc librum omnino prætermittit, poſtque recenſitos omnes tam novi quam veteris Teſtamenti libros ab univerſâ Eccleſiâ approbatos addit,

Εἰ τὶ δὲ τούτων ἐκτὸς, οὐκ ἐν γνησίοις.

Si præter hos quid eſt, ne germanum putes.

Qui hæc legit, mirari deſinet, quod Apocalypſis Johannis in perantiquo hoc canone non commemoretur. Mirandum potius eſſet, ſi liber, de quo tamdiu diſceptatum fuit, tam cito in canonem ſcripturæ hoc loco redactus fuiſſet. Multo ſaltem faciliùs in hoc ultimo Apoſtolorum canone omitti potuit hic liber ex noſtrâ hypotheſi, quam ex Dallænâ. Si hæc enim collectio Canonum juxta noſtram ſententiam ſecundo tertiove ſeculo facta fuerit, librum qui adhuc plurimis dubiæ eſſet fidei in canonicis recenſendis prætermittere proclive erat, non item poſt quintum illudque adultum ſeculum, cum ubique propemodum receptus fuit, ut genuinum Johannis Apoſtoli ac Evangeliſtæ divinitus inſpirati monumentum.

E præmiſſis itaque videre eſt, nihil ex hoc ultimo Apoſtolorum canone colligi poſſe, quod vel hunc canonem vel totam, quam claudit, ſyllogen Synodo Nicænâ recentiorem, vel eâ non longe antiquiorem eſſe evincit. Nihil ex tribus libris Maccabaicis, nihil ex conſtitutionibus Apoſtolicis, nihil ex duabus Clementis Epiſtolis inter canonicos ſacræ ſcripturæ libros hic recenſitis, nihil denique ex Apocalypſi Johannis hic prætermiſſâ. Quin potius ex eo quod hic librorum ſacrorum catalogus ab aliis omnibus diſcrepet, quodque nonnulli in eo memorentur libri, qui non niſi primis ætæ Chriſtianæ ſeculis vel publicè lecti vel pro ſacris habiti fuerunt, hunc ex iis canonibus eſſe, quibus totius collectionis antiquitas adſtruitur, jure meritiſſimo concludamus.

C A-

CAPUT X.

Synopſis.

I. *Communia Dallæi argumenta contra Canones Apoſt. Quorum primum è vocabulis ibi uſitatis ſumitur.*

II. *Hæc objectio noſtram opinionem non attingit. Vocabula* Κληρικὸς, ἱερεὺς, Λαϊκὸς, ἱερατικὴ διοίκησις, Ἀναγνώστης, Ψάλτης *ab Eccleſiæ primordiis uſitata eſſe oſtenditur.*

III. *Idem probatur de vocabulis* προσφορὰ, θυσία, *Sacrificium,* θυσιαστήριον, *Altare.*

IV. *Diſcrimen inter* βωμὸν & θυσιαστήριον *à Patribus diligenter obſervatum. Euchariſtia, quare* θυσία, Sacrificium & Oblatio *dicatur, & ſacra menſa Altare. Ita ab* Irenæo, & Juſtino *M. dicuntur.*

V. *E vocabulis* Πεντηκοστὴ, Κυριακὰ, & πρεσβυτεραῖος & πρῶτος ἐν ἐπισκόποις *nihil contra antiquitatem horum Canonum concludi poteſt.*

I. POSTQUAM Cl. V. Johannes Dallæus primo contra triginta quinque poſteriores, & deinde contra quinquaginta priores canones Apoſtolorum diſputavit, alia quædam communia adhibet argumenta, quibus totam ſyllogen Apoſtolis abjudicandam eſſe demonſtrat. Et quidem certe ſi nihil aliud probatum iviſſet, quam hos canones ab ipſis Apoſtolis totidem verbis non conſtitutos fuiſſe, ei nos etiam faciles ſubſcriberemus. Quandoquidem autem non modo Apoſtolicam eorum inſtitutionem, verumetiam venerabilem antiquitatem oppugnare conatus eſt, ne quid nos in hâc cauſâ intactum relinquere videamur, hæc etiam communia, ut vocat, argumenta expendemus, eaque, ut ut Turriani ſententiam jugulent, noſtram nec attingere, nedum deſtruere paucis oſtendemus.

Primo,

Primo itaque contra hos canones in commune excipit Vir eruditus, quod multa in iis vocabula uſurpentur, vel ſanctis Apoſtolis penitus inuſitata, vel non eo certe ſenſu, quo in his canonibus ſumuntur, uſurpata. Qualia, inquit, ſunt Κληρικὸς pro *homine miniſterium aliquod Eccleſiaſticum exercente*, κατάλογος τῶν κληρικῶν. Item Ἐπίσκοπος & Πρεσβύτερος pro *miniſtris diverſorum ordinum.* Ἀναγνώστης, καὶ Ψάλτης. ἱερεὺς, ἱερατικὸς κατάλογος, ἱερατικὴ διοίκησις, pro *Presbytero*, & *eo quod Presbyterorum eſt.* Λαϊκὸς *pro eo fideli qui extra cenſum miniſtrorum in Eccleſiâ eſt.* Θυσιαστήριον pro *menſâ Domini*, θυσία pro *Euchariſtiæ celebratione*, & προσφορὰ pro eâdem. Πεντηκοστὴ pro *toto eo tempore quod à feſto Paſchæ ad proprie dictam Pentecoſten decurrit.* Πρῶτος ἐν ἐπισκόποις, pro *Metropoleos in provinciâ Epiſcopo.* Τὰ κυριακὰ *Dominica*, pro rebus quas poſſidet Eccleſia, quas iidem Canones vocant τὰ τῆς ἐκκλησίας πράγματα: Ὑπερβερεταῖος *October.* Hæc, inquit vir doctus, & alia fortaſſe non pauca ſequentibus Chriſtianiſmi ſeculis uſitata in eo quo canones uſurpant ſenſu, conſtat in veris ac indubitatis, hoc eſt Canonicis Apoſtolorum ſcripturis, nuſquam ſic poſita occurrere. Dall. de Pſeud. lib. 3. cap. 18.

II. Hæc autem viri clariſſimi exceptio, nec Turriani, nedum noſtram de his canonibus opinionem elevat. Non Turriani quidem: nihil enim vel poſſibilius, vel etiam probabilius eſſe poteſt, quam ut Apoſtoli de aliis, ac quas in canonicis ſcripturis tractant, rebus differentes, aliis etiam vocibus & loquendi formulis uterentur. Quod ad noſtram autem de hiſce canonibus ſententiam, eos ſecundo tertiove ſeculo conſtitutos aſſerentem ſpectat, eam ex hâc exceptione nihil detrimenti contrahere uſque adeo certum & luculentum eſt, ut verear ne inaniter verba conſumere videar, ſi illud demonſtratum eam. Utcunque ne Obſervator aliive poſthæc omnes Dallæi contra antiquitatem horum canonum à nobis aſſertam objectiones nondum ſolutas eſſe jactitarent, de his etiam vocabulis ab eo prolatis pauca delibare non pigebit. Primo autem vocabula ἐπίσκοπος & πρεσβύτερος de miniſtris diverſorum ordinum, ſummi ſcilicet & ſecundi, toties in hâc ſylloge uſitata, poſtea iterum ad ſecundam ipſius exceptionem conficiendam adducantur; quibus propterea illuc rejectis, videamus annon vox κληρικὸς de *homine miniſterium Eccleſiaſticum exercente*, ἱερεὺς de *Presbytero*, & Λαϊκὸς de *fideli non ordinato*, à primitivâ Eccleſiâ uſurpentur. Vocem autem κληρικὸς eo ſenſu D. Cypriani diebus vulgo uſitatum fuiſſe, ex unaquâque fere operum illius paginâ abunde conſtat; adeo ut nemo oculum in ea conjiciat, quin vel *Clerum* vel *Clericum* mox inve-

inveniet. Et ante eum Origenes eâdem voce uſus eſt, Ἔτι δὲ, inquit, ὅτι οὐ πάντως ὁ κλῆρος σώζει· πολλοὶ γὰρ πρεσβύτεροι ἀπολοῦνται, πολλοὶ δὲ καὶ λαϊκοὶ μακάριοι ἀποδειχθήσονται. Orig. in Jerem. hom. 2. ubi non modo κλῆρον de *Eccleſiaſticis miniſtris*, ſed & vocabulum Λαϊκοὶ de *reliquis fidelibus* uſurpatum habes. Tertullianus, *Unde enim Epiſcopi & Clerus, nonne de omnibus? ſi non omnes monogamiæ tenentur, unde monogami in Clerum? An ordo aliquis ſeorſim debet inſtitui monogamorum, de quo allectio fiat in clerum? Sed cum extollimur & inflamur adverſus clerum, tunc omnes unum ſumus, tunc omnes Sacerdotes, quia Sacerdotes nos Deo & Patri fecit. Cum ad peræquationem diſciplinæ Sacerdotalis provocamur, deponimus infulas, & pares ſumus.* Et paucis interjectis, *Laicis vero quis monogamia non convenit, cætera quoque aliena ſunt.* Tertull. de Monog. cap. 12. In quo uno, ut videre licet, capite, & *Clerum*, & *Sacerdotes*, & *diſciplinam Sacerdotalem*, ſive ἱερατικὴν διοίκησιν, & *Laicos* denique habemus. Sed & alibi idem ait, *ubi Eccleſiaſtici ordinis eſt conſeſſus, & offert, & tingunt Sacerdos, qui eſt ibi ſolus, ſed & ubi tres, Eccleſia eſt, licet Laici.* Id. exhort. ad caſtitat. cap. 7. Sed infinitus eſſem ſi omnia ex eo aliiſque ſecundi tertiique ſeculi ſcriptoribus loca tranſcriberem, quibus hujuſmodi voces occurrunt, æque ac in Canonibus Apoſtolorum. Verum inſignem Clementis Romani locum præterire nequeo, quo ſcilicet hæc habet, τῷ γὰρ Ἀρχιερεῖ ἰδίαι λειτουργίαι δεδομέναι εἰσὶ, καὶ τοῖς ἱερεῦσιν ὁ ἴδιος τόπος προστέτακται, καὶ Λευΐταις ἰδίαι διακονίαι ἐπίκεινται· ὁ Λαϊκὸς ἄνθρωπος τοῖς λαϊκοῖς προστάγμασι δέδεται. Clem. Epiſt. 1. ad Corinth. Hinc enim conſtat hujuſmodi vocabula ab ipſis Eccleſiæ primordiis, eo quo in Canonibus Apoſtolorum ſenſu, vulgo uſitata fuiſſe. Idem dicendum eſt de vocibus Ἀναγνώστης καὶ Ψάλτης. Hujuſmodi enim & officia & nomina ab ipſo Eccleſiæ initio in uſu fuiſſe videntur. Cantus enim Eccleſiaſticos perpetuo celebrari ſolitos fuiſſe inter omnes conſtat: qui iſtis autem ritè modulandis præpoſiti ſunt, Ψάλται, & κανονικοὶ Ψάλται à Synodo Laodicenâ vocantur Can. XV. Cornelius Epiſcopus Romanus in Epiſtolâ ad Fabium Eccleſiæ Antiochenæ Antiſtitem, ſuâ ætate, hoc eſt Anno CCL. in unâ Eccleſiâ Romanâ Presbyteros quidem quatuor & quadraginta fuiſſe dicit, ſeptem autem Diaconos, totidemque Subdiaconos, Ἀκολούθους δύο καὶ τεσσαράκοντα, Ἐξορκιστὰς δὲ καὶ Ἀναγνώστας ἅμα πυλωροῖς δύο καὶ πεντήκοντα, *Acoluthos duos & quadraginta, Exorciſtas autem & Lectores cum Oſtiariis quinquaginta duos.* Apud Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 6. cap. 43. Hypodiaconos etiam & Lectores in Eccleſiâ Carthaginienſi iiſdem diebus conſtitutos fuiſſe ex D.

Cypriano

Cypriano patet, Epiſt. 24. Et ante eum Tertullianus, *Itaque alius*, inquit, *hodie Epiſcopus*, *cras alius. Hodie Diaconus, qui cras Lector. Hodie Presbyter qui cras Laicus. Nam & Laicis Sacerdotalia munera injungunt*. Tertull. de præſcr. adv. hær. cap. 41. ubi non tantum *Laicorum* & *Sacerdotalium munerum*, quibus Presbyteri ſcilicet perſunguntur, verum & *Lectoris* mentio occurrit. Qui à Juſtino Martyre Ἀναγινώσκων appellatur, ubi nimirum ait, εἶτα παυσαμένου τοῦ ἀναγινώσκοντος, ὁ προεστὼς διὰ λόγου τὴν νουθεσίαν καὶ πρόκλησιν τῆς τῶν καλῶν τούτων μιμήσεως ποιεῖται. Juſtin. Apoſt. 2. Sed hæc leviora ſunt quam quibus immorari liceat. Neque digna nos ea judicaſſemus quæ explicarentur, vel etiam commemorarentur, niſi eorum gratiâ qui hujuſmodi vocabula ac officia primitivæ Eccleſiæ incognita fuiſſe ac inuſitata opinantur.

III. Sed major fortaſſe difficultas orietur de vocabulis θυσιαστήριον *Altare*, pro menſâ Domini, Can. Apoſt. III. IV. XXXI. θυσία, *Sacrificium* & προσφορὰ *Oblatio* pro Euchariſtiæ celebratione Can. III. VIII. XLVI. Ita quidem aliis forſitan videatur, non item nobis, qui hæc & hujuſmodi nomina de iſtis rebus uſitata in antiquiſſimis Eccleſiæ monumentis paſſim invenimus. D. Cyprianus nullo alio, quantum memini, præterquam *Altaris* nomine menſam Domini indigitare ſolet, iſto autem ſæpiſſime. Epiſt. XL. ad Plebem. XLII. ad Cornelium. LV. ad eundem. LXIII. ad Cæcil. LXIV. ad Epictetum, &c. Ante eum Tertullianus & Euchariſtiæ celebrationem *Sacrificium* & menſam Domini *aram Dei* nuncupavit. *Similiter de ſtationum*, inquit, *diebus*, *non putant plerique ſacrificiorum orationibus interveniendum, quod ſtatio ſolvenda ſit accepto corpore Domini. Ergo Deo obſequium Euchariſtia reſolvit*, *an magis Deo obligat? Nonne ſolennior erit ſtatio tua, ſi ad Aram Dei ſteteris? Accepto corpore Domini & reſervato, utrumque ſalvum eſt, & participatio ſacrificij & executio officij*. Tertull. de Orat. cap. 14. Eodem ſenſu voce *Altare* alibi utitur, dicens, *Si ſpiritus reus apud ſe ſit*, *conſcientia erubeſcit*, *quomodo audebit Orationem dicere ad altare?* Id. exhort. ad Caſtit. cap. 10. Apud Altare ſcilicet, ſive ſacram menſam publicæ orationes antiquitus celebratæ ſunt. Ante Tertullianum, ipſe etiam Ignatius in genuinis, & inviolatis ejus Epiſtolis θυσιαστήριον in eodem ſenſu adhibuit, Ἐὰν μή τις, inquit, ᾖ ἐντὸς τοῦ θυσιαστηρίου, ὑστερεῖται τοῦ ἄρτου τοῦ Θεοῦ. *Niſi quis intra altare ſit*, *privatur pane Dei*. Ignat. Ep. ad Epheſ. & alibi, μία γὰρ σὰρξ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ ἓν ποτήριον εἰς ἕνωσιν τοῦ αἵματος αὐτοῦ· ἓν θυσιαστήριον, ὡς εἷς ἐπίσκοπος ἅμα τῷ πρεσβυτερίῳ καὶ διακόνοις τοῖς συνδούλοις μου. *Una enim eſt caro Domini noſtri Ieſu Chriſti, & unus Calix, in unitatem ſanguinis ejus. Unum Altare*, *ſicut unus*

unus Epiſcopus cum Presbyterio & Diaconis conſervis meis, Id. ep. ad Philad.

IV. Conſtat itaque myſticam menſam ab ipſis Apoſtolorum temporibus vocatam fuiſſe Θυσιαστήριον, non autem Βωμόν. Hæc enim vox Gentilibus ſolis ac Idololatris, illa Eccleſiaſticis ſcriptoribus peculiaris eſt: neque unquam uſurpatur præterquam de *Altari* quod vero Deo erigitur. Hinc eſt, quod Origenes, Minutius Felix, Arnobius aliique, Chriſtianos nullos habere βωμοὺς, nullas Idolorum aras, quemadmodum & nulla Templa, nulla ſcilicet clauſtra numinum, qualia omnia fuerunt, vel exiſtimata ſunt Ethnicorum Templa, ſæpe aſſeruerunt. Nuſquam autem aſſerunt eos nec θυσιαστήρια habere, iſtiuſmodi ſcilicet *Altaria* quæ corpori ſanguinique Chriſti myſticè offerendo inſervierunt. Hujuſmodi enim *Altaria* Chriſtianis ſemper in uſu fuiſſe è ſupradictis patet. Et quidem vox iſta θυσιαστήριον, ſive *Altare* proprio ſenſu, nihil aliud eſt quam ἁγία τράπεζα, *menſa Deo conſecrata*, ſive *ſancta*, ad quam Deus fideles ſuos invitat, eoſque magni illius Sacrificij, quod unigenitus ipſius Filius pro humano genere obtulit, participes facit. Unde etiam ipſa hæc ſacra actio ſive Euchariſtiæ celebratio θυσία & προσφορὰ, *Sacrificium* & *Oblatio* ſæpe appellatur, ut non modo è Tertulliano ſupra allato, verumetiam ex aliis ejuſdem ac præcedentis ſeculi commentariis liquet. Sic enim Irenæus, *Sed & ſuis Diſcipulis dans conſilium* (Chriſtus) *primitias Deo offerre ex ſuis creaturis, non quaſi indigenti, ſed ut ipſi nec infructuoſi nec ingrati ſint, eum qui ex creaturâ panis eſt, accepit, & gratias egit, dicens Hoc eſt corpus meum, & calicem ſimiliter, qui eſt ex eâ creaturâ quæ eſt ſecundum nos, ſuum ſanguinem confeſſus eſt, & novi Teſtamenti novam docuit oblationem* (προσφορὰν) *quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens in univerſo mundo offert Deo.* Iren. adv. hær. lib. 4. cap. 32. & alibi, *Igitur Eccleſiæ oblatio* (προσφορὰ) *quam Dominus docuit offerri in univerſo mundo, purum Sacrificium reputatum eſt apud Deum, & acceptum eſt ei, non quod indigeat à nobis Sacrificium, ſed quoniam is qui offert glorificatur in eo quod offert, ſi acceptetur munus ejus.* Et paulo poſt, *Sacrificia in populo, Sacrificia & in Eccleſiâ, ſed ſpecies immutata eſt tantum, quippe cùm jam non à ſervis ſed à liberis offeratur.* Ibid. cap. 34. Nimirum ſacra Euchariſtia eſt convivium quoddam Fœderale (qualia etiam antiqua fuerunt ſacrificia) inter Deum & homines. Homines enim primo offerunt panem & vinum Deo, quas creaturas ſibi oblatas & in ſymbola magni per Chriſtum peracti Sacrificij conſecratas, Deus iterum hominibus impertit; Quo pacto ipſi per fidem de magno Chriſti ſacrificio revera participant. Ac proinde magnum hoc myſterium nullo alio vocabulo aptius pleniuſve exprimi poteſt, quam

iſtis, θυσία, προσφορὰ, *Sacrificium*, *Oblatio*, & ſimilibus. Quibus propterea & à Juſtino M. nuncupatur. Πάντας οὖν, inquit, διὰ τοῦ ὀνόματος τούτου θυσίας ἃς παρέδωκεν Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς γίνεσθαι, τουτέστιν ἐπὶ τῇ εὐχαριστίᾳ τοῦ ἄρτου καὶ τοῦ ποτηρίου, τὰς ἐν παντὶ τόπῳ τῆς γῆς γινομένας ὑπὸ τῶν Χριστιανῶν, προλαβὼν ὁ Θεὸς μαρτυρεῖ εὐαρέστους ὑπάρχειν αὐτῷ. *Univerſos igitur, qui per nomen ejus illa offerunt Sacrificia quæ Ieſus Chriſtus fieri tradidit, hoc eſt in Euchariſtiâ panis & poculi, quæ in omni loco a Chriſtianis fiunt, præveniens Deus gratos ſibi eſſe teſtatur.* Juſtin. M. dial. cum Tryph. Quo in libro vox θυσία καὶ προσφορὰ ſæpe hoc ſenſu, pro Euchariſtiâ ſcilicet uſurpatur. Et ante eum Clemens Romanus, πάντα, inquit, τάξει ποιεῖν ὀφείλομεν, ὅσα ὁ δεσπότης ἐπιτελεῖν ἐκέλευσεν, κατὰ καιροὺς τεταγμένους, τάς τε προσφορὰς καὶ λειτουργίας ἐπιτελεῖσθαι. *Omnia debemus rite ac ordine facere, quæ Dominus præſtitutis temporibus peragere juſſit, oblationes ſcilicet & liturgias celebrare*; & paulo poſt, οἱ οὖν τοῖς προστεταγμένοις καιροῖς ποιοῦντες τὰς προσφορὰς αὐτῶν εὐπρόσδεκτοί τε καὶ μακάριοι, *Qui igitur præſtitutis temporibus oblationes ſuas faciunt, accepti & beati ſunt.* Clem Ep. 1. ad Corinth. Unde conſtat ſacræ Euchariſtiæ celebrationem θυσίαν ac προσφορὰν & myſticam propterea Menſam, ſuper quam celebrata eſt, θυσιαστήριον ab ipſis Eccleſiæ incunabulis appellatam fuiſſe. Ac proinde nemini mirum eſſe videatur, quod hæc vocabula in his Canonibus aliquot poſt annis editis iſto ſenſu uſurpentur.

V. Reliqua quæ ſuperſunt vocabula, quibus clariſſimus vir hos Canones impugnat, iſtiuſmodi ſunt, quibus reſponſum nullo negotio detur. Quis enim dabit Apoſtolos vel Apoſtolicam Eccleſiam totum illud quod à Paſcha ad Pentecoſten decurrit ſpatium temporis πεντηκοστῆς vocabulo nunquam appellâſſe? præſertim cum iſto ſenſu ab ipſo Tertulliano aliiſque antiquiſſimis Eccleſiæ Patribus, ut alibi oſtendimus, vox iſta ſæpe uſitetur? Quidni etiam Apoſtoli & viri Apoſtolici ea τὰ κυριακὰ *Dominica* nuncuparent, quæ ad *Dominicos uſus* decernuntur, ut loquitur Irenæus, lib. 4. cap. 34. Quod autem πρῶτος ἐν ἐπισκόποις, id eſt. Metropoleos cujuſque provinciæ Epiſcopus, in hiſce Canonibus memoratur, eam loquendi formulam primitivæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ praxi conſonare, ſupra à nobis fuſe demonſtratum eſt. Satis autem mirari nequeo, quâ de cauſâ etiam vox ὑποδιερετῶν? ei diſpliceret. Quaſi ſcilicet Apoſtolis & primis Chriſtianis

ſtianis ad Macedones, Syromacedones, Antiochenos, Epheſios, & Smyrnæos ſcribentibus vel de rebus apud illos peragendis decernentibus, non liceret iſtis menſium nominibus uti, quæ apud eos vulgo recepta erant. Hujuſmodi ſane argumentis riſus magis quam confutatio convenit. Sed me reprimo; neque enim contra Dallæum, ſed pro Codice Canonum Eccleſiæ primitivæ diſputo.

CAPUT XI.

Synopſis.

I. *Altera communis objectio contra Canones Apoſt. ex eo petita, quod* Epiſcopi & Presbyteri *in iis diſtinguantur. Iſta diſtinctio ab Eccleſiâ recens natâ obtinuit.*

II. Clemens Alex. *Epiſcopum & Presbyterum non minus quam Presbyterum & Diaconum diſtinguit.*

III. *Eadem diſtinctio ex* Origene & Dionyſio Alex. *demonſtratur, necnon ex* Tertulliano *qui Epiſcopum* Summum Sacerdotem *vocat.*

IV. Clemens Alex. Origenes & Tertullianus *Epiſcopos in ipſis Apoſtolorum ſcriptis diſtinctos eſſe à Presbyteris, adeoque ab ipſis Apoſtolis diſtincte inſtitutos judicarunt.*

V. *Idem ex* Tertulliano *iterum probatur, necnon ex* Irenæo. *Multi Presbyteri Epiſcopo Romano ſubjecti ſunt, qui tamen nihil magni momenti ſine eo facere potuerunt.*

VI. Polycarpus *Epiſcopus ab Apoſtolis ordinatus Presbyteros ſibi ſubjectos habuit. Primi Eccleſiarum Epiſcopi ſoli celebrantur, non item Presbyteri.*

VII. *Epiſcoporum à Presbyteris diſtinctio, eorumque ſuper hos autoritas è* Dionyſio *etiam Corinthiaco demonſtratur.*

VIII. *Nonnullos proxime poſt Apoſtolos, primo Presbyteros, & deinde Epiſcopos ejuſdem Eccleſiæ fuiſſe probatur.*

IX. *Hæc diſtinctio ex iis etiam qui cum Apoſtolis verſati ſunt*, Ignatio, & Clemente Rom. *evincitur. Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi in Eccleſiâ Chriſtianâ æque ac Pontifex, Sacerdotes, & Levitæ in Judaicâ diſtincti, iiſdemque nominibus antiquitus appellati ſunt.*

X. Clementis I. *locus explicatur.* Διάκονος *iſtis diebus generale erat omnium Eccleſiæ miniſtrorum nomen. Clemens non de ſua ætate loquitur, ſed quid Apoſtoli ſtatim poſt Domini aſcenſum agebant, docet. Cum Eccleſiæ regimen perpetuo duraturum nondum inſtitui potuit.*

XI. *Quod Epiſcopi ab Apoſtolis Presbyteri nominentur, nihil contra*

contra nos facit. Nam initio Eccleſiæ Judaicæ Summus Sacerdos, *etiam ſimpliciter* Sacerdos *dictus fuit.*

XII. *Ex iis quæ Apoſtoli ſtatim poſt Chriſti aſcenſum fecerunt, nihil de perpetuo Eccleſiæ regimine concludi poteſt. Ipſi Spiritum per Chriſtum ſibi inſufflatum, per* χειροθεσίαν *aliis communicarunt. Quo modo in Apoſtolorum ſucceſſores perpetuo infunditur.*

XIII. *Quæſtio de Epiſcoporum ſupra Presbyteros autoritate, ut rite inſtituatur, ita ut determinari poſſit.*

XIV. *Singuli Apoſtoli totam Apoſtolicam autoritatem ſibi commiſſam habuerunt, ac proinde eandem in ſingulares perſonas tranſmittere debuerunt.*

XV. *Hanc autoritatem Apoſtoli ſingularibus perſonis*, Timotheo & Tito *commiſerunt: ideoque & aliis; ſiquidem uniformitati in Eccleſiâ ſtuderent.*

XVI. *Eandem apud ſingulares perſonas ab Apoſtolis depoſitam fuiſſe, hiſtoriæ Eccleſiaſticæ fidem faciunt. Ipſi etiam adverſarij negare nequeunt, quin ſingulares perſonæ eandem ſtatim poſt Apoſtolos exercuerint.*

XVII. *Primi Apoſtolorum ſucceſſores Eccleſiaſticæ adminiſtrationis formam ab iis inſtitutam nec voluerunt, nec potuerunt immutare. Nullus unquam Presbyter ante noſtrum & præcedens ſeculum præter* Aerium *ſe Epiſcopo parem exiſtimavit.*

XVIII. *Nihil inter Jus divinum & Apoſtolicum intereſt. Antiquiſſimi patres Epiſcopalem autoritatem jure divino inſtitutam conſenſerunt.*

XIX. *Hujus diſſertationis concluſio.*

I. PROXIMUM commune contra Canones Apoſtolorum argumentum ex eo petit Clariſſimus vir, quod Epiſcopos & Presbyteros perpetuo diſtinguant, atque ita priorem, ut ipſi videtur, miniſterij Eccleſiaſtici partem quæ ſupra diaconatum eſt, *in duos ordines dividant, plurimum inter ſe & nomine, & jure, & ſtatu, & autoritate differentes.* Nempe ſicut dicit vir doctus, ita profecto eſt. Hi Canones duos illos Epiſcoporum & Presbyterorum ordines perpetuo diſtinguunt. Et quidem niſi hoc feciſſent, eos ipſe etiam de novitate ſuſpectos habuiſſem; nec ante quartum, illudque adultum ſeculum, poſt Aerianæ ſcilicet hæreſeos exortum, conditos credidiſſem. Ab ipſis enim Apoſtolorum temporibus uſque ad Aerium, nemo unquam Presbyteros ejuſdem atque Epiſcopos ordinis fuiſſe ſomniavit, ſed omnes è contrario ubi ordines Eccleſiaſticos enumerant, tres iſtos, Epiſcoporum ſcilicet, Presbyterorum, & Diaconorum, tanquam à ſe invicem diſtinctos, conſtanter recenſent: ut à viris eruditis ſæpe demonſtratum eſt. Utrunque hoc etiam in loco, unum vel alterum afferre teſtimonium non pigebit, quo

ſumma inter Epiſcopi & Presbyteri ordines diſtinctio proximo poſt Apoſtolos ſeculo evidentiſſimè demonſtratur.

II. Primo itaque, ſi alia deeſſent argumenta, hæc Clementis Alexandrini verba diſtinctionem iſtam clare ſatis indicant. Ἐπεὶ καὶ αἱ ἐνταῦθα κατὰ τὴν ἐκκλησίαν προκοπαὶ ἐπισκόπων, πρεσβυτέρων, διακόνων, μιμήματα οἶμαι τῆς Ἀγγελικῆς δόξης. *Nam & hic quoque in Eccleſiâ progreſſiones Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, imitationes ſunt, ut arbitror, Angelicæ gloriæ.* Clem. Alex. Strom. lib. 6. pag. 667. Hic enim non modo Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi tanquam à ſe invicem diſtincti memorantur, ſed & diſtincti eorum ordines verbo iſto προκοπαὶ luculente indigitantur: utpote è quo conficitur, progreſſionem ſive promotionem fuiſſe à Presbytero ad Epiſcopum, non minus quam à Diacono ad Presbyterum. Adeo ut niſi Diaconi idem ſit atque Presbyteri ordo, Epiſcopi à Presbyteris ordine diſtinguantur neceſſe eſt. Ab uno porro ordine ad eundem Progreſſio fieri non poteſt. Atqui ut à diaconatu ad Presbyteratum, ſic etiam à Presbyteratu ad Epiſcopatum facta eſt progreſſio, ut ex his ipſis verbis patet, necnon è ſequentibus. Cùm enim dixiſſet Clemens has progreſſiones eſſe imitationes gloriæ Angelicæ, ac illius œconomiæ & diſpenſationis quam ſcripturæ illos expectare dicunt, qui inſiſtentes veſtigiis Apoſtolorum in perfectione juſtitiæ convenienter Evangelio vixerunt, addit protinus, Ἐν νεφέλαις τούτους ἀρθέντας γράφει ὁ Ἀπόστολος, διακονήσειν μὲν τὰ πρῶτα, ἔπειτα ἐγκαταταγῆναι τῷ πρεσβυτερίῳ κατὰ προκοπὴν δόξης· δόξα γὰρ δόξης διαφέρει, ἄχρις ἂν εἰς τέλειον ἄνδρα αὐξήσωσι. *Hos ſublatos in nubibus ſcribit Apoſtolus, primo quidem Diaconos eſſe, deinde cooptatos in Presbyteratum per progreſſum gloriæ. Nam gloria differt à gloriâ, donec in virum perfectum creverint.* In virum perfectum, hoc eſt, in Epiſcopum, ſenſu cœleſti in ſummum gloriæ apicem. Hic enim oſtendit Clemens tres eſſe gloriæ ordines in cœlis, à ſe invicem diſtinctos (nam gloria, inquit, differt à gloriâ) quos progreſſiones ſive ordines Epiſcorum, Presbyterorum, & Diaconorum in terris imitantur. Primum ſcilicet, ſive infimum Diaconorum eſſe, medium Presbyterorum, ſupremum autem ſive perfectiſſimum Epiſcoporum. Quos propterea iſtis dicbus diſtinctos fuiſſe in Eccleſiâ ordines clariſſime eluceſcit.

III. Idem Origenes Clementis æqualis in commentariis ſuis ſæpe inculcat, præſertim ubi hæc habet, Πλεῖον ἐγὼ ἀπαιτοῦμαι παρὰ τὸν διάκονον, πλεῖον ὁ διάκονος παρὰ τὸν λαϊκόν, ὁ δὲ πάντων ἡμῶν ἐγκεχειρισμένος ἀρχὴν αὐτὴν τὴν ἐκκλησιαστικὴν, ἐπὶ πλεῖον ἀπαιτεῖται. *Plus à me* (Presbytero) *exigitur quam à Diacono: plus à Diacono quam à Laico: Ab eo autem qui in nos omnes Eccleſiaſticum ipſum principatum ſibi commiſſum habet, plus*

adhuc exigitur. Vel ut D. Hieronymus hæc ultima verba latinè vertit, *Qui vero totius Eccleſiæ arcem obtinet, pro omni Eccleſiâ reddit rationem.* Orig. in Jerem. hom. 2. In his fateor Origenis verbis nec Epiſcopus, nec Presbyter diſertè nominatur. Ambo autem neceſſario includuntur. Origenem enim Presbyterum fuiſſe nemo neſcit: & hæc ipſa verba clamant. Neque enim plus ab eo quam à Diacono exigi potuit, niſi ipſe Presbyter eſſet, atque ita Diacono ſuperior. Per eum autem qui ſummum in omnes tam Clericos quam Laicos parœciæ ſuæ principatum ſibi concreditum habet, Epiſcopum intelligendum eſſe nemo dubitare poteſt. Hoc enim res ipſa loquitur, & vulgaris loquendi formula ab Origene uſitata confirmat, à quo ſcilicet Epiſcopi ἄρχοντες & ἡγούμενοι paſſim appellantur. Dicit igitur plus à Presbytero quam à Diacono exigi: plus etiam ab Epiſcopo quam à Presbytero: Quod fieri non poteſt, niſi Epiſcopus alius ſit à Presbytero, eoque non minus ſuperior quam Presbyter Diacono. Imo vero Epiſcopum τὸν ἐπὶ πάντων ἡμῶν (πρεσβυτέρων viz. καὶ διακόνων καὶ λαϊκῶν) ἐγκεχειρισμένον ἀρχὴν αὐτὴν τὴν ἐκκλησιαστικὴν affirmat. Quibus verbis ſumma Epiſcoporum in ipſos etiam Presbyteros ὑπεροχὴ apertiſſimè ſignificatur. Hinc eſt quod ubicunque ille tres hoſce ordines ſimul recenſet, Epiſcopos cæteris ſemper præponit, ut ἀνεπιλήπτοις ἐπισκόποις, ἢ πρεσβυτέροις ἢ διακόνοις. Orig. in Matt. cap. XXI. 12. pag. 442. & ante, Σύμβολόν ἐστι καὶ ὁ ἐπίσκοπος, καὶ ὁ πρεσβύτερος, καὶ ὁ διάκονος ἀληθινῶν κατὰ τὰ ὀνόματα ταῦτα πραγμάτων. Id. in Matt. cap. XIX. pag. 363. & paſſim alibi. Hiſce adjungamus luculentiſſimum illud Tertulliani teſtimonium, hæc de baptiſmo dicentis, *Dandi quidem habet jus ſummus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus; dehinc Presbyteri & Diaconi, non tamen ſine Epiſcopi auctoritate, propter Eccleſiæ honorem: quo ſalvo, ſalva pax eſt. Alioquin etiam Laicis jus eſt. Quod enim ex æquo accipitur, ex æquo dari poteſt: niſi Epiſcopi jam, aut Presbyteri, aut Diaconi vocantur, dicentes, Domini ſermo non debet abſcondi ab ullo.* Tertull. de baptiſmo cap. 17. In his antiquiſſimi Patris verbis obſervare licet primo Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos diſtinctè recenſitos: deinde Epiſcopum iſtis diebus non ſimpliciter *Sacerdotem*, ſed *ſummum Sacerdotem* appellatum fuiſſe: & denique hunc ſummum Sacerdotem baptizandi jus penes ſe habuiſſe, Presbyteros autem & Diaconos baptizare quidem potuiſſe, non tamen ſine Epiſcopi ſive ſummi Sacerdotis autoritate, communiter ſcilicet, & ordinariè: nam gravi aliquâ urgente neceſſitate, non tantum Presbyteris & Diaconis, ſed & Laicis baptizare licuit. Nullâ autem cogente neceſſitate (quæ lege conſtringi nequit) ut nullo modo Laici, ſic ne ipſi Presbyteri nec Diaconi ſine Epiſcopi autoritate jus baptizandi habebant: *propter Eccleſiæ* ſcilicet *honorem*, in eo

quippe

quippe plurimum conſiſtentem, ut omnia ex ſummi Sacerdotis ſententiâ atque autoritate adminiſtrentur. Quamcunque igitur in ipſis etiam Sacramentis adminiſtrandis vel Presbyteri vel Diaconi habebant autoritatem, eam totam Epiſcopo quiſque ſuo acceptam referebant. Quod non modo Epiſcoporum à Presbyteris diſtinctionem, ſed ſummam eorum ſupra hoſce eminentiam & autoritatem perſpicuè demonſtrat. Quod tamen manifeſtius adhuc, ſi fieri poteſt, eluceſcit ex Dionyſij Alexandrini, qui paulo poſt Tertullianum vixit, Epiſtolâ ad Fabium Antiochenæ Eccleſiæ præſulem, ubi hanc hiſtoriam Narrat. Serapion, inquit, quidam Senex Alexandriæ, in perſecutione lapſus, cum jam moribundus eſſet, Nepoti ex filiâ juſſit, ut unum è Presbyteris accerſeret, qui veniam & communionem ipſi indulgeret. Puer ad Presbyterum cucurrit, jam autem nox erat, & Presbyter ægrotabat: ἐντολῆς δὲ, inquit Dionyſius, ὑπ' ἐμοῦ δεδομένης, *mandato autem à me dato*, ut morituris ſi peterent, & maximè ſi antea ſuppliciter poſtulâſſent, venia indulgeretur, quo bonæ ſpei pleni ex hâc vitâ migrarent, *Exiguam* Euchariſtiæ partem puero tradidit, jubens ut aquâ intinctam ſeni in os inſtillaret: Quod cum puer feciſſet, ſenex animam continuò exhalabat. Dionyſ. Alex. apud Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 6. cap. 44. Ex hâc hiſtoriâ patet, Dionyſium Epiſcopum Presbyteris ſuis *in mandatis dediſſe*, ut veniam morituris indulgerent. Quod quidem niſi ſummam Epiſcoporum ſupra Presbyteros poteſtatem evincat, me prorſus neſcire fateor, quid quovis modo evinci poſſit.

IV. Secundo igitur exeunte tertioque ineunte ſeculo, quibus ſcilicet temporibus Canones Apoſtolorum nobis conſtituti editique videntur, Epiſcopos à Presbyteris diſtinctos, iiſque præpoſitos fuiſſe, ac proinde diſtinctionem iſtam atque autoritatem Epiſcoporum ſupra Presbyteros in dictis Canonibus toties commemoratam, noſtram de Canonum horum antiquitate ſententiam haudquaqam elevare, ſatis ſuperque è præmiſſis conſtat. Nec nobis ſane videre licet, ut legitima ex hoc argumento concluſio contra ipſam Turriani opinionem inferatur. Hoc enim argumentum in eâ fundatur opinione, quæ Epiſcoporum & Presbyterorum nomina in veris Apoſtolorum ſcriptis confuſa eſſe & promiſcuè uſitata ſtatuit. Iſta autem opinio non niſi poſt Aerij hæreſin exorta eſt, quarto jam ad finem vergente ſeculo. Illi vero qui tribus primis claruerunt ſeculis, ipſiſque propterea Apoſtolis longe propinquiores fuerunt, patres, contrariâm omnino ſententiam amplexi ſunt, ſcriptiſque tradiderunt, Epiſcopos ſcilicet in ipſis Apoſtolorum ſcriptis à Presbyteris diſtinctos eſſe, ut alius plane eſſet Eccleſiaſtici miniſterij ordo qui Epiſcoporum ac qui Presbyterorum nomine ibi nuncupantur. Hoc ex eo patet, quod Patres ante laudati, Clemens Alexandrinus, Origenes & Tertullianus, qui omnes, ut oſtendimus, Epiſcopos & Presbyteros accurate diſtinguunt, illoſque

hiſce

hiſce ſuperiores aſſerunt, illa Apoſtolorum verba quæ de Epiſcopis agunt, de ſolis Epiſcopis in ſuâ noſtrâque notione non de Presbyteris, item quæ de Presbyteris loquuntur, de ſolis Presbyteris non de Epiſcopis intelligunt. Clementem Alexandrinum tres προκοπὰς Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum agnoviſſe, ſupra à nobis oſtenſum eſt. Idem vero alibi hiſce tribus ordinibus Eccleſiaſticis ſua cuique præcepta in ſacris ſcripturis data affirmat, Μυρίαι δὲ, inquit, ὅσαι ὑποθῆκαι εἰς πρόσωπα ἐκλεκτὰ διατείνουσαι, ἐγγεγράφαται ταῖς βίβλοις ταῖς ἁγίαις, αἱ μὲν πρεσβυτέροις, αἱ δὲ ἐπισκόποις, αἱ δὲ διακόνοις· ἄλλαι χήραις. *Plurima autem alia præcepta quæ ad electas perſonas pertinent, in ſanctis libris ſcripta ſunt: Hæc quidem Presbyteris, alia vero Epiſcopis, alia Diaconis. Alia autem viduis.* Clem. Alex. pædag. lib. 3. cap. 12. pag. 264. Nemo non videt Clementem hoc in loco, ea quæ de Epiſcopis ab Apoſtolo præcipiuntur, ſolis Epiſcopis, non item Presbyteris adſcribentem, ut & ea quæ Presbyteris, Presbyteris ſolis, non item Epiſcopis. Quos propterea à ſe invicem ab Apoſtolo non minùs diſtinctos innuit, quam Diaconos à viduis. Ad eundem modum Origenes, qui verbis ſupra citatis Epiſcopum ſupra Presbyteros æque ac ſupra Diaconos Laicoſque principatum habere affirmavit, idem in Commentariis ad S. Matthæum, probat ſecundas nuptias à memine, qui dignitatem aliquam in Eccleſiâ conſecutus eſt, ineundas eſſe: idque hoc modo, Περὶ μὲν γὰρ, inquit, ἐπισκόπων νομοθετῶν ἐν τῇ πρὸς Τιμόθεον προτέρᾳ, φησὶν, Εἴ τις ἐπισκοπῆς ὀρέγεται καλοῦ ἔργου ἐπιθυμεῖ· δεῖ οὖν τὸν ἐπίσκοπον ἀνεπίληπτον εἶναι, μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα. *Nam in priori ad Timotheum Epiſtolâ leges de Epiſcopis ferens Apoſtolus, Si quis, inquit, Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat; Oportet ergo Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, unius uxoris virum.* Deinde ad inferiores ordines deſcendens Origenes, addit, *Tum de Diaconis, Diaconi inquit Apoſtolus, ſint unius uxoris viri. Viduas autem conſtituens, vidua, inquit, non minor ſit, quam ſexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor. At in Epiſtolâ ad Titum, Hujus rei gratiâ reliqui te in Cretâ, ut ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per civitates Presbyteros, ſicut ego diſpoſui tibi: Si quis ſine crimine eſt, unius uxoris vir.* Hæc Orig. in Matt. cap. 19. pag. 362. Quare autem hunc ultimum ex Epiſtolâ ad Titum citaret locum, niſi crediſiſſet Presbyteros in Apoſtoli notitiâ ab Epiſcopis diſtinctos eſſe, ac proinde in Epiſtolâ ad Timotheum, ubi Epiſcopi ſoli nominantur, non comprehenſos? Qui hæc ſane Origenis verba attente legit, dubitare nequit, quin ille perſuaſiſſimum habuerit, Epiſcopos & Presbyteros à ſe invicem & re & nomine ab Apoſtolo diſtinctos eſſe, eundemque ſigillatim præcepiſſe, ne iſtiuſmodi Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi & viduæ ſecundas nuptias contraherent, quales Origines

ſuâ ætate in Eccleſiâ conſtitutos eſſe teſtatur. Idem & Tertulliano viſum eſt, qui de Monogamiâ agens hæc habet, *ut igitur in Domino nubas ſecundum legem & Apoſtolum, (ſi tamen vel hoc curas) qualis es id matrimonium poſtulans, quod iis à quibus poſtulas non licet habere? Ab Epiſcopo Monogamo, à Presbyteris & Diaconis ejuſdem Sacramenti;* (Monogamis ſcilicet) *à viduis, quarum ſectam in te recuſâſti.* Tertull. de Monog. cap. 2. ubi Tertullianus ad eadem procul omni dubio Apoſtoli verba reſpexit, quæ ab Origene ante citata ſunt, quibus nempe Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, & viduis ſecundis nuptiis interdicitur. Et ille igitur pariter atque Clemens Alexandrinus ac Origenes, præcepta Epiſcopis & Presbyteris, diſtinctè & ſeorſim à D. Paulo, illis in Epiſtolâ ad Timotheum, his in eâ ad Titum, data fuiſſe arbitratus eſt, ac propterea nomina iſta non promiſcuè ab Apoſtolo uſitata eſſe, ſed proprie, eo nimirum ſenſu quo ipſius (Tertulliani) ætate uſurpata ſunt, quâ nomen *Epiſcopi* ſoli ſummo Sacerdoti, ſine cujus autoritate nec Presbyteris nec Diaconis baptizare licuit, proprium & peculiare fuit: Illud autem *Presbyteri* ſimplicibus Sacerdotibus, qui ſine Epiſcopi autoritate nec baptizandi jus habebant. Unde ſimul conficitur hos tres antiquiſſimos Eccleſiæ Patres, qui proximo poſt Apoſtolos ſeculo vixerunt, pro certo habuiſſe, tres iſtos diſtinctos in Eccleſiâ ordines, Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum, ab ipſis Apoſtolis inſtitutos fuiſſe. Alioquin enim propria illis ſingulis præcepta ab Apoſtolo aſſignata fuiſſe, opinari nunquam potuiſſent.

V. Hanc porro Tertulliani fuiſſe ſententiam ex alio illius loco apparet; ubi ſcilicet hoc contra hæreticos argumento utitur. *Edant ergo origines Eccleſiarum ſuarum, evolvant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeveraverint, habuerit autorem & anteceſſorem. Hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt. Sicut Smyrnæorum Eccleſia habens Polycarpum, ab Johanne collocatum refert. Sicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum edit. Proinde utique & cæteræ exhibent, quos ab Apoſtolis in Epiſcopatum conſtitutos Apoſtolici ſeminis traduces habeant.* Tertull. de præſcr. adv. hær. cap. 32. Quin Tertullianus hoc in loco, alibique, ubi ſimilia de ordine Epiſcoporum tradit, ut adv. Marcion. lib. 4. cap. 5. quin ille, inquam, nomen Epiſcopi ſuâ notione uſurpet, quâ ſcilicet *Epiſcopus* idem eſt atque *ſummus Sacerdos* autoritatem ſupra Presbyteros habens, nemini dubium eſſe poteſt. Tales autem Epiſcopos ab ipſis Apoſtolis conſtitutos hoc loco refert, Clementem à Petro Romæ, Polycarpum à Johanne Smyrnæ, alios ab aliis alibi. Idem atteſtatus eſt ante eum Irenæus, dicens, *Traditionem itaque Apoſtolorum in toto mundo manifeſtatam in Eccleſiâ adeſt perſpicere omnibus qui*

vera

vera velint audire, & habemus annumerare eos qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt Epiſcopi in Eccleſiis, & Succeſſores eorum uſque ad nos. Iren. lib. 3. cap. 3. Epiſcopi igitur in Eccleſiis ab ipſis Apoſtolis inſtituti ſunt. Quales autem? Tales nimirum quos ipſe in Eccleſiâ Romanâ conſtitutos enumerat, ibidem tradens, quod Beati Apoſtoli cum Eccleſiam fundâſſent, atque inſtruxiſſent, Epiſcopatum Eccleſiæ adminiſtrandæ Lino primo tradiderunt, cui ſucceſſit Anacletus, & *poſt eum*, inquit, *tertio loco ab Apoſtolis Epiſcopatum ſortitur Clemens.* Huic ſucceſſit Euariſtus, Euariſto Alexander, Alexandro Sixtus. Sixto Teleſphorus, Teleſphoro Hyginus, deinde Pius, poſt quem Anicetus. *Cum autem ſucceſſiſſet*, inquit, *Aniceto Soter, nunc duodecimo loco Epiſcopatum ab Apoſtolis habet Eleutherius.* Et ſic ſingulos Eccleſiæ Romanæ Epiſcopos ab ipſis Apoſtolis ad ſua uſque tempora deducit. Quid autem? nulline interea temporis Presbyteri ab Epiſcopis hiſce diſtincti Romæ erant? Hyginus exempli gratiâ vel Eleutherius ſolus Eccleſiam gubernare, tantamque Chriſtianorum, qui frequentiſſimi iſtis diebus ad fidem Romæ converſi ſunt, multitudinem inſtruere, iiſque Sacramenta adminiſtrare poterat? Quis hoc ſibi vel inſulſiſſimo perſuaderi patiatur? præſertim cum Cornelius, qui Epiſcopatum Romanum ſexaginta circiter poſt Eleutherium annis ſortitus eſt, haud pauciores quam quatuor & quadraginta Presbyteros in iſtâ Eccleſiâ fuiſſe teſtatus ſit, apud Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 6. cap. 43. Quis tantum Presbyterorum numerum Cornelio ſubjectos arbitrari poteſt, & nullos Clementi, nullos Hygino, nullos ipſi Eleutherio, qui vix vel ne vix quidem prius denatus eſt, quam Cornelius natus? Quinetiam ſub Eleutherio conſeſſum fuiſſe Presbyterorum pro certiſſimo habemus. Illo enim ſedem iſtam occupante, Florinus hæreticus Presbyterio iſtius Eccleſiæ dejectus eſt. Sic Euſebius, οἱ δ' ἐπὶ Ῥώμης ἤκμαζον, ὧν ἡγεῖτο Φλωρῖνος, πρεσβυτερίου τῆς ἐκκλησίας ἀποπεσών. Hiſt. Eccl. lib. 5. cap. 15. Sicut autem ſub Eleutherio Irenæi coætaneo, ſic etiam ſub anterioribus iſtius Eccleſiæ Epiſcopis uſque ad Clementem ab Apoſtolis ordinatum, Presbyteri proculdubio ordinati ſunt, qui in Sacramentis aliiſque Eccleſiæ negotiis adminiſtrandis, Epiſcopo quiſque ſuo, adſtiterunt. Quorum tamen rarior in hiſtoriis occurrit mentio, idcirco nimirum quod autoritas omnis & præfectura penes ſolos Epiſcopos fuit, adeo ut Presbyteris nihil, quod magni eſſet momenti, citra eorum ſententiam aggredi liceret, juxta Can. Apoſt. XXXIX. Cujus rei illuſtre habemus documentum in Epiſtolâ illâ quam Presbyteri & Diaconi Romæ conſiſtentes poſt mortem Fabiani, Cornelio ſucceſſore ejus nondum ordinato, ac propterea ſede vacante, ad D. Cyprianum ſcripſerunt, ubi inter alia hæc dicunt, *Quanquam nobis differendæ hujus rei neceſſitas major incumbat, quibus poſt exceſſum nobiliſſimæ memoriæ viri Fabiani, nondum eſt Epiſcopus*

propter rerum & temporum difficultates conſtitutus, qui omnia iſta moderetur, & eorum qui lapſi ſunt, poſſit cum autoritate & conſilio habere rationem. Apud. Cyprian. Ep. 31. Unde clariſſime conſtat Presbyteros & Diaconos, qui plurimi tunc temporis Romæ erant, nullam in Eccleſiâ adminiſtrandâ autoritatem vel habuiſſe, vel ſibi arrogâſſe. Etiamſi enim ipſa rei neceſſitas flagitare videretur, ut lapſorum cauſa quam ocyſſime determinaretur, illi tamen nihil in eâ attentare auſi ſunt, ſed eam neceſſario differendam eſſe fatentur, uſque dum Epiſcopus ipſis conſtitutus eſſet, qui cauſam iſtam & reliqua omnia Eccleſiæ negotia *cum autoritate & conſilio* moderari potuit.

VI. Poſt verba de Epiſcopis Romanis ſupra allata, Irenæus ſimilia de Polycarpo Eccleſiæ Smyrnenſis Epiſcopo ſubjungit. *Et Polycarpus autem,* inquit, *non ſolum ab Apoſtolis edoctus, & converſatus cum multis ex iis qui Dominum noſtrum viderunt, ſed etiam ab Apoſtolis in Aſiâ, in eâ quæ eſt Smyrnis Eccleſia, conſtitutus Epiſcopus, quem & nos vidimus in primâ noſtrâ ætate.* Iren. lib. 3. cap. 3. ut Polycarpus itaque Apoſtolos, ſic Irenæus Polycarpum vidit, cumque ab ipſis Apoſtolis conſtitutum fuiſſe Eccleſiæ Smyrnenſis Epiſcopum affirmat. Eundem autem Presbyteros ſibi ſubjectos habuiſſe, ex Epiſtolâ ipſius (cujus ibidem meminit Irenæus) ad Philippenſes miſſâ palam eſt: quippè quæ hanc inſcriptionem præfert, Πολύκαρπος καὶ οἱ σὺν αὐτῷ πρεσβύτεροι τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ τῇ παροικούσῃ Φιλίπποις. *Polycarpus & qui cum eo ſunt Presbyteri, Eccleſiæ Dei quæ eſt Philippis.* Ex quâ inſcriptione patet Polycarpum ab ipſis Apoſtolis, teſte Irenæo, conſtitutum Epiſcopum, Presbyteros ſecum in Eccleſiâ Smyrnenſi habuiſſe, à quibus etiam ſeſe aperte ſatis diſtinguit, ſuamque ſupra eos eminentiam declarat, eo quod ſuum ſolius nomen Epiſtolæ inſcribat, reliquos autem ſub communi duntaxat Preſbyterorum nomine commemoret. Hinc Irenæus in hæreticis refellendis, non ad Presbyterorum iſtius Eccleſiæ, ſed ad Polycarpi ſolius ſucceſſores appellat. *Et teſtimonium his,* inquit, *perhibent, quæ ſunt in Aſiâ Eccleſiæ omnes, & qui uſque adhuc ſucceſſerunt Polycarpo.* Iren. ibid. Quid hoc, ſi alij in eâdem Eccleſiâ Polycarpi æquales Presbyteri extitiſſent? Idem dicendum eſt de aliis omnibus, majoribus præſertim Eccleſiis, Romanâ, Alexandrinâ, Antiochenâ, Hieroſolymitanâ, in quibus ſucceſſores Epiſcoporum ab ipſis Apoſtolis uſque ad quartum ſeculum memoriæ traditos habemus. Primos Eccleſiæ Romanæ Epiſcopos ex Irenæo ante didicimus. In Alexandrinâ, Aniano à Marco Evangeliſtâ ordinato, Abilius ſucceſſiſſe perhibetur, cujus ſucceſſor fuit Cerdo, hujus Primus, Primi Juſtus, Juſti Eumenes, & ſic deinceps. In Antiochenâ, à Petro Apoſtolo conſtitutus eſt Evodius, cui ſucceſſit Ignatius, huic Heros, deinde Cornelius, &c. in Hieroſolymitanâ, Jacobo Apoſtolo ſucceſſit Simeon,

Simeoni Juſtus, Juſto Zacchæus, Zacchæo Tobias, poſt eum Benjamin; Et ſic in ſingulis Eccleſiis ſinguli Epiſcopi ſucceſſive inſtituti dicuntur, nullà aliorum Presbyterorum factà mentione. Omnem autem excedit fidem, nemoque ſibi perſuadere poteſt, nullos in magnis iſtis Eccleſiis fuiſſe Preſbyteros, præter Epiſcopos illos qui per tria propemodum priora ſecula ſoli celebrantur. Neque alia reddi poteſt ratio, cur unicus unamquamque Eccleſiam uno eodemque tempore adminiſtràſſe dicatur, niſi quod totius Eccleſiæ cura unico illi incubuerit. Presbyteri autem, qui plurimi haud dubie in ſingulis iſtis Eccleſiis ordinati ſunt, nuſquam fere memorantur, propterea nimirum quod illi Epiſcopo ſuo ſubeſſent, nec quicquam ſine ejus autoritate agere potuiſſent.

VII. Adhæc Hegeſippus, Irenæi æqualis ſaltem ſi non ſuperior, ejuſdem cujus ille in Eccleſià Romanâ ſucceſſionis Epiſcoporum meminit, & Corinthiacam præterea Eccleſiam in rectâ fide permanſiſſe refert, uſque ad Primum ejuſdem loci Epiſcopum, Καὶ ἐπέμενεν, inquit, ἡ ἐκκλησία ἡ Κορινθίων ἐν τῷ ὀρθῷ λόγῳ μέχρι Πρίμου ἐπισκοπεύοντος ἐν Κορίνθῳ. Apud Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 4. cap. 22. Et iiſdem diebus Dionyſius, iſtius, Corinthiacæ ſcilicet, Eccleſiæ Epiſcopus, Catholicas Epiſtolas ad diverſas Eccleſias ſcripſit, quarum una ad Athenienſes miſſa, Dionyſium Aeropagitam primum Athenienſis Eccleſiæ Epiſcopum fuiſſe teſtatur. Publium etiam & poſt eum Quadratum ejuſdem loci Epiſcopos celebrat. In cæteris inſuper Epiſtolis, Dionyſius Eccleſiæ ad quam ſcribit Epiſcopum nominatim appellat; ut, Gortynenſium Philippum, Amaſtrianorum Palmam, Romanorum Soterem. In Epiſtolâ vero ad Gnoſſios, Pinytum Eccleſiæ illius Epiſcopum monet, ne grave onus caſtitatis fratrum cervicibus tanquam neceſſarium imponat, ſed ejus, quæ in pleriſque hominibus ineſt, infirmitatis rationem habeat. Ita Euſebius, qui ipſas Epiſtolas vidit, partimque in hiſtoriam ſuam tranſcripſit, ταύταις ἄλλη ἐγκατείλεκται πρὸς Κνωσίους, ἐν ᾗ Πινυτὸν τῆς παροικίας ἐπίσκοπον παρακαλεῖ μὴ βαρὺ φορτίον ἐπάναγκες τὸ περὶ ἁγνείας τοῖς ἀδελφοῖς ἐπιτιθέναι, τῆς δὲ τῶν πολλῶν καταστοχάζεσθαι ἀσθενείας. Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 4. cap. 23. Unde ſimul conſtat, quantam in iſtam Eccleſiam autoritatem Epiſcopus ejuſdem Pinytus tunc temporis exerceret. Enimvero ipſe leges de Caſtitate tulit, eaſque ipſis Clericis, qui ἀδελφοὶ hic vocantur, ſibi ſubjectis religioſè obſervandas impoſuit. Quam quidem poteſtatem in eo ſitam fuiſſe non negat Dionyſius, ſed fatetur potius, eo quod eum moneat ne ſeverè nimis in iſtâ re procederet, ſed aliquam humanæ infirmitatis rationem haberet. Quinetiam exinde quod in hâc & in aliis ad quas ſcribit Eccleſiis Dionyſius ſolum cujuſque Epiſcopum nominatim proſequatur, clariſſime videre eſt, iſtis diebus, hoc eſt LX. plus minus poſt Apoſtolorum tempora annis, unum in unaquâque Eccleſiâ præſidem

præſidem fuiſſe, non Presbyteri ſed Epiſcopi nomine indigitatum, qui ſummam Eccleſiæ quiſque ſuæ curam ſuſcepit, ipſiſque Presbyteris non minus quam Diaconis Laiciſque præpoſitus eſt. Adeo ut ſi quid erroris in Eccleſiæ adminiſtratione admiſſum eſſet, Epiſcopo ſoli adſcriberetur. Unde cum Eccleſia Romana eò ſeveritatis pariter atque temeritatis proceſſerat, ut omnes Aſiæ Eccleſias ob vulgo notam in Paſchatis obſervatione diverſitatem, proſcribere atque ab unitate Eccleſiæ alienos pronunciare conaretur, Irenæus hoc Victori ſoli, Epiſcopo illius Eccleſiæ, vitio vertit, eumque à propoſito abſtinere monet, in Epiſtolâ ad ipſum ſcriptâ apud Euſeb. lib. 5. cap. 24.

VIII. Digniſſimum præterea eſt quod in hâc cauſa obſervetur, ex Eccleſiæ primitivæ monumentis adhuc conſtare, nonnullos ex iis qui Presbyteri prius fuere, Epiſcopos poſtea factos eſſe. Heraclam enim, qui Epiſcopus poſtea illius Eccleſiæ, ut cuique notum eſt, factus fuit, Presbyterum prius Eccleſiæ Alexandrinæ fuiſſe, ipſe Origenes teſtatur, dicens, καὶ τὸν νῦν ἐν τῷ πρεσβυτερίῳ καθεζόμενον Ἀλεξανδρέων Ἡρακλᾶν. Apud Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 6. cap. 19. Pothino, quem teſte Gregorio Turonenſi Hiſt. Franc. lib. 1. cap. 24. Polycarpus illuc miſerat, Eccleſiam Lugdunenſem per Epiſcopalem ſuam autoritatem adminiſtrante, Irenæus ejuſdem Eccleſiæ Presbyter erat, ut è duabus Martyrum Lugdunenſium & Viennenſium Epiſtolis, unâ ad Aſiæ Phrygiæque Eccleſias, alterâ ad Eleutherium Epiſcopum Romanum, ſcriptis patet. In illâ enim Pothinum, Eccleſiæ Lugdunenſis Epiſcopum his verbis celebrant, Ὁ δὲ μακάριος Ποθεινὸς ὁ τὴν διακονίαν τῆς ἐπισκοπῆς ἐν Λουγδούνῳ πεπιστευμένος. Apud Euſeb. lib. 5. cap. 1. In alterâ autem Irenæum fratrem & collegam ſuum Eleuthero his verbis commendant, Εἰ γὰρ ᾔδειμεν τόπον τινὶ δικαιοσύνην περιποιεῖσθαι, ὡς πρεσβύτερον ἐκκλησίας, ὅπερ ἐστὶν ἐπ' αὐτῷ, ἐν πρώτοις ἂν παρεθέμεθα. *Quod ſi nobis compertum eſſet, locum cuipiam conferre juſtitiam, eum* (Irenæum) *tanquam Presbyterum Eccleſiæ, hunc enim locum obtinet, tibi inprimis commendaſſemus.* Ibid. cap. 4. Unde Euſebius, qui utriuſque Epiſtolæ fragmenta in hiſtoriam ſuam tranſtulit, ibidem ait, οἱ δ' αὐτοὶ μάρτυρες καὶ τὸν Εἰρηναῖον πρεσβύτερον τότ' ὄντα τῆς ἐν Λουγδούνῳ παροικίας τῷ δηλωθέντι κατὰ Ῥώμην ἐπισκόπῳ συνίστων. *Sed iidem martyres etiam Irenæum, qui tunc temporis Presbyter Eccleſiæ Lugdunenſis erat, ſupradicto Romæ Epiſcopo per literas commendarunt.* Sic etiam D. Hieronymus, in Catalogo hæc habens, *Irenæus Pothini Epiſcopi, qui Lugdunenſem in Galliâ regebat Eccleſiam, Presbyter à martyribus ejuſdem loci ob quaſdam Eccleſiæ quæſtiones legatus Romam miſſus, honorificas ſuper nomine ſuo ad Eleutherium Epiſcopum perfert literas. Poſtea jam Pothino prope Nonagenario ob Chriſtum martyrio coronato, in locum ejus ſubſtituitur.*

tur. Vel ut Euſebius itidem ſcribit, Ποθεινοῦ δὴ ἐφ' ὅλοις τῆς ζωῆς ἔτεσιν ἐνενήκοντα σὺν τοῖς ἐπὶ Γαλλίας μαρτυρήσασι τελειωθέντος, Εἰρηναῖος τὴν κατὰ Λούγδουνον, ἧς ὁ Ποθεινὸς ἡγεῖτο, παροικίας τὴν ἐπισκοπὴν διαδέχεται. Euſeb. lib. 5. cap. 5. Irenæus itaque primo Presbyter, & deinde Epiſcopus fuit Eccleſiæ Lugdunenſis. Sic etiam in Eccleſiâ Romanâ Dionyſium prius Presbyterum fuiſſe quam Epiſcopum, æqualis ejus Dionyſius Alexandrinus fidem facit, quippe cujus Epiſtola de baptiſmo ad Dionyſium ſcripta eſt, tunc quidem Romanæ urbis Presbyterum, ſed qui aliquanto poſt tempore, ejuſdem urbis Epiſcopus eſt conſtitutus, ut teſtatur Euſebius lib. 7. cap. 7. necnon Hieronymus in Catalogo. Eleutherus autem ſive Eleutherius primo Diaconus fuit Aniceti Epiſcopi Romani, ut Hegeſippus ejuſdem ætatis ſcriptor tradidit, apud Euſeb. lib. 4. cap. 22. Eundem autem paulo poſt Epiſcopum fuiſſe ejuſdem Eccleſiæ inter omnes conſtat. Preſbyteros porro eidem ſubditos fuiſſe nos ante oſtendimus, ex Euſeb. lib. 5. cap. 15. Unde conficitur, ſecundo labente ſeculo, LXX. annis ab Apoſtolis vix dum elapſis, tres diſtinctos Eccleſiaſtici miniſterij ordines, Epiſcopum ſcilicet, Presbyteros & Diaconos in Eccleſiâ Romanâ conſtitutos fuiſſe.

IX. Si altius adhuc aſcendamus, eoſque, qui cum ipſis Apoſtolis verſati ſunt, conſulamus patres, illi etiam nos certiores facient Epiſcopos à Presbyteris ſuis, hoc eſt Apoſtolicis diebus diſtinctos fuiſſe. Ignatium dico, & Clementem Romanum. De Polycarpo enim ante locuti ſumus. Ignatius autem Epiſcopos & Presbyteros, non minus quam Presbyteros & Diaconos in unaquâque fere Epiſtolâ diſtinguit. Ex.gr. In epiſtolâ ad Magneſianos, Damam eorum Epiſcopum, Baſſam & Apollonium Preſbyteros & Sotionem denique Diaconum laudibus proſequitur. Et paulo poſt dicit, προκαθημένου τοῦ ἐπισκόπου εἰς τόπον Θεοῦ, καὶ τῶν πρεσβυτέρων εἰς τόπον συνεδρίου τῶν Ἀποστόλων, καὶ τῶν διακόνων τῶν ἐμοὶ γλυκυτάτων πεπιστευμένων διακονίαν Ἰησοῦ Χριστοῦ. In Epiſtolâ ad Philadelphenos, τῷ ἐπισκόπῳ, inquit, προσέχετε, καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ, καὶ τοῖς διακόνοις. Et ſic paſſim alibi: ut non opus ſit nos plura ex eo teſtimonia accumulemus, neque etiam probemus has Epiſtolas à ſanctiſſimo illo Patre ac martyre conſcriptas fuiſſe. Hoc enim undequaque doctiſſimus Joannes Pearſonius, Epiſcopus Ceſtrenſis tantâ fide, tantâ eruditione ac perſpicuitate præſtitit, ut nihil in omni antiquitate Eccleſiaſticâ clarius certiuſve demonſtrari poſſit. Iiſdem porro diebus Clemens Eccleſiæ Romanæ Epiſcopus ab ipſis Apoſtolis conſtitutus, Epiſtolam ad Corinthios ſcripſit, quâ frequentem Presbyterorum mentionem facit, quibus tamen præfectos Eccleſiæ anteponit, ut in initio fere Epiſtolæ, ὑποτασσόμενοι τοῖς ἡγουμένοις ὑμῶν, καὶ τιμὴν τὴν καθήκουσαν ἀπονέμοντες τοῖς παρ' ὑμῖν πρεσβυτέροις. *Præpoſitis veſtris ſubditi, &*

Preſ-

Presbyteros inter vos debito honore proſequentes. Et poſtea, Προηγουμένους ἡμῶν αἰδεσθῶμεν, τοὺς πρεσβυτέρους ἡμῶν τιμήσωμεν. *Præpoſitos noſtros veneremur, Presbyteros inter nos revereamur.* Ubi præpoſiti à Preſbyteris aperte diſtinguuntur, iiſdemque utrobique præponuntur, ab Eccleſiâ ſcilicet Romanâ, cujus nomine hæc Epiſtola ſcripta fuit. Alibi autem idem tres diſtinctos ſacrorum miniſtrorum ordines in Eccleſiâ Chriſtianâ æque ac Judaicâ conſtitutos innuit, ad Chriſtianam enim Eccleſiam ſcribens, hæc habet, τῷ γὰρ Ἀρχιερεῖ ἴδιαι λειτουργίαι δεδομέναι εἰσί. καὶ τοῖς ἱερεῦσιν ἴδιος ὁ τόπος προστέτακται. καὶ Λευΐταις ἴδιαι διακονίαι ἐπίκεινται. ὁ λαϊκὸς ἄνθρωπος τοῖς λαϊκοῖς προστάγμασιν δέδεται. Ἕκαστος ὑμῶν, ἀδελφοί, ἐν τῷ ἰδίῳ τάγματι εὐχαριστείτω Θεῷ ἐν ἀγαθῇ συνειδήσει ὑπάρχων, μὴ παρεκβαίνων τὸν ὡρισμένον τῆς λειτουργίας αὐτοῦ κανόνα. *Summo quippe Sacerdoti ſua munera tributa ſunt. Sacerdotibus locus proprius aſſignatus eſt: & Levitis ſua miniſteria incumbunt, Laicus præceptis laicis conſtringitur. Unuſquiſque veſtrum, Fratres, in ſuo ordine manens, Deo in bonâ conſcientiâ gratias agat, & cum decore intra præſcriptum miniſterij ſui Canonem ſe contineat.* Qui ultima hæc verba legit, dubitare nequit, quin priora de diſtinctis miniſtrorum ordinibus, ut in Eccleſiâ Chriſtianâ æque ac Judaicâ conſtitutis, intelligenda ſint. Cum tres enim iſtos Pontificis, Sacerdotum, & Levitarum ordines recenſuiſſet, illoſque ſingulos pariter atque Laicos propria ſibi munera injuncta habere oſtendiſſet, addit ſtatim, *Unuſquiſque veſtrûm, fratres, in ſuo ordine manens.* Hinc enim liquet præcedentia etiam verba ad eos quibus data eſt hæc Epiſtola, ad Corinthios videlicet Chriſtianos pertinere, apud quos unus eſſet Ἀρχιερεὺς, *Pontifex*, ſive Epiſcopus, alij ἱερεῖς, *Sacerdotes* ſive *Presbyteri*, alij Λευῖται *Diaconi*, ut quibus ἴδιαι διακονίαι incumbunt, alij denique *Laici*. Quos propterea ſingulos intra limites ſibi præſcriptos ſe continere adhortatur: idque exemplo Judæorum, qui nihil ſine hujuſmodi miniſtris offerre, nedum eos perturbare auſi ſunt. Nec mirum cuipiam videatur, quod ſacri Chriſtianæ Eccleſiæ miniſtri hiſce nominibus à Clemente indigitati ſint: Idem enim & apud alios obſervare licet. Ipſe Tertullianus Epiſcopum *Summum Sacerdotem* appellat, de baptiſmo cap. 17. Presbyteros ab ipſis Eccleſiæ primordiis *Sacerdotes* nuncupatos fuiſſe, capite præcedenti à nobis oſtenſum eſt. Diaconos autem *Levitas* dictos in Conciliis paſſim invenies. Quinetiam tres hoſce ſacros Eccleſiæ Chriſtianæ ordines è Judaicis ab ipſo Deo inſtitutis ſumptos fuiſſe, iiſque reſpondere D. Hieronymus, Pater ſummæ apud Epiſcopalis dignitatis adverſarios autoritatis, conceptis verbis teſtatus eſt, idque in illâ ipſâ Epiſtolâ ad Evagrium, quam iſti nobis toties objiciunt. *Dicta enim* Epiſtola his verbis terminatur

tur. *Et ut ſciamus traditiones Apoſtolicas ſumptas de veteri teſtamento, quod Aaron, & Filij ejus & Levitæ in Templo fuerunt, hoc ſibi Epiſcopi, & Presbyteri & Diaconi vendicent in Eccleſiâ.* Hieron. Epiſt. ad Euagrium. Quæ verba non modo funditus evertunt, quæcunque contra Epiſcoporum à Presbyteris diſtinctionem ex iſtâ epiſtolâ peti ſolent argumenta, verumetiam demonſtrant ſanctiſſimum illum Patrem eâ ductum fuiſſe ſententiâ, quæ docet Apoſtolos divinitus inſpiratos, idem in Eccleſiâ Chriſtianâ regimen inſtituiſſe, quod in Templo Judaico ab ipſo Deo prius inſtitutum fuerat; haudque minorem eſſe diſtinctionem inter Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos, quam inter Aaronem ſive Pontificem, Sacerdotes, & Levitas. Adeo ut Epiſcopus ſuperior ſit Presbyteris, & Presbyteri Diaconis, non minus quam ſummus Sacerdos ſuperior fuit Sacerdotibus, & Sacerdotes Levitis. Quapropter Eccleſiâ Chriſtianâ Judaicæ ſuccedente, & Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis in locum Pontificum, Sacerdotum & Levitarum ſubſtitutis, nemini mirum eſſe poteſt, quod Judaica iſta nomina apud Clementem, Tertullianum, alioſque Eccleſiæ primitivæ Scriptores ad eoſdem in Eccleſiâ ordines deſignandos aliquandiu uſurpata fuerint.

X. Sed ne quid diſſimulare videar, non tacendum eſt, Clementem alibi duos ſolos Eccleſiaſticos ab Apoſtolis inſtitutos ordines commemorare, Epiſcopos nimirum & Diaconos. Paulo enim poſt verba ſupra allata, hæc dicit, Παραγγελίας οὖν λαβόντες, καὶ πληροφορηθέντες διὰ τῆς ἀναστάσεως τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ πιστωθέντες τῷ λόγῳ τοῦ Θεοῦ, ἐξῆλθον εὐαγγελιζόμενοι τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ μέλλειν ἔρχεσθαι· κατὰ χώρας οὖν καὶ πόλεις κηρύσσοντες, καθίστανον τὰς ἀπαρχὰς αὐτῶν, δοκιμάσαντες τῷ πνεύματι, εἰς ἐπισκόπους καὶ διακόνους τῶν μελλόντων πιστεύειν. *Mandata quippe accipientes Apoſtoli, & per reſurrectionem Domini noſtri Ieſu Chriſti plenâ certitudine imbuti, Deique verbo confirmati, cum certâ Spiritus Sancti fiduciâ egreſſi ſunt, annunciantes regni Dei adventum. Per regiones igitur & urbes verbum Dei prædicantes, primitias eorum Spiritu probantes, Epiſcopos & Diaconos illorum qui credituri erant, conſtituebant.* Hæc ſunt verba illa quibus novi Aeriani tantopere gloriati ſunt: ac ſi clariſſimè ex iis conficeretur, unum ſolum ſupra Diaconatum ab Apoſtolis unquam conſtitutum fuiſſe ordinem, Epiſcoporum ſcilicet, hoc eſt, ut illi volunt, Presbyterorum. Eo nimirum quod Clemens hoc in loco alios non nominet præterquam Epiſcopos & Diaconos.

Verumenimvero præterquam quod hæc Clementis verba de Epiſcopis & Diaconis generaliter ſumptis intelligi poſſunt, quatenus Paſtores ſunt & Miniſtri Eccleſiæ, à Laicis diſtincti, eoſque inſtruere, regere, & Sacramenta iis adminiſtrare conſtituti; Si demus eum Presbyteros etiam hoc in loco ab Apoſtolis conſtitutos velle, hi quidem ſub Diaconorum

 potius

potius quam ſub Epiſcoporum nomine latere dicantur. Vox enim Διάκονος in Eccleſiæ infantiâ latiſſime ſumpta fuit, non modo pro iis quos Apoſtoli ad menſarum miniſterium inſtituerunt, Act. VI. Sed enim ipſi Apoſtoli Διάκονοι paſſim vocantur, ut 1 Cor. III. 5. & διάκονοι καινῆς διαθήκης, 2 Cor. III. 6. Alias διάκονοι Θεοῦ, & Χριστοῦ· διάκονοι τῆς δικαιοσύνης, τῆς ἐκκλησίας, τοῦ εὐαγγελίου, &c. Imo quidem menſarum miniſtri idcirco inſtituti ſunt, ut ipſi Apoſtoli τῇ διακονίᾳ τοῦ λόγου inſtantes eſſent. Act. VI. 4. Tychicus etiam vocatur διάκονος, Coloſ. 4. 7. necnon Timotheus, 1 Theſſal. III. 2. De Archippo inſuper dicit D. Paulus, Καὶ εἴπατε Ἀρχίππῳ, βλέπε τὴν διακονίαν ἣν παρέλαβες ἐν Κυρίῳ, Coloſ. IV. 17. unde hi Diaconum, alij Presbyterum, alij denique Epiſcopum fuiſſe Archippum opinati ſunt. Et quidem D. Chryſoſtomus Presbyreros antiquitus, & Epiſcopos & Diaconos nuncupatos fuiſſe obſervat. Καὶ οἱ πρεσβύτεροι, inquit, τὸ παλαιὸν ἐκαλοῦντο ἐπίσκοποι, καὶ διάκονοι τοῦ Χριστοῦ. Chryſoſt. in epiſt. ad Philip. cap. I. 1. Quapropter ſupradicta Clementis verba non ſine ratione & ipſorum Apoſtolorum patrumque conſenſu, ita intelligantur, ut Apoſtoli & Epiſcopos proprie ſic dictos, & alios quoſcunque Eccleſiæ primitivæ miniſtros, tam Presbyteros ſcilicet quam Diaconos proprie ſic dictos inſtituiſſe iis perhibeantur. Quamvis enim per διακόνους iſto in loco ſoli forſitan Presbyteri non ſignificentur, Presbyteros tamen æque ac menſarum miniſtros ſub iſtâ voce comprehendi poſſe, nemo ut opinor, negabit. Sed obſervandum præterea eſt Clementem in loco ſupradicto, non de ſtatu Eccleſiæ ut ſuâ ætate, cum ipſe Romæ Epiſcopus erat, conſtitutæ, loqui, ſed ut ſeſe habebat proxime poſt Chriſti reſurrectionem, per quam, ut ait, Apoſtoli plenâ certitudine imbuti, & Evangelium prædicarunt, & Epiſcopos, Diaconoſque eorum qui credituri erant, conſtituerunt. Clemens vero quadraginta minimum poſt Chriſti reſurrectionem annis hanc ad Corinthios Epiſtolam miſit. Intra quod tempus Apoſtoli Eccleſiam à Chriſto fundatam & magnis fidelium incrementis indies augeſcentem, ad perfectiorem regiminis perpetuo duraturi formam haud dubie perduxerant, quam cujus immediate poſt Domini reſurrectionem capax erat. οὐ γὰρ πάντα εὐθὺς ἠδυνήθησαν οἱ Ἀπόστολοι καταστῆσαι, *neque enim omnia ſtatim ordinare poterant Apoſtoli*, ut recte in hâc cauſâ obſervat Epiphanius hær. LXXV. N. V. Καὶ γὰρ ἕκαστον πρᾶγμα οὐκ ἀπαρχῆς τὰ πάντα ἔσχεν, ἀλλὰ προβαίνοντος τοῦ χρόνου, τὰ πρὸς τελείωσιν τῶν χρειῶν κατηρτίζετο, *Neque enim ulla res eſt quæ ab initio omnibus ſuis numeris abſoluta fuerit, ſed procedente demum tempore ſua opportunitatibus omnibus ad perfectionem acceſſio contigit.* Ibid.

Cujus

Cujus rei egregium petit exemplum ex lege Moſaicâ, quæ ex parvis initiis non niſi gradatim omnibus ſuis numeris partibuſque expleta fuit. Idem ſane dicendum eſt de Eccleſiâ Chriſtianâ, quæ pauciſſimis primo conſtans membris, ad eam quæ poſtea abſolutè neceſſaria fuit, politiæ formam redigi non potuit, neque vero neceſſe habuit. Epiſcopus enim cum Diaconis ſuis omnia cujuſvis Eccleſiæ negotia adhuc adminiſtrare poterat: nec opus erat Presbyteris, qui partem illius curæ in ſe ſuſciperent, priuſquam multitudo fidelium in aliquâ urbe major eſſet, quam ut inſtructiones & Sacramenta ab Epiſcopo ſolo accipere poſſent. Tunc fateor neceſſitas poſtulabat, ut alij conſtituerentur Presbyteri, qui aliquam eorum curam ſub Epiſcopo ſuſtinerent. Hoc autem non niſi aliquot poſt annos neceſſe evaſit; præſertim cum ipſi etiam Apoſtoli adhuc ſuperſtites eſſent, ſummamque ſupra univerſam, & ſingulares quaſlibet Eccleſias autoritatem gererent. Proinde non mirum eſt, quod Clemens, quem, ut cum Apoſtolis converſatum, latere non potuit quid illi in Eccleſiaſticâ diſciplinâ inſtituendâ & formandâ egerant, Epiſcopos ſolos & Diaconos ab iis primo conſtitutos memorarit. Et ipſe enim D. Paulus eorundem duntaxat ſub Apoſtolis ordinum mentionem inducit, Philip. I. 1. 1 Tim. III. Minimè tamen exinde ſequitur duos ſolummodo ordines in Eccleſiâ tunc temporis extitiſſe. Ipſi enim Apoſtoli unius, & quidem ſupremi erant ordinis, quibus Epiſcopi non minus ſubjecti erant, quam Diaconi Epiſcopis, niſi forſitan eodem quo Apoſtoli Spiritu inſtructi eſſent, qualis fuit Jacobus frater Domini, quem non tantum Clemens Alexandrinus in ſexto Inſtitutionum libro, apud Euſeb. lib. 2. cap. 1. ſed & Hegeſippus Apoſtolis penè coætaneus ibid. cap. 23. Hieroſolymorum Epiſcopum ab Apoſtolis conſtitutum fuiſſe teſtatur. Hic itaque licet inter Apoſtolos non recenſeatur, cùm eodem tamen, quo illi, Divino Spiritu duceretur, nihil eſt quod iis inferior habeatur. Neque unquam illos mandata ei dediſſe legimus. Alij autem Epiſcopi ab ipſis conſtituti Apoſtolicæ eorum autoritati ſubditi erant. Aſiæ enim Epiſcopis D. Paulus imperâſſe traditur quid facto opus eſſet Act. Apoſt. cap. XX. necnon Timotheo Epheſi, & Tito Cretæ Epiſcopo in Epiſtolis ad illos miſſis. Unde ſuſpicari licet, eos etiamſi reverâ Epiſcopos ab ipſis Apoſtolis conſtitutos, Epiſcopalem tamen poteſtatem in Eccleſiis ſuis nondum exercuiſſe, quamdiu aliquis Apoſtolorum ibidem verſaretur. Simulac vero Apoſtoli Eccleſiam in aliquâ urbe fundâſſent, priuſquam eandem relinquerent, Epiſcopum aliquem ſive Inſpectorem eidem haud dubie præficiebant, qui fundatoris abſentis vicem ſupplens Eccleſiaſtica munia obire, & ſi neceſſitas flagitaret, minores ſub ſe Presbyteros inſtituere poterat. Hujuſmodi autem Presbyteros ab ipſis Apoſtolis ordinatos fuiſſe non liquet: ſed contrarium potius veriſimillimum videtur, quandoquidem iis vix ullibi adhuc opus eſſet, & Epiſcopi ab ipſis Apoſtolis conſtituti, talium Presbyterorum ordinandi am-

plam ſatis poteſtatem haberent, ſi quando major fidelium acceſſio id poſtularet.

XI. Nec quenquam movere debet, quod Presbyterorum mentio in Apoſtolorum ſcriptis ſubinde fiat. Quanquam enim vox iſta πρεσβύτερος aliter hodie uſurpetur, pro iis ſcilicet qui Epiſcopo in Eccleſiæ muneribus perfungendis adſiſtunt, Apoſtolorum tamen diebus ipſi Epiſcopi πρεσβύτεροι appellabantur, & ita jure appellari poterant, etiamſi alios ſub ſe Presbyteros habuiſſent. Licet enim omnes Presbyteri non ſint Epiſcopi, omnes tamen Epiſcopi ſunt Presbyteri; atque eodem propterea nomine nec immerito nuncupentur. Quemadmodum etiam in Eccleſiâ Judaicâ obſervare licet: In quâ ſcilicet nemo neſcit, tres fuiſſe Eccleſiaſticarum perſonarum ordines, ſummum nempe Sacerdotem, Sacerdotes inferiores, & Levitas. In primâ tamen horum ordinum inſtitutione vox הכהן *Sacerdos*, tam de ſummo quam de inferioribus Sacerdotibus promiſcuè uſurpata fuit; uſque adeo ut ipſe Aaron primus *Summus Sacerdos*, nuſquam in Pentateucho Moſis aliter quam ſimpliciter הכהן *Sacerdos* nominetur, ut ubi dicitur, ונתנו בני אהרן הכהן אש על־המזבח וערכו עצים על־האש וערכו בני אהרן הכהנים את הנתחים *Tunc componentes Filij Aharonis Sacerdotis ignem ſuper Altari, ſtruent ligna ſuper ignem. Poſtea diſponent filij Aharonis Sacerdotes membra*, Levit. I. 7, 8. In quibus verbis Aharonem ſummum Sacerdotem, & filios ejus ſimplices Sacerdotes, uno eodemque nomine indigitatos habemus. Ille enim הכהן *Sacerdos*, hi הכהנים *Sacerdotes* appellantur. Nec uſpiam in libris Moſaicis, vel Aharonem, vel Eleazarum, qui Patri in pontificatu ſucceſſit, aliter quam הכהן communi omnium Sacerdotum nomine nuncupatum reperire eſt. Nec per totum uſpiam Pentateuchum præterquam duobus tribuſve locis ubi de Eccleſiâ ut poſtea adminiſtrandâ agitur, nomen iſtud כהן הגדול Ἀρχιερεὺς uſurpatur, etiamſi Pontificis, ſive ejus qui cæteris præerat Sacerdotibus, frequentiſſima occurrat mentio. Sed procedente demum tempore, in libris ſaltem Hagiographis & Propheticis uſu venit, ut ſummus Sacerdos כהן הגדול Ἀρχιερεὺς, ſive *Maximus Sacerdotum*, inferiores autem Sacerdotes abſolute כהנים ἱερεῖς *Sacerdotes* nominati ſint. Quis autem ex iſto promiſcuo nominis hujus uſu probare unquam aggreſſus eſt, omnes Sacerdotes ipſi Pontifici pares aut æquales fuiſſe? Annon in ora hominum pro ludibrio abiret, qui iſtiuſmodi argumento uteretur? Quis enim neſcit *Summum Sacerdotem* reliquis omnibus ſuperiorem fuiſſe, licet eodem nomine appellatum? Hoc tamen palmarium eſt iſtud argumentum, quo Presbyteranæ paritatis propugnatores, Presbyteros Epiſcopis, Sacerdotes Pontifici pares eſſe probare conati ſunt. Nimirum quod ipſi etiam Epiſcopi in ſacris Apoſtolorum ſcriptis πρεσβύτεροι nonnunquam appellentur

tur. Hoc autem argumento nihil unquam efficient, uſque dum probatum dederint, omnes in Eccleſiâ Judaicâ Sacerdotes τῷ ἀρχιερεῖ pares fuiſſe, atque ejuſdem cujus ille ordinis ac autoritatis, eo quod in Eccleſiâ iſtâ recens fundata ille communi eorum nomine nuncupatus fuerit. Hoc autem nec iſto nec ullo alio argumento demonſtrari poſſe inter omnes convenit, utpote quod falſiſſimum eſſe cuique notum ſit. Quidni autem in Eccleſiæ Chriſtianæ æque ac Judaicæ primordiis primi & ſecundi ordinis Sacerdotes uno eodemque nomine vocitentur? Sane qui aliter ſentiunt, ſi Judaici eſſent Sacerdotes, eodem argumento cum ipſo Pontifice pro Pontificatu ſuo contenderent, ſeque ei pares eſſe jactitarent. Quod quam abſurdum, quam perniciosum eſſet, ipſi viderint, penè ſimili Koræ, Dathanis, & Abirami exemplo edocti.

XII. Hæc de ſtatu Eccleſiæ Apoſtolicæ, ut mox poſt Chriſti reſurrectionem ſe habebat, ſtrictim idcirco diſſeruimus, quod exinde pateat, nihil certi de perpetuo Eccleſiæ regimine ab Apoſtolis ſtabilito ex iis concludi poſſe, quæ Apoſtoli in ipſis Evangelij prædicandi primordiis feciſſe traduntur. Quemadmodum enim Dominus eorum noſterque Chriſtus Apoſtolos ſuos non ſtatim ordinavit, ſimul ac miniſterium ſuum ingreſſus eſt, ſed aliquanto poſt tempore: neque etiam LXX. diſcipulos unà cum Apoſtolis elegit, ſed poſt elapſum aliquod temporis ſpatium, cum iis ipſi opus eſſet. Sic & Apoſtoli ejus, magiſtri veſtigiis inſiſtentes, omnia ad perpetuam Eccleſiæ adminiſtrationem neceſſaria, ſtatim ut data eſt illis poteſtas, non ordinabant, nec ordinare poterant, ſed paulatim ac pedetentim, prout occaſio ſeſe obtulerit. Ita tamen ut priuſquam illi huc emigrarent, omnia ad externam Eccleſiæ formam ac politiam procul omni dubio determinarint. Etiamſi enim quamdiu Chriſtus in terris verſaretur, Apoſtoli ejus aliam quàm baptizandi & evangelium prædicandi poteſtatem non haberent, ac proinde Presbyteri duntaxat eſſent, τῷ Ἀρχιερεῖ Epiſcopo illi animarum noſtrarum ſubditi; Poſt Domini tamen reſurrectionem ipſi in Epiſcopatum evecti ſunt, Dominique ſui noſtrique in Eccleſiæ adminiſtratione ſucceſſores conſtituti. Hanc eorum ordinationem à S. Johanne Evangeliſtâ traditam habemus, cap. XX. ubi Chriſtus à mortuis reſuſcitatus Apoſtolis ſuis in unum congregatis dicit, Εἰρήνη ὑμῖν, καθὼς ἀπέσταλκέ με ὁ Πατήρ, κἀγὼ πέμπω ὑμᾶς, & *cum hoc dixiſſet inſufflavit, dixitque iis* λάβετε πνεῦμα ἅγιον, &c. Ut Chriſtus igitur à Patre, ſic Apoſtoli modo à Chriſto miſſi ſunt, & ad eundem, ut ita loquar, gradum promoti, quantum ſcilicet ad ordinandi & Eccleſiaſticam diſciplinam exercendi ſtabiliendique autoritatem ſpectat. Ipſi igitur à Chriſto miſſi, ſicut ille à Patre, alios etiam ad eundem modum mittendi poteſtatem accipiebant, qui ipſis etiam Apoſtolis ſuccederent ut Apoſtoli Chriſto, ut ita impleretur illud quod Chriſtus ad cœlos aſcenſurus promiſerat, *Et ecce*

ego vobiſcum ſemper uſque ad finem ſeculi Matt. XXVIII. 20. Quod fieri non potuit, niſi Apoſtoli in Eccleſiâ ſemper manerent, vel in propriis ipſorum perſonis, vel in ſucceſſoribus ſuis ſive loci conſervatoribus. Ut hujuſmodi autem ſucceſſores ſibi perpetuo haberent, eundem quem Chriſtus in ipſos, ipſi in alios contulerunt ſpiritum. Licet non eodem modo. Chriſtus enim inſufflando ſpiritum in eos contulit, qui modus ei peculiaris eſt à quo Spiritus procedit: Apoſtoli autem in ſpiritu quo ipſi à Chriſto induti & hoc edocti ſunt, conferendo, antiquo iſto ritu à Deo in lege Moſaicâ inſtituto & in Eccleſiâ Judaicâ perpetuo obſervato uſi ſunt, per χειροθεσίαν ſcilicet ſive manuum impoſitionem. Hoc modo ſpiritus à Moſe in Joſhuam diffuſus eſt, Deut. XXXIV. 9. Et hoc modo ſpiritus à Chriſto in Apoſtolos ejus ſufflatus, ab Apoſtolis in proximos ſuos ſucceſſores, & ab iis in alios ſucceſſive uſque ad finem ſeculi diffuſus eſt.

XIII. Cùm hanc igitur Eccleſiæ regendæ, alioſque in ſucceſſores ordinandi poteſtatem Apoſtoli à Chriſto ſibi concreditam habuiſſent, quin eandem illi fideliter exercuerint, nemini dubium eſſe poteſt. Proinde nec dubitare fas eſt, quin ubi Apoſtoli aliquam hominum multitudinem in qualibet urbe ad fidem Chriſtianam Deo adſiſtente, convertiſſent, Eccleſiam ibidem fundarint, eandemque, priuſquam ultimum ei valedicerent, iſtâ poteſtate inſtruxerint, quam ipſi à Chriſto aliis communicandam acceperant, quâ ſucceſſores ipſis in omnibus Eccleſiis conſtituerentur, quibuſcum Chriſtus juxta promiſſum ſuum uſque ad finem ſeculi eſſet. Hæc, inquam, cordatis omnibus ſobriiſque Chriſtianis indubitata ſunt. Quæritur tantummodo, *Utrum Apoſtoli, priuſquam ex hâc vitâ migrarint, hanc ſuam Eccleſiæ regendæ aliorumque ordinandi poteſtatem uni alicui in unaquaque Eccleſiâ perſonæ, an pluribus commiſerint?* hoc eſt, juxta recentiorem loquendi formulam, *utrum Epiſcopo, an claſſi presbyterorum?* Hoc ſane modo proponenda eſt quæſtio de Epiſcoporum ſupra Presbyteros autoritate, ſi eam unquam determinare velimus. De nominibus enim Epiſcoporum & Presbyterorum contendere, nihil aliud eſt quam ἀεροβατεῖν, & diſputationem ita inſtituere, ut nullus ſit diſputandi finis. Neque etiam dirimi poteſt hæc controverſia ex iis quæ Apoſtoli initio miniſterij ſui ſive ſtatim poſt Domini aſcenſum peregiſſe leguntur. Ut ante enim obſervatum eſt, omnia ſtatim ordinare non poterant, neque opus erat, ut ſucceſſores ſibi conſtituerent, priuſquam ipſi deceſſuri erant. Et præterea eorum quæ Apoſtoli in Evangelio propagando, Eccleſiiſque inſtituendis fecerunt, pauciſſima ſcriptis mandata ſunt. Solus enim S. Lucas, Acta Apoſtolorum conſcripſit; Iſque nihil fere de S. Petro tradidit, præterquam ea quæ eodem vel proximo poſt Chriſti aſcenſum anno fecerat. Plura fateor, de S. Paulo in Apoſtolorum cenſum ab ipſo Chriſto poſtea cœlitus vocato refert: Sed ea ſola quorum ipſe oculatus

tus fuerat teſtis, ut itineris ei comes. De cæteris Apoſtolis nihil propemodum memoriæ tradidit. Et quamvis S. Paulus plurimas, & alij ex Apoſtolis nonnullas ſcripſerint Epiſtolas, eæ tamen per occaſionem, ut ita loquar, ſcriptæ, Eccleſiæ adminiſtrandæ formam ab Apoſtolis inſtitutam, omnibus notam ſupponunt potius quam faciunt. Adhæc maxima pars Apoſtolorum diu vixerunt poſt conſcriptos omnes Novi Teſtamenti libros; quo temporis ſpatio Eccleſiam mirum in modum amplificatam ad exactiorem regiminis formam haud dubie redegerunt, quam cujus initio capax fuerat. E quibus omnibus una collatis videre eſt, hanc de perpetuo Eccleſiæ regimine ab Apoſtolis inſtituto, quæſtionem ita concipiendam eſſe, ut quæratur non quid ipſi Apoſtoli in Eccleſiâ primo fundandâ propagandâque fecerint, vel feciſſe tradantur, ſed quomodo eam modo fundatam & in omnes terrarum fines ab ipſis propagatam, adminiſtrandam poſtea fore decreverint? utrumque Apoſtolicam ſuam autoritatem uni in unaquaque ſingulari Eccleſiâ Præſidi, an pluribus commiſerint, priuſquam ipſi militantem cum Triumphanti Eccleſiâ commutarint?

XIV. Hæc autem quæſtio hoc modo inſtituta, ſi ſine præjudicio, & eo quo par eſt, animi candore agitetur, facillime pariter atque certiſſime determinari poteſt. Sanctos enim Apoſtolos ſummam illam, quâ ipſi præditi erant, Eccleſiam adminiſtrandi alioſque ad Eccleſiaſtica officia ordinandi poteſtatem non pluribus, ſed ſingulari in ſingulis urbibus ſive Eccleſiis Præſidi, ſeu Epiſcopo delegâſſe, multa ſunt quæ fidem pleniſſimam faciunt. Primo enim nihil dubij eſſe poteſt, quin Apoſtoli hanc aliis poteſtatem eodem, quoad ejus fieri potuit, modo commiſerint, quo ipſis à Chriſto prius commiſſa fuerat. Si Chriſtus hanc ſuam autoritatem non ſingulis Apoſtolis, ſed toti eorum collegio delegâſſet, ipſis etiam eandem à ſe non in ſingularem aliquam perſonam, ſed in totum cujuſlibet urbis ſive Eccleſiæ Presbyterorum corpus transfundere neceſſe fuiſſet. Quandoquidem pro facto, certoque habuiſſent, hanc Domini ſui voluntatem fuiſſe, ut autoritas iſta non niſi certo Presbyterorum cœtui concrederetur. Quod ſi è contra Dominus noſter non toti Apoſtolorum ſuorum collegio ſed ſingulis Apoſtolis hanc poteſtatem demandârit, illi ipſius exemplo ducti, non poterant non idem facere, hoc eſt, autoritatem illam ſibi ſingulis commiſſam in ſingulares itidem Eccleſiæ præſides tranſmittere. Alioquin enim Domini veſtigiis non ingreſſi fuiſſent, neque ex ejus egiſſent animo, qui proprio ipſius facto, clare ſatis oſtenderat, ſe voluiſſe, ut autoritas iſta non apud aliquem hominum cœtum deponeretur, ſed apud ſingulares perſonas; ſive quod idem eſt, non toti Presbyterorum in quavis Eccleſiâ corpori, ſed ſingulari capiti committeretur. Adeo ut quemadmodum unus Chriſtus, & unuſquiſque Apoſtolorum, ſic unus etiam in unaquaque Eccleſiâ Epiſcopus totam hanc autoritatem ſibi concreditam haberet, unius ibidem Chriſti vicem gerens.

Neque

Neque in controverſiam venire poteſt, utrum Chriſtus ſingulis ſuis Apoſtolis, an toti eorum collegio, hanc poteſtatem delegarit. Etenim ſi non ſingulis ſeorſim, ſed omnibus conjunctim eam delegâſſet, nihil agere potuiſſent, niſi omnes una intereſſent, ac propterea nihil omnino, poſtquam à ſe invicem ad Evangelium propagandum ſeparati ſunt, adeo ut fruſtra ſe ſeparârint, quandoquidem juxta hanc hypotheſin nihil cuivis eorum ab aliis ſeparatim poteſtatis eſſet. Et præterea nihil certius, frequentiuſve in ſacris ſcripturis traditur, quam ſingulos Apoſtolos totam quam omnes à Chriſto acceperant poteſtatem ſeorſim à collegis ſuis exercuiſſe. Ut omittam enim quod in ipſorum Actis, nunc unum, nunc duos, vel tres, perraro autem omnes Apoſtolos res Eccleſiaſticas moderantes inveniamus, D. Paulus verbis conceptis aſſerit, *ſeſe ſolicitudinem omnium Eccleſiarum ſuſtinuiſſe*, 2 Cor. XI. 28. alibique Corinthiis promittit ſeſe Eccleſiaſtica ipſorum negotia diſpoſiturum eſſe, τὰ δὲ λοιπὰ, inquit, ὡς ἂν ἔλθω διατάξομαι, 1 Cor. XI. ult. Quibus etiam verbis indicat ſe nonnullas de iſtius Eccleſiæ adminiſtratione leges ante tuliſſe. Quod ex ipſâ quoque Epiſtolâ conſtat. Ipſe etiam in omnibus Epiſtolis, iis præſertim quas ad Timotheum Titumque miſit, generalia de omni Eccleſiaſticâ diſciplinâ mandata dedit. Et quod ad ordinationes ſpectat, idem dicit, donum Dei per ſuam ipſius χειροθεσίαν in Timotheum collatum eſſe, ὅ ἐστιν, inquit, ἐν σοὶ διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν μου. 2 Tim. I. 6. nec obſtat quod alibi dicit idem factum fuiſſe μετὰ ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ πρεσβυτερίου, 1 Tim. IV. 14. Etiamſi enim ex hoc ultimo loco veriſimile fiat, alios Paulo in iſtâ ordinatione adſtitiſſe, manuſque μετ' αὐτοῦ *cum eo* impoſuiſſe, ex priori tamen ſuſpicari licet, eos non fuiſſe Apoſtolos. Si fuiſſent enim D. Paulus eos ab ordinatione iſtâ nunquam ſecluſiſſet, iſtam ſuâ ſolius manuum impoſitione peractam affirmans, atque ita totam ordinationis illius virtutem atque efficaciam ſibi ſoli aſſerens. Sed non opus eſt hiſce diutius immoremur, ſiquidem inter omnes conſtat, Apoſtolos ſeparatim egiſſe, & unum hic, alium illic Eccleſiam fundâſſe, fundatam adminiſtrâſſe, omniaque ad perpetuam ejuſdem adminiſtrationem neceſſaria diſpoſuiſſe, idque haud minori autoritate, quam ſi omnes Apoſtoli una ibidem adfuiſſent. Unde liquet autoritatem iſtam Apoſtolicam, in unoquoque Apoſtolorum, adeoque totam in ſingularibus perſonis ab ipſo Chriſto ſitam fuiſſe, quam propterea eos in ſingulares etiam perſonas, ipſorum ſucceſſores, derivâſſe extra dubium eſt. Quod ſi hæc autoritas in ſingulis Eccleſiis ſingulari alicui perſonæ ab ipſis Apoſtolis commiſſa fuerit, perſonam iſtam ſive Epiſcopi, ſive Presbyteri, ſive alio quovis nomine appellatam, aliis quibuſcunque in eâdem Eccleſiâ præſidere, ſummamque ſupra eos poteſtatem jure Apoſtolico adeoque divino habere neceſſario ſequitur.

XV. Adhæc ut jure potuerunt, atque etiam debuerunt Apoſtoli, ſic & de facto totam ſuam Eccleſiaſticarum adminiſtrationum, ordinationumq; autoritatem ſingularibus perſonis delegârunt. Hanc enim autoritatem D. Paulus Timotheo ab ipſo ordinato commiſit. Hoc ex eo conſtat, quod Apoſtolus eum doceat, quomodo autoritatem iſtam exercere debeat, nimirum ut manus nemini cito imponat, ut contra Presbyterum accuſationem non niſi ſub duobus tribuſve teſtibus admittat, ut nihil faciat κατὰ πρόσκλισιν in alteram partem inclinando 1 Tim. V. 19, 20, 21, 22. Quæ quidem admonitiones fruſtra ac inaniter, imo inepte & ridicule fierent, niſi Timotheus & ordinandi, & accuſationes contra Presbyteros prolatas audiendi, & Eccleſiaſticas denique cauſas judicandi, poteſtatem accepiſſet. Eandem in inſulâ Cretâ autoritatem Titus ſibi delegatam habuit, ut ex eodem conſtat Apoſtolo in Epiſtolâ ad eum ſcriptâ dicente, τούτου χάριν κατέλιπόν σε ἐν Κρήτῃ, ἵνα τὰ λείποντα ἐπιδιορθώσῃ, καὶ καταστήσῃς κατὰ πόλιν πρεσβυτέρους, ὡς ἐγώ σοι διεταξάμην, *Hujus rei gratiâ dereliqui te in Cretâ, ut quæ deſunt corrigas, & Presbyteros per ſingulas civitates conſtituas, ſicut ego tibi ordinavi.* Tit. I. 5. E quibus verbis videre licet, ſingularem virum Titum, à ſingulari Apoſtolo Paulo, omnem quæ ipſis Apoſtolis in Eccleſiâ adminiſtrandâ conceſſa fuerat, poteſtatem accepiſſe; corrigendi ſcilicet quæ in Eccleſiâ deerant, & Presbyteros per civitates ordinandi: ad quæ duo capita omnis Eccleſiaſtica, dicam & Apoſtolica autoritas redigatur. Adeo ut pro certiſſimo habeamus autoritatem iſtam in duos hoſce ſingulares viros, Timotheum & Titum ab ipſo Apoſtolo ſigillatim tranſmiſſam fuiſſe. Neque in omnibus uſpiam Apoſtolorum ſcriptis legimus vel D. Paulum, vel alium quemlibet ex Apoſtolis autoritatem iſtam collegio cuipiam, aut cœtui virorum demandâſſe. Ex eo autem quod Timotheus in Aſiâ & Titus in Cretâ autoritatem iſtam ſibi ſeorſim concreditam habuerit, eandem uni ſive ſingulari ubique viro ab Apoſtolis delegatam fuiſſe legitimè concludamus. Præterquam enim quod ratio ipſa poſtularet, ut eodem ubique modo eam darent quo acceperant, nemini dubium eſſe poteſt, quin omnes Eccleſias uniformes conſtituerint. Hoc enim D. Paulus diſerte teſtatur, dicens, καθὼς πανταχοῦ ἐν πάσῃ ἐκκλησίᾳ διδάσκω. 1 Cor. IV. 17. & poſtea, καὶ οὕτως ἐν ταῖς ἐκκλησίαις πάσαις διατάσσομαι. Ibid. cap. VII. 17. Hinc enim liquet Apoſtolos laborâſſe, ut omnes Eccleſiæ uniformiter adminiſtrarentur, iidemque ritus ubique obſervarentur. Quod fieri non potuit, niſi ipſi à Domino edocti, Spirituque ipſius inſtructi, eandem Eccleſiaſticæ adminiſtrationis formam ubique inſtituerint. Proinde ex eo quod Apoſtolus autoritatem ſuam in Timotheum & Titum ſingulatim contulerit, legitima ac neceſſario inferatur concluſio, Apoſtolos voluiſſe, & in mandatis à Do-

mino accepiſſe, ut omnis ordinationes, adminiſtrationeſque Eccleſiaſticas celebrandi poteſtas in unaquaque Eccleſiâ apud unum aliquem probatum virum, ceu Præſidem & Epiſcopum ejuſdem reſideret.

XVI. Idem porro abunde etiam conſtat ex hiſtoriâ Eccleſiaſticâ, quam hâc in cauſâ diligenter conſulamus neceſſe eſt. Cùm pauciſſima enim, ut ante obſervatum eſt, eorum quæ Apoſtoli fecerunt, ſacris literis mandata ſint, multaque eorum, quæ ad perpetuam Eccleſiæ adminiſtrationem pertinent, non niſi ſero ordinare potuerint, cum ipſi hinc deceſſuri erant, totuſque propterea novi Teſtamenti Canon longe antea completus fuerat, hinc ſi pro certo & comperto habere velimus, quomodo Apoſtoli autoritatem ſuam aliis tanquam ſucceſſoribus ſuis delegatam reliquerint, inquirendum eſt neceſſario in iſtarum Eccleſiarum hiſtorias quas illi fundârunt, & fundatas aliis tradiderunt adminiſtrandas. Si quærendo enim deprehenderimus, nullam uſpiam Eccleſiam ab Apoſtolis fundatam, ab eorum uſque diebus aliter quam ab uno ſingulari viro adminiſtratam fuiſſe, nullus ſupererit dubitandi locus, quin Eccleſiam unamquamque regendi autoritas uni ſoli ab Apoſtolis commiſſa fuerit. Neque enim vel animo cogitare fas eſt, Eccleſias ab ipſis Apoſtolis fundatas aliter à proximis ipſorum ſucceſſoribus adminiſtratas fuiſſe, quam ipſi cum in vivis eſſent, inſtituerant. Verumenimvero ſi omnes uſquequaque Eccleſiaſticas evolvamus antiquitates, nullam inveniemus Eccleſiam ab Apoſtolo aliquo fundatam, quæ non à ſingulari aliquo viro adminiſtrata fuit, qui inter omnes alios in eadem Eccleſiâ conſtitutos vel ordinatos, uſque adeo eminuit, ut ſolus in Eccleſiaſticis Hiſtoriis nominatim celebrari mereretur: tanquam qui ſolus omnem ab Apoſtolo Eccleſiæ iſtius fundatore eminentiam atque autoritatem Apoſtolicam in ſe transfuſam habuit. Ut Timotheum enim Epheſi, & in Cretâ Titum, ſic Jacobum Hieroſolymis, Epaphroditum Philippis, Coloſſis Archippum, Dionyſium Areopagitum Athenis, Polycarpum Smyrnæ, Antipam Pergami, Gaium Theſſalonicæ, Creſcentem in Galatiâ, Evodium vel, ut alij, Ignatium Antiochiæ, Anianum Alexandriæ, Clementem denique Romæ, Eccleſiam quemque ſuam ab Apoſtolo fundatore ei concreditam, ſolum adminiſtrâſſe legimus, nullâ fere aliorum, qui Eccleſiaſticis ibidem fungebantur officiis, mentione uſpiam inſtitutâ. Quos etiam ſingulos ſingulares habuiſſe ſucceſſores ex iiſdem antiquiſſimis Eccleſiæ ſcriptoribus, Hegeſippo ſcilicet, Irenæo, Clemente Alexandrino, Euſebio, Hieronymo, aliiſque patet. Quod luculentiſſimo nobis eſt argumento Apoſtolicam autoritatem in ſingulis Eccleſiis non in neſcio quantum hominum cœtum, ſed in viros ſingulares ab ipſis Apoſtolis divinitus inſpiratis tranſmiſſam fuiſſe. Præſertim cum ab Anno CXL. hoc eſt à quadrageſimo plus minus ab ultimo Apoſtolorum Anno, ſingulares ubique terrarum viros ſub Epiſcoporum nomine cæteris Presbyteris præſediſſe, ſummamque ſupra eos in ſuâ quemque Eccleſiâ

toritatem exercuiſſe, ex antiquis, & fide digniſſimis Eccleſiæ monumentis uſque adeo manifeſtum certumque ſit, ut ipſi acerrimi Epiſcopalis hujus autoritatis oppugnatores, rei veritate victi, velint nolint, illud fateri ſæpe coacti fuerint. Et quidem ſi alia non præſto eſſent argumenta, hoc unum ab ipſis adverſariis conceſſum, ſummam Epiſcoporum ſupra Presbyteros totamque cujuſque Eccleſiæ ὑπεροχὴν atque autoritatem, ab ipſis Apoſtolis, adeoque divinitus inſtitutam fuiſſe clariſſime demonſtrat, & cuivis præjudicio non laboranti extra controverſiam ponit.

XVII. Primo enim primos Apoſtolorum ſucceſſores, quos latere non potuit quomodo Apoſtoli Eccleſiam perpetuo adminiſtrandam fore decreverant, pientiſſimos fuiſſe viros, totoſque Chriſti cultui devotos, nemo vel negare poteſt, vel dubitare, qui Chriſtianam religionem præ ſe fert. Tantâ enim fide, tantâ pietate, tanto in Chriſtum amore præditi erant, ut Evangelium ab ipſo prædicatum ſanguine ſuo conſignare ſemper parati eſſent, quippe qui ſe ſuaque omnia Chriſto dedicârant. Quocirca ſi potuiſſent, haud dubie nunquam voluiſſent quivis eorum majorem ſibi ſupra fratres ſuos poteſtatem uſurpare, quam Dominus ipſis prius conceſſerat. Hoc enim cum verâ pietate neutiquam conſtare, ac propterea in tam ſanctos pioſque viros cadere non potuit. Utpote quod ambitionem, ſuperbiam, avaritiam, tyrannidem, omnium denique vitiorum colluviem ſub ſe comprehendit. Quid enim in Chriſtum magis impium, quam ſacram ipſius inſtitutionem ſacrilegâ manu violare? In fratres quid magis iniquum, quam ſuis eos privilegiis ſpoliare, & totam iſtam autoritatem, quæ ipſis omnibus in commune à Chriſto commiſſa fuerat, ſibi ſoli arrogare? Hæc tamen egregia ſunt iſta facinora, quæ Presbyteranæ paritatis aſſertores primis Apoſtolorum diſcipulis & ſucceſſoribus imputare non erubeſcunt, dum eos ſtatim poſt Apoſtolorum obitum ſe ſupra fratres ſuos inſolentiâ dominatûs extuliſſe aſſeverant. Deſinant autem hoc iis in poſterum objicere, uſque dum probatum dederint, illos non Chriſti diſcipulos ſed profligatiſſimos fuiſſe viros, & omnium ſcelerum maculis notatiſſimos. Si ſancti enim, ſi religioſi, ſi Chriſtiani nominis quovis modo digni erant (quod nobis ſane perſuaſiſſimum eſt, ipſique adverſarij negare non poſſunt) tantâ teneri culpâ noluiſſent. Et præterea ut ſi potuiſſent, nunquam voluiſſent, ſic etiam è contra ſi voluiſſent, nunquam potuiſſent, aliam quam Apoſtolicam Eccleſiaſticæ adminiſtrationis formam ubique ſaltem terrarum introducere ac ſtabilire. Si una, fateor, alterave duntaxat Eccleſia à ſingulari Epiſcopo gubernata fuiſſet, ſuſpicari forſitan liceret, aliquam Apoſtolicæ inſtitutioni violentiam ibi nefarie illatam eſſe. Res autem longe aliter ſe habuit. Omnes enim Eccleſiæ ab Apoſtolis conſtitutæ, etiamſi magno locorum intervallo diſterminatæ, ſibique invicem

vix nomine tenus cognitæ, in unam eandemque regiminis formam conſpirârunt: Adeo ut ſecundo nondum adulto ſeculo, ac proinde ſtatim poſt Apoſtolorum obitum, nullam invenire ſit Eccleſiam, quæ non à ſingulari Epiſcopo adminiſtrata fuit. Quod fieri nequaquam potuit, niſi omnes Eccleſiæ eandem diſciplinæ atque adminiſtrationis formam, una cum fide ab Apoſtolis traditam accepiſſent. Adhæc ſi ſingulares ubique Epiſcopi ſummam, de quâ agimus, in Eccleſiâ quiſque ſuâ, ſupraque Presbyteros in eâdem conſtitutos autoritatem contra Domini præceptum, atque Apoſtolorum ejus inſtitutionem ſibi vendicarint, & exercuerint, quî factum eſt, ut nulli uſpiam Presbyteri iis obluctati fuerint, nec improbam Dominici præcepti violationem illis objecerint? Sane autoritas, præſertim in religione, non tanto deſpectui haberi ſolet, ut eam ſibi quiſpiam facile extorqueri ſinat. Si Apoſtoli itaque æqualem omnibus in unaquaque Eccleſiâ Presbyteris autoritatem delegârint, quo demum pacto evenit, ut omnes ubique Presbyteri eam ſibi eximi, & in Epiſcopos ſolos transferri ſecuri paterentur? Quare illi æque ac noſtræ ætatis Presbyteri, ſe Epiſcopis ſuis pares eſſe non jactitabant? Quare illi non æquè impatientes erant ſubjectionis & obedientiæ Epiſcopis ſuis præſtandæ? Annon illi qui proximo poſt Apoſtolos vixerunt ſeculo, perſpectius longe haberent, quid ab Apoſtolis inſtitutum fuerat, quam nos qui quindecim ſeculorum ſpatio ab iis removemur? Si illud itaque quod hodierni Presbyteranæ ἰσοτιμίας patroni tanquam certiſſimum diſcipulis ſuis venditant, Apoſtolos ſcilicet inſtituiſſe ut unaquæque Eccleſia non à ſingulari aliquo Epiſcopo ſed ab omnibus conjunctim Presbyteris regeretur, ſi hoc, inquam, primitivis illis Presbyteris notum & perſuaſum fuiſſet, Apoſtolicam iſtam inſtitutionem quæ ipſis favebat, violari vel infringi procul omni dubio nunquam permiſiſſent. Sed ſi quis iis imperare cœperit Epiſcopus, multo majori quam noſtri Presbyterani ratione reſponſare poterant, *Nimium, coepiſcope, tibi arrogas, tu enim noſque omnes ſcimus Dominum & Apoſtolos ejus, à quibus fidem, doctrinam, atque ordinationem noſtram ſuſcepimus, decreviſſe, ut omnes pares eſſemus, tuque haud majorem in nos autoritatem haberes, quam nos in te.* Quis hujuſmodi reſponſum ab iis redditum non expectaret, ſi Epiſcopi aliquam ſupra illos autoritatem contra Apoſtolicam inſtitutionem uſurpâſſent? Veruntamen nihil hujuſmodi in omni antiquitate Eccleſiaſticâ occurrit. Epiſcopos Presbyteris imperâſſe ubique, ſed Presbyteros iis vel reſtitiſſe vel etiam reſponſâſſe nuſquam legimus. Adeo ut Epiſcopalis ſupra Presbyteros autoritas per aliquammulta ſecula in univerſâ Eccleſiâ nemine contradicente obtinuerit. Imo quidem per mille & quingentos annos, nullum, præter unum Aerium ejuſque Gregales quarto exeunte ſeculo exortos pariter atque extinctos, invenire eſt Presbyterum, qui ſe Epiſcopo æqualem aſſerere auſus eſt. Quod non mirum dico, ſed impoſſibile eſſet, ſi ipſi Apoſtoli Presbyteranam illam, quam-

quam nonnulli hiſce diebus propugnant, paritatem inſtituiſſent, vel etiam ſi Epiſcopalem illam non inſtituiſſent autoritatem, quâ omnes ubique gentium Eccleſiæ ab ipſo Apoſtolico uſque ad præſens hoc noſtram vel ſaltem præcedens ſeculum continenter adminiſtratæ fuerunt. Quam propterea quâ ratione hâc noſtrâ demum ætate oppugnare, vel etiam in quæſtionem vocare liceat, iſti viderint, qui de hodiernis quibuſdam ac particularibus, magis quam de ipſâ Primitivâ atque univerſâ Eccleſiâ ſoliciti ſunt.

XVIII. Hiſce rationibus inducti, perſuaſiſſimum habemus, quod ſicut in veteri Eccleſiâ Pontifex ſupra Sacerdotes & Levitas: in novâ primò Chriſtus ſupra Apoſtolos & LXX. Diſcipulos, eoque mortuo Apoſtoli ſupra Epiſcopos & Diaconos: ſic etiam quod illis mortuis, Epiſcopi ſupra Presbyteros & Diaconos ſummam autoritatem jure divino habeant, & uſque ad finem ſeculi habere debeant. Cùm Apoſtoli enim in Eccleſiâ propagandâ ac ſtabiliendâ divinitùs inſpirati atque adjuti fuerint, nihilque fecerint niſi quod à Chriſto traditum acceperant, & nihil Chriſtus θεάνθρωπος niſi quod à Deo, Quare diſtinguendum ſit, vel quomodo diſtinguatur inter jus Apoſtolicum & Divinum, me prorſus neſcire fateor. Ac proinde cùm Apoſtoli hanc autoritatem ſibi à Chriſto commiſſam, ad Epiſcopos ipſorum ſucceſſores tranſmiſerint, nihil nobis rationi magis conſentaneum videtur, nihil magis neceſſarium, quam ut iſta Epiſcoporum ſupra Presbyteros autoritas ad Divinam inſtitutionem referatur. Nec nova quidem eſt hæc opinio, à nobis vel aliis, ultimis hiſce diebus excogitata, eadem enim eſt, quam antiquiſſimi Eccleſiæ Patres tenuerunt, nobiſque clariſſime tradiderunt. Tertullianum enim, Clementem Alexandrinum & Origenem, qui omnes proximo poſt Apoſtolos ſeculo vixerunt, in hâc fuiſſe ſententiâ, ſupra à nobis demonſtratum eſt: D. Cyprianum iiſdem penè æqualem idem ſenſiſſe è plurimis ipſius verbis abunde conſtat. Epiſcopos enim Apoſtolis *vicariâ ordinatione ſucceſſiſſe* aſſerit. Epiſt. LXIX. ad Florentium Pupian. alibique de ſuæ ætatis Epiſcopis loquens, *Quoniam Apoſtolos*, inquit, *id eſt Epiſcopos & Præpoſitos Dominus elegit.* Epiſt. LXV. ad Rogatian. Hinc Epiſcopalem autoritatem *Eccleſiæ gubernandæ ſublimem & divinam poteſtatem* vocat. Epiſt. LV. Hoc autem luculentiſſime inprimis docet in Epiſtolâ ad lapſos, qui ipſi de uſurpatâ pace per Paulum Martyrem datâ ſcripſerunt, ſic incipiente, *Dominus noſter cujus præcepta metuere, & obſervare debemus, Epiſcopi honorem & Eccleſiæ ſuæ rationem diſponens, in Evangelio loquitur & dicit Petro, Ego tibi dico, quia tu es Petrus, & ſuper iſtam petram, &c. Inde per temporum & ſucceſſionum vices Epiſcoporum ordinatio & Eccleſiæ ratio decurrit, ut Eccleſia ſuper Epiſcopos conſtituatur; & omnis actus Eccleſiæ per eoſdem præpoſitos gubernetur. Cum hoc itaque divinâ lege fundatum ſit, miror quoſdam audaci temeritate ſic mihi ſcri-*

bere

CAPUT XII.

Synopſis.

I. *Canones Apoſt. XLVI. XLVII. LXVIII. de hæreticorum baptiſmo non admittendo. Quid contra eos objectum eſt.*
II. *Hæreticorum baptiſmus ante* D. Cyprianum *condemnatus eſt, & pro nullo habitus.*
III. *Quæ de Romanâ Eccleſiâ affert vir doctus ſententiam noſtram confirmant. Quare* Donatiſtæ *hæreticorum baptiſmum reſpuebant.* S. Auguſtinus *baptiſmum ſine Evangelicis verbis collatum, nullum eſſe pronunciavit.*
IV. S. Baſilius *hæreticorum quorumlibet baptiſmum repudiavit. Et Canonis Apoſt. XLVI. de hâc re editi meminit. Qui tamen Canon de antiquis tantum hæreticis intelligendus eſt.*
V. *Canonibus* Nicænis *cum* Apoſtolicis *optime in hâc re convenit.* Παυλιανίσαντες *à Synodo Nicænâ quinam dicti? Eorum ordinatio æque ac baptiſmus exploditur.*
VI. *Hujus capitis, librique ſecundi Epilogus.*

I. ULTIMUM contra utramque hujus collectionis partem argumentum hic diſcutiendum ex iſtis petit Dallæus Canonibus, qui collatum ab hæreticis baptiſmum explodunt. Qualis eſt Canon XLVI. *Epiſcopum vel Presbyterum, qui hæreticorum baptiſmum aut ſacrificium admiſerit, deponi* jubens. Et XLVII. quo cautum eſt, *ut Epiſcopus vel Presbyter, ſi verè baptizatum de integro baptizaverit, vel ab impiis pollutum non baptizaverit, deponatur.* Et in poſteriori parte ſylloges, Canon LXVIII. quo dicitur, *qui ab hæreticis baptizantur aut ordinantur, ut fideles vel clerici ſint, fieri non poſſe.* Contra hos Canones objicit Dallæus, quod ſi quæ in iis conſtituuntur, vera ſunt, neceſſe eſt omnem jam à vetuſtiſſimis temporibus Eccleſiam in graviſſimo errore verſari: præſertim Romanam, quæ Stephano duce & authore, urbis circa Annum CCLIV. Epiſcopo, hæreticorum baptiſmum valere ab illo ſeculo ad hæc tempora conſtanter ſenſit: Et Africanam, quæ Dona-

Donatiſtas idem cum iſtis Canonibus de baptiſmo ſentientes Auguſtini calamo acerrime confutavit: Et Nicænam denique ipſam Synodum, quæ ſolos ex omnibus hæreticis Pauliniſtas rebaptizandos pronunciavit. Hæc Dall. de Pſeudep. lib. 3. cap. 18. p. 636, 637.

II. Quod vero hic primo opponit vir doctus, *ſi quæ ſcilicet, in his Canonibus conſtituuntur, vera ſunt, neceſſe eſſe omnem jam à vetuſtiſſimis temporibus Eccleſiam in graviſſimo errore verſari*, antiquitatem horum Canonum neutiquam attingit. Etiamſi enim concederemus, quod haud facile facturi ſumus, baptiſmum ab antiquis hæreticis collatum contra ac hiſce Canonibus conſtituitur, admitti poſſe, vel etiam neceſſario admittendum eſſe, minime tamen exinde conſequeretur, hos Canones non ſecundo tertiove ſeculo publicatos fuiſſe: Nam ea quæ in illis conſtituuntur, iſtis diebus in Eccleſiâ & docta fuiſſe & fortiſſime vindicata obtinuiſſe pro certo habemus. D. Cyprianum enim totamque ſub eo celebratam LXXXVII. Epiſcoporum Synodum, nullum ab hæreticis collatum eſſe vel conferri poſſe baptiſmum, conſenſiſſe, notius eſt quam ut probatione opus ſit. Idem & longe ante ab Eccleſiâ definitum fuiſſe, ipſe D. Cyprianus teſtatur, dicens, *Apud nos autem non nova aut repentina res eſt, ut baptizandos cenſeamus eos qui ab hæreticis ad Eccleſiam veniunt, quando multi jam anni ſunt, & longa ætas, ex quo ſub Agrippino bonæ memoriæ viro, convenientes in unum Epiſcopi plurimi hoc ſtatuerint, atque exinde in hodiernum tot millia hæreticorum in provinciis noſtris ad Eccleſiam converſi, non aſpernati ſunt, neque cunctati, imo & rationabiliter & libenter amplexi ſunt, ut lavacri vitalis & ſalutaris baptiſmi gratiam conſequerentur.* Cyprian. Epiſt. LXXIII. ad Jubajan. In antiquâ itaque plurimorum Epiſcoporum Synodo, multis annis, & longâ ætate ante D. Cyprianum, ſub Agrippino habitâ, conſtitutum eſt illud quod in Canonibus hiſce Apoſtolicis à Dallæo oppugnatis hodie continetur. Quod etiam *ab anteceſſoribus ſuis ſtatutum* fuiſſe, idem iterum affirmat, Epiſt. LXXI. ad Quintum. Et quidem hanc fuiſſe Eccleſiæ diſciplinam longe ante D. Cypriani ætatem, ex Tertulliano conſtat, qui eandem ſuis diebus & approbatam fuiſſe atque obſervatam paſſim innuit. *Unde & apud nos*, inquit, *Ethnico par, imo & ſuper Ethnicum hæreticus etiam per baptiſma veritatis utroque homine purgatus admittitur.* Tertull. de pudicitiâ cap. 19. Et alibi de hæretico loquens, *Nemo*, inquit, *inde ſtrui poteſt, unde deſtruitur: nemo ab eo illuminatur, à quo contenebratur.* Id. de præſcript. adv. hæret. cap. 12. Fuſius adhuc clariuſque libro de baptiſmo, ubi hæc habet, *Unus omnino baptiſmus eſt nobis tam ex Domini Evangelio quam ex Apoſtoli literis: quoniam unus Dominus, & unum baptiſmum, & una Eccleſia in cœlis. Sed circa hæreticos ſane quid cuſtodiendum ſit, digne quis retractet. Ad nos enim editum eſt. Hæretici autem nullum habent conſortium noſtræ diſciplinæ, quos extraneos utique*

teſtatur

teſtatur ipſa ademptio communicationis. Non debeo in illis cognoſcere quod mihi eſt præceptum, quia non idem Deus eſt nobis & illis, nec unus Chriſtus, id eſt, idem. Ideoque nec baptiſmus unus, quia non idem, quem cum ritè non habeant, ſine dubio non habent; nec capit numerari, quod non habetur. Ita nec poſſunt accipere, quia non habent. Id. de baptiſmo cap. 15. Unde ſimul patet quare hæreticorum baptiſmus iſtis diebus rejectus eſſet: quoniam ſcilicet illis non idem ac Catholicis Deus erat, nec Chriſtus idem: qui propterea baptiſmum ut à Chriſto inſtitutum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti non celebrabant, ſed in neſcio quæ ignota & horrenda nomina, quæ videre eſt apud Irenæum lib. 1. cap. 18. Et quidem cum omnes iſtius ſeculi hæretici ut Valentiniani, Hermogeniani, Praxeani, Marcioniſtæ, Quintillianiſtæ, Cataphrygæ, Apelletiani, &c. in graviſſimis de ipſo Deo Chriſtoque erroribus verſarentur, ac proinde baptiſmi formam ut à Chriſto inſtitutum non obſervarent, ſed contemptui potius haberent, mirum nemini videatur quod baptiſmus ab iis collatus, ab Eccleſiâ Catholicâ irritus ac nullus haberetur; Nedum quod id in hiſce Canonibus caveatur, qui juxta noſtram ſententiam iſtis temporibus conſtituti ſunt, quibus ea vignit Eccleſiæ diſciplina.

III. *Sed præſertim Romana*, inquit vir doctus, *Eccleſia, Stephano duce & authore, urbis circa annum CCLIV. Epiſcopo, hæreticorum baptiſmum valere, ab illo ſeculo ad hæc tempora conſtanter ſenſit.* Eſto, ita ſenſit ſentitque Eccleſia Romana: at ſi Stephanus circa annum Domini CCLIV. dux ei fuit, authorque hujus ſententiæ, contraria ſane opinio ante Stephanum in iſtâ etiam Eccleſiâ obtinuit, ea ſcilicet quæ in hiſce Canonibus ſtabilitur. Quos propterea ante Stephani ætatem, hoc eſt ante tertium adultum ſeculum conditos fuiſſe, multo veriſimilius eſt, quam ut poſtea conderentur, cum hæreticorum baptiſmus in univerſâ, ut Dallæo videtur, Eccleſiâ admiſſus eſt. Adeo ut ex hâc eruditi viri contra Canones Apoſtolorum exceptione, noſtra de eorum antiquitate opinio confirmetur potius quam deſtruatur. *Sed & Africana*, inquit, *Eccleſia Donatiſtas idem cum iſtis Canonibus de baptiſmo ſentientes Auguſtini calamo acerrimè confutavit.* Non equidem diffiteor S. Auguſtinum hoc Donatiſtis vitio vertiſſe, quod ab hæreticis baptizatos ipſi denuo baptizarent, & baptizandos eſſe acriter contenderent, omniaque eorum argumenta refelliſſe, quibus hanc illi opinionem praximque ſuam confirmare conati ſunt. Sed obſervandum interea eſt, Donatiſtas nomen hæretici alio uſurpaſſe ſenſu, quam quo antiquitus uſitatum fuerat. Iſti enim omnes etiam orthodoxos hæreſeos inſimulare, hæreticoſque appellare ſolebant, eo tantum nomine quod, cum Cæciliano orthodoxo Carthaginienſi Epiſcopo communicarent. Et quandoquidem D. Cyprianus, totaque Eccleſia Africana antiquiſſimis temporibus iſtiuſmodi hæ-

reticorum, qui blaſphemas de ipſo Deo Chriſtoque hæreſes effutiebant, baptiſmum nihil valere ſtatuiſſent, Donatiſtæ arreptâ exinde occaſione ipſos etiam orthodoxos, hæreticorum nomine ab ipſis notatos, nullam apud ſe baptizandi poteſtatem habere aſſerebant. In quos propterea D. Auguſtinus vehementer merito invectus eſt; non tamen negans, quin affirmans potius iſtiuſmodi hæreticorum baptiſmum, qui non juxta Domini inſtitutionem in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti collatus eſt, invalidum prorſus & nullum eſſe. *Cæterum*, inquit, *quis neſcit, non eſſe baptiſmum Chriſti, ſi verba Evangelica quibus ſymbolum conſtat, illic defuerint? Sed facilius inveniuntur hæretici qui omnino non baptizant, quam qui illis verbis non baptizant.* Aug. de baptiſmo contra Donat. lib. 6. cap. 25. Unde etiam ſuam, eundem eſſe apud hæreticos & catholicos aſſerentis, ſententiam his verbis protinus exponit, *Ideoque dicimus non omnem baptiſmum, nam in multis idolorum ſacrilegis ſacris baptizari homines perhibentur, ſed baptiſmum Chriſti, id eſt verbis Evangelicis conſecratum, ubique eundem eſſe, nec hominum quorumlibet, & qualibet perverſitate violari.* Ibid. Si qui itaque hæretici Evangelicis inter baptizandum verbis non uſi ſunt, eorum baptiſmus, ipſo etiam D. Auguſtino judice, non eſt admittendus: ſed qui iſthoc modo ab iis baptizati dicuntur, ad Eccleſiam Catholicam converſi ritè baptizari debent. Enimvero doctiſſimus ille Pater in eâ fuit ſententiâ, quæ totam hujus Sacramenti vim atque eſſentiam in Evangelicis verbis pronunciandis collocat: adeo ut ubi illa deſiderantur, nullus ſit baptiſmus, illis autem prolatis verus ſit baptiſmus, quocunque animo collatus, & quibuſcunque alioquin contaminatus vitiis. *Nam certa*, inquit, *illa Evangelica verba, ſine quibus non poteſt baptiſmus conſecrari, tantum valent, ut per illa ſic evacuentur quæcunque in prece vitioſâ contra regulam fidei dicuntur, quemadmodum dæmonium Chriſti nomine excluditur.* Aug. ibid. Hinc alibi dicit, *Quanquam ſi Evangelicis verbis in Nomine Patris, & Filij; & Spiritus Sancti Marcion baptiſmum conſecrabat, integrum erat ſacramentum, quamvis ejus fides ſub eiſdem verbis, aliud opinantis quam Catholica veritas docet, non eſſet integra ſed fabuloſis falſitatibus inquinata.* Ibid. lib. 3. cap. 15. Unde liquet D. Auguſtinum non omnium generatim, ſed iſtiuſmodi duntaxat hæreticorum baptiſmum pro vero habuiſſe, qui eundem verbis illis Evangelicis conſecrabant. Quod ſi qui non in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti baptizarent, ſed in nomen ignoti Patris univerſorum, in veritatem omnium matrem, in Ieſum, qui deſcendit, in unionem & redemptionem, & communicationem virtutum, quomodo antiquos baptizaſſe hæreticos teſtis eſt Irenæus, vel etiam in nomine trium principij expertium, vel in mortem Domini, vel aliis quibuſcunque

verbis

verbis quam quibus Dominus baptiſmum miniſtrari præcepit, talem quidem baptiſmum D. Auguſtinus non minus quam ipſe Cyprianus repudiavit. Et quidem ut recte obſervat S. Baſilius, ποῖα ἂν λόγον ἔχοι τὸ τούτων βάπτισμα ἐγκριθῆναι τῶν βαπτιζόντων εἰς πατέρα, καὶ υἱὸν, καὶ Μόντανον, ἢ Πρίσκιλλαν; οὐ γὰρ ἐβαπτίσθησαν οἱ εἰς τὰ μὴ παραδεδομένα ἡμῖν βαπτισθέντες. *Quam ergo habet rationem verum eorum baptiſma judicari, qui in Patrem & Filium, & Montanum vel Priſcillam baptizant? Non enim baptizati ſunt, qui in ea quæ nobis non traduntur, baptizati ſunt.* Baſil. ad Amphil. Can. 1. Idem dicatur de omni fere veterum hæreticorum baptiſmo, qui vel de Deo Patre, vel de Filio, vel de Spiritu Sancto, vel de omnibus peſſimè ſentientes in ſingulorum nomina baptizare non ſolebant. Hinc Concilium Arelatenſe I. Anno Dom. CCCXIV. celebratum, in quæſtione iſtâ de hæreticorum baptiſmo definiendâ cautè diſtinguit inter eos qui in nomine SS. Trinitatis, & eos qui aliter baptizati ſunt: & priores quidem ad Eccleſiam ſe recipientes ſolâ manuum impoſitione admittendos, alteros vero de integro baptizandos eſſe ſtatuit. *De Afris*, inquit, *quòd propriâ lege ſuâ utuntur, ut rebaptizent, placuit, ut ſi ad Eccleſiam aliquis ab hæreſi venerit, interrogent eum Symbolum, & ſi præviderent eum in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto eſſe baptizatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum Sanctum. Quod ſi interrogatus, non reſponderit hanc Trinitatem, baptizetur.* Conc. Arel. 1. Can. 8.

IV. Sed quandoquidem de S. Baſilio ſermo nobis inſtituatur, obſervandum præterea eſt, eum, qui eodem quo D. Auguſtinus ſeculo vixit, ſed ſenior, omnium omnino hæreticorum baptiſmum repudiaſſe. Primo enim inter hæreſes, ſchiſmata, & illegitimos conventus diſtinguendum eſſe, & ab antiquis diſtinctum fuiſſe docet: Hæreſes enim vocat quæ de ipſâ in Deum fide ab Eccleſiâ diſſentiunt: Schiſmata quæ ob aliquas Eccleſiaſticas cauſas fiunt; Illegitimos autem conventus iſtiuſmodi appellat conventicula, quæ ab immorigeris Presbyteris, vel ab indocto populo ſeparatim ab Eccleſiâ Catholicâ celebrantur: Deinde eorum quidem qui ſchiſmata aut conventicula faciunt baptiſmum admitti poſſe affirmat, non item hæreticorum, quo nomine Manichæos, Valentinos, Marcioniſtas & Pepuzenos vocat. Can. 1. Et de hæreticis in genere dicit, τούτοις δὲ δῆλον ὅτι ἄνευ βαπτίσματος ἡ ἐκκλησία οὐ παραδέχεται, *Clarum eſt autem quod tales Eccleſia non ſine baptiſmate recipit.* Id. Can. 20. Quibus alibi accenſet Encratitas, Saccophoros, & Apotactitas, dicitque ἡμεῖς μέντοι ἑνὶ λόγῳ ἀναβαπτίζομεν τοὺς τοιούτους, *nos autem unâ ratione tales rebaptizamus.* Id. Can. 47. Quoniam ſcilicet veluti Marcioniſtarum,

rum, inquit, germen eſt eorum hæreſis, nuptias abhorrentium, & vinum averſantium, & Dei creaturam inquinatam eſſe dicentium, οὐ δεχόμεθα οὖν αὐτοὺς εἰς τὴν ἐκκλησίαν, ἐὰν μὴ βαπτισθῶσιν εἰς τὸ ἡμέτερον βάπτισμα, *Eos igitur in Eccleſiam non admittimus, niſi in noſtrum baptiſmum baptizati fuerint.* μὴ γὰρ λεγέτωσαν, inquit, ὅτι εἰς πατέρα καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα ἐβαπτίσθημεν, οἵγε κακῶν ποιητὴν ὑποτιθέμενοι τὸν θεὸν ἐφαμίλλως τῷ Μαρκίωνι, καὶ ταῖς λοιπαῖς αἱρέσεσιν. *Ne dicant enim in Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum baptizati ſumus, qui quidem Deum malorum eſſe effectorem exiſtimant, inſtar Marcionis & reliquarum hæreſium.* Unde conſtat S. Baſilium aliâ atque Auguſtinum opinione ductum fuiſſe, quod & iſtorum ſcilicet hæreticorum baptiſmus repudiandus ſit, qui licet Evangelicis in baptizando verbis uſi ſunt, de deo tamen male ſentiunt. Quam quidem opinionem ex his ipſis quos ſub manibus habemus Canonibus Apoſtolicis hauſiſſe videtur, ut qui hæreticorum in genere baptiſmum reſpuentes, doctiſſimo Canonumque Eccleſiaſticorum obſervantiſſimo viro occaſionem ſuſpicandi præbuerunt, nullum plane eorum qui Catholicæ de Deo Eccleſiæ dogmata impugnant, admittendum eſſe baptiſmum. Quod eo facilius inducor ut credam, quod idem ſanctiſſimus pater Eccleſiaſticorum de hac re editorum Canonum mentionem faciat, in primo ipſius ad Amphilochium Canone: & in quadrageſimo ſeptimo mox ante citato, neceſſe dicit, ut ſi aliter ſe res habere exiſtimetur, Canon Eccleſiæ ab Epiſcoporum Synodo exponatur. ὥστε ἐάν, inquit, ἀρέσῃ τοῦτο, δεῖ πλείονας ἐπισκόπους ἐν ταὐτῷ γενέσθαι, καὶ οὕτως ἐκθέσθαι τὸν κανόνα, ἵνα καὶ τῷ ποιήσαντι τὸ ἀκίνδυνον ᾖ, καὶ ὁ ἀποκρινόμενος τὸ ἀξιόπιστον ἔχῃ ἐν τῇ περὶ τούτων ἀποκρίσει. *Quamobrem ſi hoc placuerit, oportet plures convenire Epiſcopos, & ſic Canonem exponere, ut & is qui fecit, ſit extra periculum, & qui reſpondet, in reſponſione de his fide dignus habeatur.* Hinc enim liquet Eccleſiaſticum aliquem iſtis diebus extitiſſe canonem, quo ſub pœnâ ſancitum fuit, ne quis Epiſcopus aut Presbyter hæreticorum baptiſmum ſuſciperet. Qualis quidem eſt Canon Apoſt. XLVI. Epiſcopum & Presbyterum hæreticorum baptiſmum ſuſcipientes depoſitioni ſubjiciens, juxta quem propterea nemo extra periculum ſit, qui id facit. Cumque alius in omni antiquitate hujuſmodi non extet Canon, S. Baſilius hunc ipſum Apoſtolicum, cum iſta ſcribebat, præ oculis habuiſſe, nobis merito videtur. Tantæ porro apud piiſſimum hunc Patrem autoritatis fuit hic antiquus Canon, ut nihil contra latiſſimum illius ſenſum ſine Epiſcoporum Synodo tentari velit. Adeo ut baptiſmum ab omnibus ſuæ etiam ætatis hæreticis miniſtratum pro nullo habendum eſſe doceat, quoniam nimirum hic Canon hæreticorum in genere baptiſmum repudiat. Verumenimvero Canon longe ſtrictiori proculdubio ſenſu accipi poteſt, atque etiam debet.

Cum ſecundo enim ſeculo vel tertij ſaltem initio conditus fuerit, tales duntaxat hæretici in eo intelligendi ſunt, quales iſtis diebus exorti fuerant. Neminem autem iſtis ſeculis hæretici nomine notatum invenimus præter eos qui peſtiferis & blaſphemis de Deo Patre, vel Filio, vel Spiritu Sancto opinionibus imbuti erant: quique propterea baptiſmum juxta Dominicum præceptum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti ritè & Catholicè conferre non poterant. Ac proinde Canon de omnibus qui ob alias rationes poſtea hæreſeos inſimulati ſunt, proprie intelligi non poteſt: ſed de iis tantummodo qui priorum, quibus conſtitutus eſt, ſeculorum hæreticis ſimiles ſunt. Quales pauciſſimi poſt quartum ſeculum exorti ſunt. Utcunque è prædictis ſatis ſuperque conſtat argumentum è S. Auguſtino prolatum nihil contra autoritatem, nedum contra antiquitatem horum Canonum valere, præſertim cum ei S. Baſilium opponamus, idem quod hiſce Canonibus latiſſimè ſumptis conſtituitur, acerrimè defendentem.

V. Quod denique ad Nicænam ſpectat Synodum, miror quid erudito viro acciderit, ut eam etiam in graviſſimo errore verſari aſſereret, ſi quæ his Apoſtolicis Canonibus conſtituuntur, vera ſunt. Nihil enim apertius eſſe poteſt, quam Canonibus Nicænis cum Apoſtolicis de rejiciendo hæreticorum baptiſmo optimè convenire. Ut Canones enim Apoſtolici omnium generatim hæreticorum qui duobus primis æræ Chriſtianæ ſeculis exorti ſunt, baptiſmum explodunt, eoſque qui ab iſtis baptizati ſunt, ſi ad Eccleſiam Catholicam convertantur, de integro baptizandos eſſe decernunt. Sic etiam Patres Nicæni de Pauliniſtis, qui antiquis iſtis hæreticis ſimillimi ſuis demum ipſorum diebus Eccleſiam infeſtabant, ſpeciatim conſtituunt, ut converſi denuo baptizentur. Περὶ τῶν, inquiunt, Παυλιανισάντων, εἶτα προσφυγόντων τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ, ὅρος ἐκτέθειται, ἀναβαπτίζεσθαι αὐτοὺς ἐξάπαντος. *De Paulianiſtis, qui ad Catholicam demum Eccleſiam confugerunt, ſtatutum eſt, ut ij omnino rebaptizentur.* Syn. Nic.Can.19. Quid quæſo in hoc Nicæno Canone Apoſtolicis contrarium? Annon idem plane hic de quarti ſeculi, quod ibi de primi & ſecundi hæreticis conſtituitur? Quin imo inquit, vir doctus, *Synodus Nicæna ſolos ex omnibus hæreticis Paulianiſtas rebaptizandos pronunciavit.* Quid ita amabo? an quod ſolos Paulianiſtas nominet? id enim dicendum eſt. At qui Paulianiſtas rebaptizandos pronunciarunt, eo quod antea haud ritè vel non omnino potius in Chriſtianam fidem baptizati fuerant, iidem ſane omnium qui Paulianiſtis ſimilia vel pejora ſentiebant, hæreticorum baptiſma fruſtraneum & nullum fuiſſe, eodem halitu pronunciarunt. Paulianiſtas enim nominatim baptizandos eſſe decernunt, non quod iſto nomine nuncupati, ſed propterea quod Pauli Samoſateni hæreſi infecti eſſent; æternam Chriſti divinitatem negantes, eumque nudum eſſe hominem ore blaſphemo prædicantes. Hanc enim impiam fuiſſe Pauli Samoſateni opinionem.

nionem in Annotationibus ad hunc Nicænum Canonem fuſe probatum dedimus. Unde etiam conſtat, eum antiquam Artemonis & Theodoti hæreſin renovâſſe, ut obſervat etiam Euſebius, Hiſt. Eccl. lib. 5. cap. 28. Cum ex antiquis igitur iſtis, quorum baptiſma in Canonibus Apoſtolicis rejectum eſt, hæreticis nonnulli ſub Paulianiſtarum nomine Synodi Nicænæ tempore inventi eſſent ad Eccleſiam Catholicam confugientes, Synodus recognitâ, eos vero Chriſti baptiſmo recipiendos eſſe decernit, antiquos ſcilicet renovans & confirmans Canones in eos qui antiquas hæreſes in iſtis Canonibus damnatas renovabant: in omnes nimirum Παυλιανίζοντας, *Paulianizantes*, hoc eſt qui vel eaſdem quas Paulus Samoſatenus vel ſimiles opiniones amplexi ſunt. Sub quo propterea nomine non modo Pauli iſtius, verum & Theodoti, Sabellij, aliorumque hæreſiarcharum aſſeclæ comprehenſi ſunt: omnes ſcilicet qui Chriſti divinitatem, & perſonarum in divinâ naturâ Trinitatem negantes, baptiſmum juxta Domini præceptum in nomen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ritè adminiſtrare non poterant. Quorum propterea baptiſmus jure meritiſſimo repudiatur. Et ſiquidem Patres Nicæni hoc de Paulianiſtis decretum ediderint, nemini dubium eſſe poteſt, quin omnes etiam antiquos hæreticos ut Valentinianos, Baſilidianos, Marcioniſtas, Cerinthianos, Doſitheanos, Carpocratianos, Cataphrygas, Quintillianiſtas, Praxeanos, Hermogenianos alioſque, qui duobus prioribus Chriſtianiſmi ſeculis Paulianiſtis ſimiles, vel, ſi fieri potuit, pejores de Deo Chriſtoque opiniones effutiebant, Synodus Nicæna nominatim baptizandos pronunciâſſet, ſi iſtis iterum diebus erupiſſent. Eadem enim fuit de omnibus iſtiuſmodi hæreticis eorumque baptiſmo, quæ de Paulianiſtis ratio. Sed obſervandum præterea eſt Canonem iſtum Nicænum æque ac Apoſtolicos ordinationem non minus quam baptiſmum hujuſmodi hæreticorum repudiâſſe. Quemadmodum enim Canon. Apoſt. LXVIII. dicit, τοὺς παρὰ τῶν τοιούτων βαπτισθέντας ἢ χειροτονηθέντας, οὔτε πιστοὺς, οὔτε κληρικοὺς εἶναι δυνατόν. *Qui enim ab iis baptizati aut ordinati ſunt, ut fideles vel clerici ſint fieri non poteſt.* Sic etiam Canon Nicænus de Paulianiſtis ait, quod ſi qui apud eos tempore præterito in Clericorum numero erant, ſiquidem à culpâ & reprehenſione alieni viſi fuerint, ἀναβαπτισθέντες χειροτονείσθωσαν ὑπὸ τοῦ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἐπισκόπου, *rebaptizati ordinentur a Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopo.* Unde non modo conſtat, Patres Nicænos idem atque Canones Apoſtolicos de iſtiuſmodi hæreticorum baptiſmo & ordinatione ſenſiſſe, verumetiam exinde ſuſpicari licet decretum hoc Nicænum, nihil aliud eſſe quam Canones Apoſtolicos Paulianiſtis accommodatos, & de iis ſpeciatim expoſitos. Cum Canones enim Apoſtolici antiquorum generatim hæreticorum baptiſmum atque ordinationem nihil valere decreviſſent, aliique poſt iſtorum Canonum editionem exorti ſint hæretici, Paulianiſtæ dicti, antiquis illis ſimillimi, Synodo univerſali neceſſa-

neceſſarium viſum eſt, veteres illos de hæreticis in genere loquentes Canones, de Pauliniſtis poſtea exortis in ſpecie explicare, & ſancire, ut juxta quod antiquitus ſtatutum fuerat, iſtorum etiam tam baptiſmus quam ordinatio, nullo in numero habeatur. Patet ſaltem quod Canonum Apoſtolicorum non tantum antiquitas, ſed & autoritas ex hoc Nicæno iis conſentiente uſque adeo non evertitur, ut egregie potius confirmetur.

VI. Poſthæc clariſſimus vir alia nonnulla contra utramque Canonum Apoſtolicorum partem argumenta profert, de Pſeudep. lib. 3. cap. 19, 20. Quorum primum ex eo petit, quod hæc Canonum ſylloge non fuerit à veteri Eccleſiâ in Canonem ſcripturarum Apoſtolicarum relata. Hoc autem non noſtram ſed Turriani tantummodo ſententiam perſtringit, hos Canones ab ipſis Apoſtolis conditos aſſerentis. Alterum argumentum ex eo ſumitur, quod non fuerunt iſti Canones Eccleſiaſticorum Canonum Codici inſerti à veteribus, de quâ re in primo hujus tractatus libro fuſe à nobis diſputatum eſt. Ultimo autem contra ipſam horum Canonum antiquitatem ex eo diſputat, quod omnes, ut inquit, iſti Canones omnibus quatuor priorum ſeculorum Chriſtianis ignoti fuerint, quodque à nullo iſtorum temporum ſcriptore uſpiam memorati reperiantur. De hoc autem toto præcedenti libro diſſeruimus, & non modo hoſce Canones à quamplurimis iſtorum temporum ſcriptoribus memoratos graviſſimis ipſorum teſtimoniis oſtendimus, verum iſta etiam teſtimonia ab omnibus tam Dallæi quam Obſervatoris exceptionibus vindicavimus. Proinde non opus eſt, ut hiſce argumentis aliud hoc in loco reſponſum detur.

Finis Libri Secundi.

CODICIS CANONUM
ECCLESIÆ PRIMITIVÆ
Vindicati ac Illuſtrati
LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

Synopſis.

I. *Canon Apoſt. LXIX. de* Quadrageſimali, *necnon* quartæ, ſextæque feriæ jejunio, *hoc libro vindicatur.*

II. Jejunium Quadrageſimale *ante An. Dom. CCCLXX. paſſim celebratum fuiſſe, ipſe fatetur Dallæus. Idem ante An. D. CCCLXV. obſervatum fuiſſe, è Synodo Laodicena probatur.*

III. *Synodus* Nicæna *Quadrageſimam, non minus quam Autumni tempus, ubique & omnibus notam ſupponit.*

IV. *Id ipſe* Dallæus *negare nequit. Quod noſtræ de Canonum Apoſtolicorum antiquitate opinioni vindicandæ ſatis eſt.*

I. ETIAMSI Dallæus contra totam Canonum Apoſtolicorum collectionem ſtylum ſuum exercuerit, id tamen paucorum tantum gratiâ feciſſe videtur. E quorum numero nonus ſupra Sexageſimum jure merito cenſeatur: quippe qui de jejunio Quadrageſimali, de

quartæ item & ſextæ feriæ jejunio agit, quæ primitivæ Eccleſiæ incognita prorſus, vel ſaltem non religioſe obſervata fuiſſe, ille in ſingulari libro demonſtrare conatus eſt. Hanc itaque queſtionem, quatenus Canones Apoſtolicos attingit, nos ſummâ quâ poſſumus brevitate expedire moliemur. Canon autem de hâc re agens ſic jubet, Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ἀναγνώστης, ἢ ψάλτης, τὴν ἁγίαν τεσσαρακοστὴν τοῦ πάσχα οὐ νηστεύει, ἢ τετράδα ἢ παρασκευὴν, καθαιρείσθω· ἐκτὸς εἰ μὴ δι' ἀσθένειαν σωματικὴν ἐμποδίζοιτο· εἰ δὲ λαϊκὸς εἴη, ἀφοριζέσθω. *Si quis Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel Lector, vel Cantor, Sanctam Paſchæ Quadrageſimam non jejunat, vel quartam vel paraſceven, deponatur, præterquam ſi propter imbecillitatem Corporalem impediatur. Si ſit vero Laicus, ſegregetur.* Can. Apoſt. 69. Hunc Canonem Eccleſiæ Primitivæ moribus ac inſtitutis per omnia conſonare contendimus. Cùm autem duabus conſtet partibus, quarum una de Quadrageſimâ, altera de quartâ & paraſceve agit, nos ſigillatim de iis diſputabimus, à jejunio Quadrageſimali, ut priùs hic nominato, ordientes.

II. Primo autem jejunium quoddam plurium ante Paſchalem feſtivitatem hebdomadum, ante ſeptuageſimum quarti ſeculi annum, vulgo, & paſſim ab Eccleſiâ celebratum fuiſſe, ex D. Ambroſij, Baſilij M. Cyrilli Hieroſolymitani, Epiphanij, Gregorij Nazianzeni, & Nyſſeni, Chryſoſtomi, Auguſtini, Hieronymi, Theophili Alexandrini, aliorumque, qui ante prædictum vixerunt annum, opuſculis, & commentariis uſque adeo conſtat, ut ipſe etiam Dallæus illud negare nequeat, ſed tantorum virorum teſtimoniis victus, ingenuè confeſſus eſt, in ſingulari iſto libro, quem *de jejuniis & quadrageſimâ* edidit, lib. 3. cap. 10. Quo quidem libro cum ſe totum contra jejunia Eccleſiaſtica oppoſuerit, omniaque congeſſerit argumenta, quæ eorum antiquitatem quovis modo elevare videantur, iſtum imprimis in hac diſcutiendâ controverſiâ conſulamus, & objectionibus ibidem allatis reſpondeamus neceſſe eſt, ſi hunc Apoſtolicum Canonem eâ quâ par eſt fidelitate vindicare velimus. Quæ enim in libro de Pſeudepigraphis hucuſque citato ad hunc Canonem objecit, pauca, vel potius nulla ſunt eorum reſpectu, quæ in peculiari iſto tractatu, toto de jejuniis conſcripto, ex omni antiquitate corradere, omnem pro virili machinam adhibuit. In hoc ipſo autem libro, capite ſupra laudato, ingenuè, ut diximus, confeſſus eſt, Quadrageſimam ante Annum CCCLXX. paſſim celebratam fuiſſe. Ob quam quidem conceſſionem nullas ei debemus gratias, quandoquidem non modo Patres à nobis recenſiti illud ſæpenumero aſſeruerint, verumetiam Synodus Laodicena extra controverſiam poſuit; utpote quæ & Quadrageſimæ,

geſimæ, & plurium è quibus conſtitit hebdomadum ſæpe meminit. Edicit enim ὅτι οὐ δεῖ τῇ τεσσαρακοστῇ ἄρτον προσφέρειν, εἰ μὴ ἐν σαββάτῳ καὶ κυριακῇ μόνον. *Quod non oportet in quadrageſimâ panem offerre, niſi Sabbato, & dominicâ tantum.* Syn. Laod. Can. 59. Item, Ὅτι οὐ δεῖ μετὰ δύο ἑβδομάδας τῆς τεσσαρακοστῆς δέχεσθαι εἰς τὸ φώτισμα. *Quod non oportet poſt duas Quadrageſimæ hebdomadas ad baptiſmum admitti.* Can. XLV. Item, Ὅτι οὐ δεῖ ἐν τεσσαρακοστῇ τῇ ὑστέρᾳ ἑβδομάδι τὴν πέμπτην λύειν, καὶ ὅλην τὴν τεσσαρακοστὴν ἀτιμάζειν, ἀλλὰ δεῖ πᾶσαν τεσσαρακοστὴν νηστεύειν ξηροφαγοῦντας. *Quod non oportet in Quagrageſimæ poſtremâ ſeptimanâ quintæ feriæ jejunium ſolvere, & totam quadrageſimam dehoneſtare. Sed oportet totam quadrageſimam jejunare aridis veſcentes.* Can. L. Ne nuptiæ denique, nec natalitia in quadrageſimâ celebrentur, jubet. Can. LI. LII. In quibus, ut videre licet, Canonibus, non tantum Quadrageſima in genere, ſed & ſecunda, necnon ultima Quadrageſimæ ſeptimana commemoratur. Unde clariſſimè conficitur, Quadrageſimam in plures ſeptimanas diſtributam, totamque Synodi iſtius tempore religioſè admodum obſervatam fuiſſe. Habita eſt autem Synodus iſta Laodicena juxta opinionem noſtram in Annotationibus explicatam Anno circiter CCCLXV. Dallæus anteriorem aliquantulum facit, in Annum circiter CCCLX. eam conjiciens. Ac proinde diffiteri non potuit, quin Quadrageſima quarto ſaltem præcipiti ſeculo paſſim celebrata fuerit. Quod etiamſi noſtræ de Canonibus Apoſtolicis opinioni confirmandæ non ſufficiat, ex eo tamen colligere eſt, illud quod in præſenti Canone conſtituitur, in Eccleſiâ obtinuiſſe, longe ante quintum adultum ſeculum, quo Dallæus hanc collectionem primo conſarcinatam eſſe contendit.

III. Quod ſi jejunium Quadrageſimale quarto labente ſeculo, ipſo etiam Dallæo judice, uſu publico receptum fuerit, vix dubium eſſe poteſt, quin eodem ineunte in Eccleſiâ celebratum eſſet. Nihil enim in omnibus, quæ habemus, iſtius ſeculi monumentis occurrit, unde ſuſpicari licet, hunc ritum iſto demum currente, nondumque adulto ſeculo primum inſtitutum fuiſſe, & ab Eccleſiâ ſuſceptum. Si quid enim hujuſmodi occurriſſet, Dallæus, qui nullum non movit lapidem, quo jejunij hujus antiquitatem everteret, illud procul omni dubio lætus protuliſſet. Quod tamen nullus fecit. Sed nihilominus *profiteri auſus eſt*, ut ipſe ait, *non videri quadrageſimam in publico Chriſtianorum uſu ante Synodum Nicænam, hoc eſt, ante Annum Domini CCCXXV. extitiſſe.* De jejun. & quadrag. lib. 3. cap. 9. Hoc

ille totidem verbis profitetur. Quo tamen nihil inconſideratius, nihil falſius efferri potuit: ut ex ipſâ illâ Synodo Nicænâ videre eſt: quippe quæ Canone quinto duas quotannis in unaquaque provinciâ Synodos ad Eccleſiaſticas lites componendas celebrari jubens, tempeſtates quibus celebrandæ ſunt, his verbis definit. Αἱ δὲ σύνοδοι γινέσθωσαν, μία μὲν πρὸ τῆς τεσσαρακοστῆς, ἵνα πάσης μικροψυχίας ἀναιρουμένης, τὸ δῶρον καθαρὸν προσφέρηται τῷ Θεῷ: δευτέρα δὲ κατὰ τὸν τοῦ μετοπώρου καιρόν. *Synodi autem fiant, una quidem ante quadrageſimam, ut omnibus animi ſordibus ſublatis, purum munus Deo offeratur. Secunda autem circiter autumni tempus.* Ex his autem verbis vel cæcus videat, *Quadrageſimam* iſtis diebus æque cognitam fuiſſe atque ipſum Autumni tempus, ut cui hic opponitur. Omnes ſaltem Patres, qui huic Synodo intererant, in hoc primæ anniverſariæ Synodi conſtituendo tempore, non potuiſſent convenire, niſi Quadrageſimam in ſuis cujuſque provinciis quotannis celebratam fuiſſe probè nôſſent. Illi autem ex omnibus propemodum, tunc dierum cognitis terræ provinciis in hanc Synodum congregati ſunt. Ex Ægypto, Thebaide, Libyâ, Paleſtinâ, Syriâ, Arabiâ, Meſopotamiâ, Perſide, Ciliciâ, Cappadociâ, Armeniâ, minori majorique, Ponto Polemoniaco, Paphlagoniâ, Galatiâ, Aſiâ Proconſulari, Lydiâ, Phrygiâ, Piſidiâ, Lyciâ, Pamphyliâ, Inſulari, Cariâ, Iſauriâ, Cypro, Bithyniâ, Europâ, Daciâ, Myſiâ, Macedoniâ, Achaiâ, Theſſaliâ, Calabriâ, Africâ, Dardaniâ, Dalmatiâ, Pannoniâ, Galliis, Gothiâ, & Boſphoro, ut ex Actis patet. In omnibus ergo his provinciis, adeoque per omnem ferè terrarum orbem, ubi Chriſtiana religio colebatur, Quadrageſimam cognitam, obſervatamque fuiſſe ante hanc Synodum Nicææ coactam, unus hic Canon ab eâdem editus fidem pleniſſimam facit. Et ſi quæ aliæ eſſent provinciæ ſive Eccleſiæ, quæ nullos ad hanc Synodum Epiſcopos miſerant, iſtis etiam Quadrageſimæ non minus quam Autumni tempus notum eſſe Synodus hoc in loco pro conceſſo ſumit. Cavet enim ut hæc duo Concilia dictis temporibus καθ᾽ ἑκάστην ἐπαρχίαν quotannis habeantur. Καλῶς, inquit, ἔχειν ἔδοξεν, ἑκάστου ἐνιαυτοῦ καθ᾽ ἑκάστην ἐπαρχίαν δὶς τοῦ ἔτους συνόδους γίνεσθαι. Adeo ut omnes ubicunque conſtitutæ Eccleſiæ hoc decreto obſtringerentur. Quomodo autem hoc fieri potuit, ſi Quadrageſima, ante quam una ex hiſce Synodis perpetuo celebranda erat, nondum cognita eſſet, prius quam prima hæc univerſalis Synodus Canonem iſtum divulgârat? Vel quis eo credulitatis pervenit, ut fidem Dallæo habeat, aſſerenti, profitenti, vel etiam juranti Quadrageſimam in publico Chriſtianorum uſu ante Synodum Nicænam non extitiſſe, cum ipſa Synodus Nicæna ejuſdem ut certæ anni tempeſtatis, omnibus & ubique cognitæ mentionem fecerit?

rit? Quam ridiculum enim & abſurdum fuiſſet, præcipere, ut Synodus κατ᾽ ἑκάστην ἐπαρχίαν ante Quadrageſimam quotannis cogeretur, niſi ipſa etiam Quadrageſima κατ᾽ ἑκάστην ἐπαρχίαν celebrata fuiſſet? Quod ſi omnes ubique provinciæ Quadrageſimam antea celebrâſſent, atque ita pro comperto habuiſſent, quo anni tempore prima hæc anniverſaria Synodus juxta decretum Nicænum convocanda eſſet (quod quidem ex hoc ipſo Canone certiſſimum efficitur) cuinam unquam cauto prudentique viro perſuadebit Dallæus Quadrageſimam ante ipſam hanc Synodum in publico Eccleſiæ uſu non extitiſſe? Si talis quidem tamque diſertâ univerſalis Concilij Sanctio, quæ Quadrageſimam omnibus notam & percelebratam fuiſſe pro certiſſimo ſumit, eam nihilominus ante extitiſſe non probet, de veteris Eccleſiæ moribus fruſtra contendimus. Prorſus enim impoſſibile eſt, ut quivis ritus ab Eccleſiâ primitivâ uſitatus, dicam & quodvis antehac actum, dilucidiori, fortiorive argumento adſtruatur.

IV. Verum Dallæus etiamſi loco ante citato de Quadrageſimâ in genere tanquam ante Nicænam Synodum prorſus incognitâ loquatur, ſe tamen poſtea recolligens, Canonemque Nicænum attentiùs, ut opinor, inſpiciens, limitationem neceſſario adhibendam eſſe vidit. Negare enim non potuit, quin quadrageſima, ut hoc Apoſtolico Canone memorata, ante extitiſſet vulgo cognita: Sed negat tantummodo talem antea extitiſſe Quadrageſimam, qualis à Romanâ, aliiſque hodie Eccleſiis celebratur, quadraginta ſcilicet dierum. *Sed neque ipſe*, inquit ille, *Nicænæ Synodi Canon, ſi penitius inſpiciatur, ad firmandam iſtorum quadrageſimam ſufficere videtur.* Fatetur itaqne, *Quadrageſimam*, etſi non *iſtorum* hoc Nicæno Canone firmatam eſſe. Quod quidem nobis cauſæque noſtræ abunde ſufficit. Apoſtolicus enim, quem defendimus, pariter atque Nicænus Canon de Quadrageſima tantum generatim agit, non de hâc vel illâ, ut ab Eccleſiâ aliquâ particulari celebratâ. Contra quem nihilominus perinde diſputat vir doctiſſimus, ac ſi illud ſtatuiſſet quod omni antiquitati incognitum plane eſſet, & inauditum. *Contra vero*, inquit, *hunc antiquitati ignotum fuiſſe Canonem rectè ex eo concluditur, quod & vetuſtiſſimi Quadrageſimam minime obſervarent tribus prioribus Chriſtianiſmi ſeculis.* Dall. de Pſeudep. lib. 3. cap. 13. p. 578. Quâ ratione hoc aſſirmarit, non video, cum ipſe diſſiteri nequeat, Synodum Nicænam quarto ineunte ſeculo coactam de Quadrageſimâ tanquam omnibus cognitâ atque obſervatâ meminiſſe, ut illud enim quarto ineunte ſeculo omnibus obſervaretur, quod tribus prioribus minime obſervatum fuerit, ſapientis cujuſque fides ut incredibile prorſus & abſurdum reſpuit. Adeo ut ſi aliud non ſuppeteret argumentum, hoc ipſum à

primo

primo generali Concilio editum decretum, aliqualem ante iſtam Synodum obſervatam fuiſſe Quadrageſimam luculentiſſime demonſtret. Quod quidem Apoſtolicum hunc Canonem à novitatis ſuſpicione eſt vindicando; quippe qui quadrageſimæ eodem plane quo iſte Nicænus modo, ſub ſimplici ſcilicet τῆς τεσσαρακοστῆς nomine mentionem faciat. Qualis autem Quadrageſima in Canone vel Nicæno, vel Apoſtolico intelligenda ſit, & utrum talis fuerit, qualem Bellarminus, Perronius, aliique quos oppugnat Dallæus, defendunt, nihil eſt quod nos laboremus, qui non de Romanâ ſed Primitivâ Eccleſiâ diſputamus.

CAPUT II.

Synopſis.

I. *Quadrageſimam à* Syn. Nic. *memoratam unius, vel duorum, vel ad ſummum ſex dierum fuiſſe opinatur* Dallæus, *eamque opinionem duabus conatur firmare rationibus: quibus reſpondetur. Quid per* purum munus *iſto tempore oblatum intelligendum ſit.*

II. *Eodem quo habita eſt* Synodus Nicæna *ſeculo, quadrageſimam XL. dierum fuiſſe, ex D.* Ambroſio, Gregorio Nazianzeno, *aliiſque demonſtratur.*

III. *Exinde Quadrageſimam à Synodo Nic. memoratam XL. dierum fuiſſe legitimè concludatur.*

IV. *Idem ex ipſâ voce τεσσαρα-κοστὴ à Synodo uſitatâ evincitur.*

I. AT Videamus tamen nihilominus qualem in Nicæno Canone Quadrageſimam ſibi fingat eruditus vir. Fatetur equidem hoc nomine id jejunium intelligi, quod ante Paſcha paſſim omnibus celebrari ſolebat, quod τὴν νηστείαν τοῦ πάσχα vocat Clemens, Gangrenſis vero Synodus eodem fere quo Nicæna habita tempore, τὰς παραδεδομένας νηστείας εἰς τὸ κοινὸν, καὶ φυλασσομένας ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας, *Tradita in commune jejunia, & ab Eccleſiâ obſervata.* Quæ denique Conſtantinus apud Socratem τὰς ὡρισμένας νηστείας, *Jejunia definita* appellat. An vero hoc jejunium, inquit vir doctus, quod hactenus unius, vel alterius diei, aut ſex ad ſummum dierum fuerat, tunc temporis quadraginta dierum fuerit, non definit Synodus. Imo non fuiſſe quadraginta dierum vero propius videtur. Hæc eſt Dallæi de *Quadrageſimâ* à Canone Nicæno memoratâ opinio, quod ſcilicet etiamſi vocetur, non tamen erat *Quadrageſima*, ſive *Quadraginta* dierum jejunium, ſed jejunium unius vel alterius, vel ad ſummum ſex dierum. Dall. de jejun. & quadrag. lib. 3. cap. 9. Jejunium igitur antepaſchale Synodi Nicænæ tempore celebratum, & ab-

eâdem

eâdem Canone ſupra laudato indicatum fuiſſe fatetur. Sed affirmat tantummodo hoc non quadraginta fuiſſe dierum, ſed incerti, neſcit quantilli, ſed longe minoris numeri. Cùm vero Synodus jejunium iſtud τὴν τεσσαρακοστὴν diſerte nominet, non ſine cauſâ veritus eſt vir doctus, ut hæc aſſertio fidem apud lectorem inveniat, niſi certiſſimis rationibus ſuffulciatur. Quales tamen ille nullas proferre potuit. Dicit tantum primo, *Si fuiſſet illud quadraginta dierum jejunium plane incommodum accidiſſet cogi ante Quadrageſimam provinciales omnes Synodos, quod jubent Patres. Illæ enim Synodi in medium Februarium plerumque incidiſſent; Quod anni tempus ob dierum brevitatem, itinerumque difficultatem parum eſt, ut liquet, ad habendos hujuſmodi conventus opportunum.* Nimirum ac ſi ſanctiſſimi Patres Nicææ congregati in condendo hoc de provincialibus Synodis decreto, de dierum quantitate, de qualitate viæ, aliiſque iſtiuſmodi minutiſſimis rebus ſoliciti fuiſſent, quæ nullius plane momenti ſunt, cum magna Eccleſiæ negotia tractantur. Si hæc iis curæ fuiſſent, mediâ potius æſtate unam ſaltem ex anniverſariis Synodis celebrari præcepiſſent. Illud enim anni tempus ob dierum longitudinem itinerumque facilitatem longe opportunius videretur. Sed neutram tamen æſtate, ſed primam quidem ante Quadrageſimam, alteram Autumni tempore habendam eſſe decernunt. Quin ipſi etiam unam ſexcentis iſtiuſmodi argutiis præponderantem rationem reddiderunt, quare unam è Synodis ante Quadrageſimam haberi voluerunt, ut *Sublatâ* ſcilicet *omni ſimultate purum Deo munus offeratur.* E quibus tamen verbis, quod mirum eſt, Dallæus alterum ſuum fabricatus eſt argumentum, quo probaret Quadrageſimam hoc loco non eſſe Quadrageſimam ſive Quadraginta dierum jejunium. Nicæni enim Patres ſtatuunt unam ante Quadrageſimam celebrandam eſſe Synodum ἵνα πάσης μικροψυχίας ἀναιρεθείσης τὸ δῶρον καθαρὸν προσφέρηται τῷ Θεῷ, *ut omni ſimultate ac diſſenſione ſublatâ, purum munus offeratur Deo.* Id vero, inquit vir doctus, qui fieri potuit non equidem video, *ſi ſex ſeptemve hebdomadas Synodi initia à paſchali feſto abfuerint.* Quid ita quæſo? Annon *purum Deo munus* in Quadrageſimâ æque an in Paſchali feſto offeratur? Nicæni profecto Patres hoc in loco non omnino de munere aliquo in Paſchali feſtivitate offerendo, quo toti argumenti Dallæani vis fundatur, ſed de ipſo jejunio Quadrageſimæ loquuntur, quod ritè celebratum, *munus Deo oblatum* vocant, eo quod per iſtud tempus ſe ſinceræ pro peccatis anteactis contritioni, orationibus, eleemoſynis, vigiliis, vel, ut ſemel dicam, Deo in omnibus, quoad fieri potuit, accuratiſſime colendo, totos devoverent. Quod quidem Deo gratiſſimum fuiſſe munus, nemo, ut opinor, inficias eat.

Hoc

Hoc igitur Canone cautum eſt, ut una quotannis Synodus Provincialis ad omnes componendas lites ante Quadrageſimam habeatur, ne pietatis exercitia per ſubſequentem quadrageſimam obeunda, odio ac mutuâ inter fratres diſſenſione contaminentur: Sed ſublatis omnibus ſimultatibus totum ita tranſigatur jejunium, ut purum ſit munus Deo oblatum. Velut Paraphraſtes Arabicus hæc Canonis verba explicat,

اما المرة الاولي التي هي قبل الصوم الكبير المقدس فليكون
الصلح والمودة بين الجماعة كما ذكرنا ويكونوا انقيا القلوب
من افكار الشيطان ويكونوا مطهرين مثل الملايكة
النقيين القلوب ويرتفع عن كنيسة الله الضغاين في الصوم
القدس ويقربون لله قرابين نقية

Et prima quidem tempeſtas quæ eſt ante magnum ſanctumque jejunium conſtituitur, ut pax ſit atque amicitia inter cœtum, quemadmodum diximus, ſintque in cordibus ſuis à diabolicis cogitationibus puri, & Angelorum ad inſtar cordibus purorum ſanctificati, & odia in ſancto jejunio ex Eccleſiâ Dei tollantur, & ſic puras Deo oblationes offerant. Joſeph. Ægypt. in Syn. Nic. Can. V. Et Patres quidem Nicæni hoc loco aperte adeo de ipſo jejunio quadrageſimali, totoque per iſtud conſtructo operum ſacrorum corpore ſub muneris Deo oblati nomine loquuntur, ut ſatis mirari nequeam, quo demum fato in mentem Dallæo venerit, hæc Canonis verba de munere in Paſchali celebritate offerendo interpretari, de Euchariſtiâ ſcilicet tunc temporis celebrandâ. Præſertim cùm ſi hoc etiam ei demus, munus videlicet Euchariſticum hoc loco intelligendum eſſe, nihil ex eo conſequetur. Hoc enim munus non ſolum in feſto Paſchali, ſed per totam etiam Quadrageſimam, dominicis ſaltem & forte etiam Sabbatis, iſtis temporibus offerri ſolebat: ut è Synodi Laodicenæ Canone LIX. conſtat.

II. Nihil eſt ergo quod Quadrageſimam, in Canone Nicæno memoratam, paucis tantum ante Paſcha diebus inchoatam fuiſſe arbitremur. Multa potius ſuadent illud quadraginta fuiſſe dierum jejunium. Enimvero nihil dubij eſſe poteſt, quin Patres Nicæni per *Quadrageſimam* tale ſignificent jejunium antepaſchale, quod in publico Eccleſiæ uſu tunc temporis erat, vulgoque celebrabatur. At eodem quo habita eſt iſta Synodus, labente ſeculo, antepaſchale hoc jejunium quadraginta dies paſſim

 vulgo-

vulgoque peragebatur, ut è plurimis ac indubitatis ſeculi iſtius monumentis patet. Nam D. Ambroſius paucis poſt Synodum iſtam annis natus, & ante elapſum illud ſeculum denatus, non modo in ſermonibus, qui dubiæ nonnullis fidei videntur, verumetiam in genuinis ac indubitatis ſuis opuſculis, quadrageſimæ, ut jejunij quadraginta dies celebrati, frequentem mentionem fecit. Ut in libro de Noe & Arcâ, *Ut nunc jam*, inquit, *non pœnæ præſcripti ſunt dies quadraginta, ſed vitæ: ut hoc numero jejuniis & orationibus crebrioribus noſtrorum levemus ſupplicia peccatorum, atque ad decreta legis intenti devotione ac fide noſtrum corrigamus errorem. Itaque per Domini reſurrectionem quadrageſimus dies jam non habetur noviſſimus ſed primus.* Ambroſ. de Noe & Arcâ cap. 13. Et alibi, de quadraginta diebus tanquam myſtico numero loquens ait, *Tot jejunio dierum Domini nobis in Evangelium pateſcit ingreſſus. Unde ſi quis Evangelij gloriam, fructumque reſurrectionis optat adipiſci, myſtici jejunij prævaricator eſſe non debet: quod & in lege Moyſes, & in Evangelio ſuo Chriſtus utriuſque Teſtamenti autoritate præſcripſit fidele virtutis eſſe certamen.* Id. in Evangel. Lucæ lib. 4. Iiſdem fere diebus Gregorius Nazianzenus ſe quadraginta jejunâſſe dies in carminibus ſuis εἰς τὴν ἐκ τῆς σιωπὴν teſtatur, ſic incipientibus.

Ἴσχεο γλῶσσα φίλη, σὺ δὲ μοὶ γραφὶς ἔγγραφε σιγῆς
 Ῥήματα, καὶ φθέγγου ὄμμασι τὰ κραδίης.
Ἡνίκα σάρκας ἔδησα Θεοῦ βροτέοις παθέεσσι·
 Μύσιν ἄγων θυσίην, ὥς κε θάνοι βιότῳ.
Ἤμασι τεσσαράκοντα νόμοις Χριστοῦ βασιλῆος,
 Εὖτε καθαιρομένοις σώμασιν ἔσσετ' ἄκος.

Lingua ſile, mutam at vocem mea penna tabellis
 Scribe, oculiſque animi concine ſenſa tui.
Cum carnem aſtrinxi, cupienſque occumbere mundò,
 Suppliciis Chriſti myſtica ſacra tuli.
Vicenis, ut Chriſti lex fert, totidemque diebus
 Purgatæ carni cum medicina venit.

Sanctus quoque Hieronymus, qui eodem labente ſeculo claruit, jejunium

um ante Paſcha quadraginta diebus extenſum ſuâ fuiſſe ætate his verbis indicat, *Ipſe quoque Dominus verus Ionа miſſus ad prædicationem mundi, jejunavit quadraginta dies, & hæreditatem nobis jejunij derelinquens, ad eſum corporis ſui ſub hoc numero noſtras animas præparat.* Hieron. in Jon. cap. 3. Ut alia, quæ plurima proferri poſſunt, teſtimonia hic omittamus. Theophilus Alexandrinus Hieronymo æqualis, hoc luculentiſſimè demonſtrat, in primâ ſuâ Paſchali Epiſtolâ hæc habens, *Si poterimus imminentium jejuniorum iter capere, incipientes Quadrageſimam à triceſimâ die menſis Mechir, & hebdomadam ſalutaris Paſchæ quintâ die menſis Pharmuthi, finienteſque jejunia ſecundum Evangelicas traditiones veſpere Sabbati, decimâ die Pharmuthi, & illuceſcente ſtatim dominicâ feſta celebremus undecimâ die ejuſdem menſis.* Hic quadraginta Quadrageſimæ dies juxta menſes Ægyptiacos computantur, qui omnes erant τριακονθήμεροι, ſive *triginti dierum*, quibus ad finem anni quinque dies adjecti ſunt, ἡμέραι ἐπαγόμεναι propterea dicti. Dicit itaque Theophilus Quadrageſimam iſto anno cœpiſſe à triceſimâ ſive ultimâ die menſis Mechir (excluſâ) quem ſecutus eſt menſis Phamenoth triginta itidem dierum, quibus additi decem ſequentis menſis Pharmuthi dies (quorum ultimo finiendum eſſe jejunium aſſerit) quadraginta accuratè conſtituunt. Idem colligere licet è ſecundâ ejuſdem Epiſtolâ Paſchali, alio anno conſcriptâ, ubi ait, *Paſcha celebrare habentes, Quadrageſimæ exordium ab octavâ die menſis qui ſecundum Ægyptios vocatur Phamenoth, & ipſo præbente vires, attentius jejunemus hebdomadæ majoris*, i. e. *Paſchæ venerabilis die XIII. menſis Pharmuthi fundamenta jacientes, ita duntaxat ut juxta Evangelicas traditiones finiamus jejunia intempeſtâ nocte die XVIII. ſupradicti menſis Pharmuthi.* A menſis itaque Phamenoth die octavâ (excluſâ itidem) uſque ad duodeviceſimam Pharmuthi incluſam peragebatur iſto anno Quadrageſima, in priori ſcilicet menſe viginti duo dies & in poſteriori duodeviginti, qui collecti quadraginta præciſe efficiunt.

III. Cum pro comperto itaque certoque habeamus, jejunium antepaſchale, eodem quo habita eſt Synodus Nicæna ſeculo non unam duntaxat hebdomadam, nedum unam alteramve diem, ſed quadraginta dies celebratum fuiſſe, quis ſibi perſuadeat Quadrageſimam ab iſtâ Synodo memoratam, quod ipſe Dallæus jejunium antepaſchale fuiſſe fatetur, non quadraginta, ſed unius, vel alterius, vel ad ſummum ſex dierum fuiſſe jejunium? Anne uno eodemque ſeculo, imo quidem dimidiâ ſeculi parte tantum incrementum capere potuit hoc jejunium, ut à ſex ad quadraginta dies propagaretur? Si univerſalis Eccleſia Nicææ congregata Anno Dom. CCCXXV. in talem conſenſerit Quadrageſimam, qualis in ſomnis, ut opinor, primo viſa eſt Dallæo, paucorum ſcilicet dierum, ſtatuerit-

que ut Synodus Provincialis ante eam quotannis habeatur, quî quæſo factum eſt, ut eadem Eccleſia ſtatim poſtea longe aliam, majoremque Quadrageſimam, quadraginta nimirum dierum ubique celebraret? & tamen nulla tantæ in hoc jejunio immutationis veſtigia uſpiam appareant? Quid etiam quod D. Ambroſius quadraginta dierum jejunium utriuſque Teſtamenti autoritate, & Gregorius Nazianzenus νόμοις Χριϛȣ̃ βασιλῆος, præſcriptum affirment, Theophilus etiam Alexandrinus, aliique fere omnes quotquot eodem labente ſeculo de hoc jejunio meminerunt, idem ut à ſe celebratum, adeo antiquum habuerint, ut ad Evangelicas & Apoſtolicas traditiones referant? Annon hoc invictiſſimo eſt argumento, communem fuiſſe iſtius ſeculi ſententiam, antepaſchale jejunium quadraginta diebus commenſaratum, longe ante Nicænam Synodum, publico Eccleſiæ uſu receptum fuiſſe, & Quadrageſimam ab iſtâ Synodo memoratam, tantam fuiſſe, quantam ipſi peragebant? Quicquid ſane Dallæo, aliiſque in ejus ſententiam juratis videatur, nemo qui hæc animo prejudicij vinculis liberato expendit, dubitare poteſt, quin Quadrageſima à Patribus Nicænis celebrata, ejuſdem fuerit quantitatis atque ea quam alij ejuſdem ſeculi Patres ſuis diebus celebratam fuiſſe aſſeruerunt. Verum poſt paucos ab iſto Concilio elapſos annos, Quadrageſimam quadraginta dierum paſſim obtinuiſſe, uſque adeo palam eſt & manifeſtum, ut nec ipſe Dallæus illud negare queat: ac proinde eam, cujus iſtud Concilium mentionem fecit, ut omnibus cognitæ, nec plurium, nec pauciorum fuiſſe dierum, neceſſario concludendum eſt.

IV. Sed pluribus non opus eſt argumentis, cum ipſa vox quâ jejunium antepaſchale, à Synodo Nicænâ æque ac alibi perpetuo ſignificatur, illud quadraginta fuiſſe dierum clariſſimè eloquatur. Enimvero τεσσαρακοςὴ, *Quadrageſima* diſerte appellatur. Quid ita quæſo, niſi quod *quadraginta* dies peractum eſſet? Adeone inepti & literarum imperiti fuerint Niceni Patres, ut jejunium uno, alterove, vel ad ſummum ſex diebus completum τῆς τεσσαρακοςῆς nomine nuncuparent? Illi hoc Canone unam quotannis Synodum in unâquaque per totum terrarum orbem Chriſtianum provinciâ ante jejunium antepaſchale habendam eſſe definiunt, illudque tempus τῆς τεσσαρακοςῆς ſive *Quadrageſimæ* voce ut omnibus notâ indigitant. Quod ſi illi per iſtam vocem non jejunium quadraginta dies, quod ipſa vox denotat, celebratum voluerunt, ſed aliud neſcio quid à vocis iſtius ſignificatione longiſſime abhorrens; nemo intelligere potuit quid ſibi Patres velint: hæcque ab iis edita ſanctio ſibimet ipſa contradiceret, illud enim τεσσαρακοςὴ ab eâ appellaretur, quod non eſſet, imo vero quod cum numero τεσσαράκοντα, unde nomen ſortitur, nihil commune habet. Nos autem qui ſanctiſſimos illos Patres, ut fideliſſimos, ſtrenuiſſimoſque fidei

noſtræ

noſtræ aſſertores ſummâ, quâ poſſumus, veneratione proſequimur, nefas cogitatu ducimus, eos non modo voce ipſâ, verum univerſâ etiam Eccleſiâ tam mirum in modum abuti voluiſſe, ut in decreto ubique obſervando jejunium iſtud ſub vago, adeoque ridiculo *Quadrageſimæ* nomine ſignificarent, quod ultra ſex dies nullibi celebratum erat. Quam impropria, quam abſurda eſſet hæc loquendi formula? Eam tamen, Si Dallæo fides habeatur, ab ipſo etiam Concilio Nicæno uſurpatam habemus. Sed credat Judæus Apella, non ego, non quivis cordâtus Chriſtianus. Et præterea Patres Nicæni hanc vocem ad jejunium quadrageſimale denotandum primi non adhibuerunt, ſed eâ utuntur tanquam tritâ & vulgari voce, & in iſto ſenſu omnibus Eccleſiis ac provinciis probe cognitâ. Adeo ut cum decretum hoc de Synodo περὶ τῆς τεσσαρακοστῆς quotannis celebrandâ ad ſingulas provincias mitteretur, primo ſtatim intuitu Oecumenici Concilij mentem intelligerent. Quod fieri non potuit, niſi certa eſſet ac determinata vocis hujuſce in Eccleſiæ ſenſu notio. Quomodo autem hæc vox ad jejunium illud antepaſchale ſignificandum primùm tam publico univerſæ Eccleſiæ uſu recepta fuit? annon ex eo quod quadraginta dies iſti jejunio dicati fuerint? Qui aliam ſane authenticam vel etiam probabilem hujus nomenclaturæ cauſam invenire conatur, operam & oleum perdet. Adeo ut ſi aliis quibuſcunque ſuperſederemus argumentis, hæc ipſa vox τεσσαρακοστὴ, quâ jejunium ante Paſcha quarto currente ſeculo à Nicænis æque ac ab aliis Patribus vulgo indigitatum fuit, manifeſtiſſimè demonſtret, jejunium illud iſtis diebus non unius vel alterius, non quinque ſolummodo, nec ad ſummum ſex dierum, quod vult Dallæus, ſed quadraginta præciſe dierum fuiſſe, quod nos aſſerimus.

CAPUT

CAPUT III.

Synopſis.

I. *Ex eo quod alia ſubinde jejunia* Quadrageſimæ *nomine nuncupentur, opinio illa quæ antepaſchale XL. dierum fuiſſe ſtatuit, confirmatur potius quam deſtruitur.*

II. *Argumentum ex* Hieronymo *ſumptum, ex eodem eliditur. Vox Quadrageſima poſterioribus ſeculis commune fuit omnium jejuniorum nomen.*

III. *Palmario è* Socrate *petito argumento reſpondetur.*

I. ARGUMENTUM, quo quadrageſimam quadraginta fuiſſe dierum jejunium demonſtratur, ex ipſo nomine petitum, ut cuivis obvium, Dallæum latere non potuit. Qui propterea omnes experitur machinas, quibus vim illius elidere videatur. Quà de cauſà primo de vocis apud veteres uſu, dein de ratione appellationis diſputat. De jejun. & quadrag. lib. 3. cap. 9. Quod ad primum ſpectat, obſervat vir doctus, S. Hieronymum in Epiſtolà ad Marcellum de Montaniſtis loquentem dicere, *Illi tres in anno faciunt Quadrageſimas, quaſi tres paſſi ſint ſalvatores.* Hieron. Epiſt. ad Marcel. Unde ſic diſputat eruditus Dallæus, *Putaſne Montaniſtas tria quotannis jejunia celebrâſſe, quæ ſingula quadraginta dierum eſſent? Non puto te* (Bellarminum, quem alloquitur) *tam ſtultum eſſe, ut rem adeo abſurdam dicas.* Verum qui hoc dicit, non propterea neceſſe eſt, is ſtultus ſit. Nam D. Hieronymus nihil hic affirmat de quantitate trium iſtarum quadrageſimarum, quas à Montaniſtis celebratas dicit. Nec aliunde haurire licet quantæ illæ fuerint. Eas ſaltem Dallæus probare non potuit, pauciorum quam quadraginta dierum fuiſſe. Imo quidem inquit, Tertullianus dicit, *Montaniſtas duas in anno hebdomadas Xerophagiarum, nec totas, exceptis ſcilicet dominicis & ſabbatis, obtuliſſe Deo.* Tertull. de jejun, cap. 15. Hic autem Tertullianus de ſe & ſuæ

ſuæ ætatis Montaniſtis loquitur, non de ætate S. Hieronymi, quâ, ut palam eſt, Montaniſtæ tres quotannis quadrageſimas peragebant, quarum duæ illæ à Tertulliano memoratæ xerophagiarum hebdomades partes eſſe videntur. Nihil ſaltem ex hiſce vel D. Hieronymi vel Tertulliani verbis elici poteſt, ad evertendam eorum opinionem, qui quadrageſimam quadraginta perpetuo dierum fuiſſe arbitrantur, idque ex ipſâ hâc voce probant. Diſputatio enim non de vocis abuſu, à nonnullis forſitan admiſſo, ſed de proprio & peculiari ejus uſu, & præcipuè de origine & ratione inſtituitur. Quare ſcilicet jejunium Antepaſchale τεσσαρακοστὴ primo appellatum fuerit. Si demus enim erudito viro, hanc vocem, poſterioribus ſaltem ſeculis, in alienum a nonnullis ſenſum detortam fuiſſe, ut alia ſcilicet præter antepaſchale, eaque pauciorum quam quadraginta dierum jejunia deſignaret. Hoc tamen opinionem noſtram uſque adeo non deſtruit, ut confirmet potius. Non deſtruit quidem. Nos enim non moramur, nec diſputamus quo ſenſu Montaniſtæ, aliive Synodo Nicænâ poſteriores vel Catholici vel hæretici, ſed quo ſenſu ipſi Patres Nicæni hanc vocem uſurparunt, & quam ob rem hoc nomen jejunio antepaſchali primum impoſitum fuit. Nulla autem vel veriſimilis reddi poteſt ratio, quare jejunium iſtud τεσσαρακοστὴ *Quadrageſima* primo nuncuparetur, niſi quod τεσσαράκοντα *Quadraginta* dierum eſſet. Cum publico autem uſu ſemel receptum fuiſſet, ut magnum illud & præcipuum totius anni jejunium ita diceretur, tandem aliquando evenire potuit, ut alia etiam minora jejunia eodem nomine notarentur. Eo ſcilicet quod jejunium antepaſchale vulgo adeo paſſimque *Quadrageſima* vocaretur, ut progreſſu deinde temporis *Quadrageſima* & *jejunium* tanquam Synonyma haberentur, idem planè ſignificantia. Unde noſtra de jejunio antepaſchali opinio quadraginta dies ei adſcribens, egregiè confirmatur. Hinc enim conficitur hoc jejunij iſtius nomen vulgare tritumque fuiſſe, quo *Quadrageſima* ſcilicet à *Quadraginta* ab omnibus appellitaretur. Nihil autem à fide magis atque à ratione alienum eſt, quam ut omnes ſimul in tanto errore verſarentur, quo jejunium illud *Quadrageſimam* vocarent, quod nihil cum *quadraginta* communionis aut commercij habebat: Sive quod idem eſt, ut omnes jejunium antepaſchale præter contraque omnem rationem *Quadrageſimam* nominarent.

II. Nihil eſt ergo quod Dallæus quicquam ſibi ex iſtis D. Hieronymi verbis polliceatur. Præſertim cum ſi totus inſpiciatur locus, ipſum ſententiæ ejus jugulum petat. Hæc enim ibi habet ſanctiſſimus Pater, *Nos unam Quadrageſimam ſecundum traditionem Apoſtolorum toto anno, tempore nobis congruo jejunamus. Illi tres in anno faciunt quadrageſimas, quaſi tres paſſi ſint Salvatores.* Hieron. Epiſt. ad Marcell.

Hinc

Hinc enim conſtat jejunium quadrageſimale, hujus etiam Patris ætate, hoc eſt quarto labente ſeculo, tantæ antiquitatis habitum fuiſſe, ut ab ipſis Apoſtolis traditum videretur: Conſtat item unum tantummodo jejunium Catholicis tunc temporis fuiſſe, quod *Quadrageſima* vocabatur, quotquot alia ſub iſto nomine à Montaniſtis hæreticis obſervarentur. Quid etiam ſi Amalarius Fortunatus, Rabanus Maurus, & Durandus Mimatenſis à Dallæo laudati, tres ab Eccleſiâ ſuis temporibus obſervatas fuiſſe quadrageſimas, ſcilicet ante paſcha, circa feſtum S. Johannis, & ante nativitatem Chriſti, dicant? Iſti ſane ſcriptores aliquot poſt ipſum D. Hieronymum ſeculis claruerunt, cum vox *Quadrageſima* antiquiſſimum illud Eccleſiæ jejunium antepaſchale tot ſeculorum ſpatio ſignificârat, ut tandem aliquando commune nonnullis videretur omnium anniverſariorum Eccleſiæ jejuniorum nomen. Quapropter etiamſi duo illa ultima jejunia pauciorum fortaſſe quam quadraginta eſſent dierum, & *Quadrageſima* nihilominus καταχρηστικῶς à ſcriptoribus iſtis vocentur, nihil tamen vetat, quin jejunium antepeſchale, quod primum *Quadrageſima* nominatum eſt, illudque ſuum aliis poſtea jejuniis nomen mutuo dedit, iſto propterea nomine indigitatum fuerit, quod quadraginta definitè dierum eſſet.

III. Sed & Socrates, inquit vir doctus, Hieronymo quidem junior, ſed Amalario & Rabano multo vetuſtior, jampridem hunc vocis quadrageſimæ uſum obſervaverat & miratus fuerat. Cum enim variam diverſorum in obſervando antepaſchali jejunio conſuetudinem memorâſſet, καὶ θαυμάσαι μοὶ ἔπεισι, inquit, πῶς οὗτοι περὶ τὸν ἀριθμὸν τῶν ἡμερῶν διαφωνοῦντες τεσσαρακοστὴν αὐτὴν ὀνομάζουσι. *Ac mihi quidem mirari ſubit, quâ ratione iſti, licet de numero dierum inter ſe diſſentiant, eodem tamen nomine Quadrageſimam vocent.* Socrat. Hiſt. Eccl. lib. 5. cap. 22. Hæc quidem Socratis eſſe verba fateor. Fateor etiam eum iſthoc in loco, dicere Romanos tres continuas hebdomades ante paſcha, excepto Sabbato & Dominico die jejunâſſe: Illyrios autem, Græcos, & Alexandrinos, ſex hebdomadas ante paſcha, ſabbatis itidem & dominicis exceptis obſervâſſe: alios denique ſeptimâ ante paſcha hebdomade jejunium exorſos eſſe, ſed tres duntaxat ſeptimanas, quinque dierum ſingulas, per intervalla jejunâſſe: & omnes tamen hoſce ut ut in numero dierum diſcrepantes, jejunium tamen a ſe celebratum, *Quadrageſimæ* nomine nuncupâſſe. Et quod ſupereſt, fateor, Socratem alioſque poſt eum, miratos fuiſſe, quâ ratione iſti jejunium pauciorum quam quadraginta dierum *Quadrageſimam* nihilo minus appellarent. Hinc autem jejunium antepaſchale *Quadrageſimam* propterea non appellatum fuiſſe, quod quadraginta dierum eſſet, legitime concludi poſſe, omnino diffiteor. Ut mittam enim Socratem cum hæc ſcribebat, hæreſi Novatianorum infectum fuiſſe, qui omnia

omnia feſta & jejunia liberæ obſervationis eſſe contendebant, vel cupiebant ſaltem: hoc ipſo in loco ait, Οἱ μὲν ἐν Ῥώμῃ τρεῖς πρὸ τοῦ πάσχα ἑβδομάδας, πλὴν τοῦ σαββάτου καὶ κυριακῆς συνημμένας νηστεύουσιν, *Nam qui Romæ ſunt tres continuas hebdomadas ante paſcha, exceptis ſabbato & dominicâ, jejunant.* Ubi non modo D. Auguſtino contradicit, qui cum multis aliis Romanos ſabbato jejunâſſe aſſerit, verum & ſibimet ipſe contradicit; nonnullis enim poſt verba ante citata interjectis, ſui oblitus ait, ἐν Ῥώμῃ πᾶν σάββατον νηστεύουσι. Quomodo autem Romani omne ſabbatum jejunare poterant, ſi etiam in quadrageſimâ ſabbata jejunio ab iis eximerentur? Parum itaque fidei in hiſce rebus ad hiſtoriam ſuam minime pertinentibus Socrati habendum eſt. Sed concedamus Dallæo veriſſima eſſe quæ Socrates hoc in loco de obſervationis quadrageſimalis diverſitate in diverſis Eccleſiis ſcripſit. Nihil tamen hic dicit, quod Dallæus in rem ſuam vertat, omnia potius noſtræ favent opinioni. Ex his enim Socratis verbis videre eſt, aliquantum ante paſcha jejunium ab omnibus tunc temporis Eccleſiis obſervatum fuiſſe. Et quidem ſub nomine τῆς τεσσαρακοστῆς, unde hoc commune fuiſſe & ubique receptum jejunij iſtius nomen manifeſtiſſimò conficitur. Sed Socrates, inquis, miratus eſt, ut Eccleſiæ ab ipſo memoratæ in numero dierum hujus jejunij diſſentirent, & omnes tamen illud τὴν τεσσαρακοστὴν nominarent. Eſto. Hoccine autem tuæ eſt opinioni adſtruendæ? imo vero funditus eam diruit. Hinc enim neceſſario conſequitur Socratem in noſtrâ fuiſſe ſententiâ, quæ jejunium antepaſchale τεσσαρακοστὴν *Quadrageſimam* propterea dictam fuiſſe judicat, quod *quadraginta* eſſet dierum. Alioquin enim mirari non potuit, ut pauciorum dierum jejunia iſthoc nomine indigitarentur. Quod ſi hoc verum ſit, ut nos contendimus, Antepaſchale quadraginta dierum jejunium æque antiquum ſit neceſſe eſt, atque ipſa vox τεσσαρακοστὴ ad illud ſignificandum uſitata. Si vox enim iſta, ut Socrates juxta ac nos volumus, dies quadraginta denotet, jejunium antepaſchale propterea tantum iſto nomine primo nuncupari potuit, quod quadraginta dies celebraretur. Ita autem ut videmus à Concilio Nicæno vocatur: ac proinde nihil dubij eſſe poteſt, quin jejunium hoc ante iſtum conſeſſum Quadraginta dierum fuerit. Sed miratus eſt Socrates ut jejunium quindecim aut triginta dierum à ſingularibus Eccleſiis *Quadrageſima* diceretur! Quanto magis miratus fuiſſet, ſi ipſi etiam Patres Nicæni ex univerſâ Eccleſiâ congregati, jejunium unius, vel alterius, vel ad ſummum ſex dierum, iſto nomine appellâſſent? Hoc autem non miratus eſt, quandoquidem probe novit, Synodum Nicænam proprie locutam eſſe, & per *Quadrageſimam* illud voluiſſe quod ipſa vox ſonat, *quadraginta* ſcilicet dierum jejunium. Quem quidem primum fuiſſe ac genuinum vocabuli iſtius, ut ab Eccleſiâ

 uſitati,

uſitati, ſenſum, nemo unquam ante Dallæum vel negavit, vel negare potuit: Saltem non Socrates, qui miratus eſt ut alio ſenſu ab ullis unquam acceptum fuerit. Quocirca ſi quos Dallæus voce iſtâ ita abutentes inveniſſet, ſatius fuiſſet & rationi magis conſentaneum, ut illud cum Socrate miraretur, quam ut ex tantâ vocis abuſione ab uno vel altero contra communem Eccleſiæ ſenſum uſurpatâ, eam nullibi, nec ab ipſâ Synodo Nicænâ proprie uſitatam fuiſſe, probare niteretur. Præſertim cum magno conatu nihil egerit, ut è ſupradictis patet.

C A-

CAPUT IV.

Synopſis.

I. *Argumentum è* Caſſiano *petitum refellitur, eumque* Quadrageſimam *eo dictam putâſſe oſtenditur, quod* quadraginta *dierum eſſet.*

II. *Vocis* Quadrageſimæ *ratio à* Dallæo *exinde Sumpta, quod XL. horarum eſſet jejunium.*

III. *Iſtam rationem nequaquam admitti poſſe probatur, ex eo quod iſtiuſmodi jejunij nuſquam in omni antiquitate, nedum in* Synodo Nicænâ *mentio fiat.*

IV. Rigaltij *de hujus nomenclaturæ ratione conjectura à* Dallæo *laudata, refellitur. Ea* Dallæanam *ſententiam deſtruit.*

V. *Vera vocis* Quadrageſimæ *ad jejunium antepaſchale denotandum uſitatæ ratio explicatur.* τεσσαρακοστὴ *à quadrageſimo die ante paſcha vocatur, ut* πεντηκοστὴ *à quinquageſimo die poſt Paſcha.*

VI. *Quo ſenſu vox* τεσσαρακοστὴ *à Synodo Nicænâ uſurpatur.*

I. POSTHÆC Dallæus de hujus nominis jejunio Antepaſchali impoſiti ratione diſputat. Et primo obſervat Caſſianum rationem hujus rei, quod jejunium ſcilicet iſtud *Quadrageſima* vocatur, non ex eo repetere, quod quadraginta dierum eſſet, ſed longe aliunde: Is enim præfatus rationem hujus rei humanâ obliteratam eſſe incuriâ, hæc addit, *Tempus hoc quo anniverſariæ, ut dictum eſt, decimæ Deo triginta ſex ſemis jejuniis offeruntur, Quadrageſimæ nomen accepit, quod fortaſſe vel propter hoc viſum ſit hoc vocabulo debere cenſeri, quod Moſes, vel Helias, vel ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus quadraginta diebus jejunâſſe traduntur. Ad cujus numeri Sacramentum, illi quoque quadraginta anni, quibus Iſrael eſt in ſolitudine commoratus, & quadraginta ſimiliter manſiones, quibus eam myſticè pertranſiiſſe deſcribitur, non incongruè cooptantur. Et fortaſſe ipſa decimatio rectè, quaſi ab uſu telonei, quadrageſimæ nomen accepit.*

 Ita

Ita enim illa publica vulgo vocatur exactio, ex quâ tanta lucri portio regis commodis deputatur, quantum & à nobis à rege omnium ſeculorum pro uſu vitæ noſtræ legitimum Quadrageſimæ vectigal exigitur. Caſſian. Coll. lib. XXI. cap. 28. Hæc fateor, Johannes Caſſianus S. Johannis Chryſoſtomi quondam diaconus, loco citato habet. Ut autem exinde ſequatur quod vult Dallæus, jejunium ſcilicet ante paſcha Quadrageſimam vocari non quod quadraginta eſſet dierum, ſed ob alias, neſcio quas, rationes, me prorſus fugit. Enimvero quæſtio, cui hic reſpondet Caſſianus, his verbis ab ipſo propoſita eſt, *Quid cauſæ eſt, ut ſex hebdomadibus quadrageſima celebretur, licet in quibuſdam provinciis, religionis forſitan propenſior cura adjeciſſe hebdomadem etiam ſeptimam videatur, cum neuter numerus die dominico ſabbatoque ſubtracto quadraginta dierum impleat numerum? Sex enim & triginta dies in ipſis hebdomadibus tantummodo concluduntur.* Caſſian. ibid. cap.24. Ex ipsâ hâc quæſtione ita propoſitâ conſtat, communem iſtis diebus opinionem fuiſſe, quadrageſimam à quadraginta dierum numero nuncupatam eſſe, ac propterea Caſſianum alioſque æque ac Socratem miratos eſſe ut jejunium illud ſex tantum & triginta diebus ab Eccleſiâ Græcâ celebratum, *quadrageſima* nihilominus diceretur. Priuſquam porro Caſſianus ad hanc reſpondet quæſtionem, rationem reddit, quare jejunium antepaſchale triginta ſex tantummodo diebus ſolidis à nonnullis Eccleſiis compleatur, eo ſcilicet quod triginta ſex dies cum dimidio, à nocte ſabbatum magnum inter & dominicam fluente & vigiliis peractâ, deputato, decima ſit pars totius anni, quam Deo è Moſaicâ de decimis lege offerre tenemur. Ad ipſam autem quæſtionem, *quare vocetur Quadrageſima cum triginta ſex tantummodo diebus jejunetur*, verbis ſupra laudatis reſpondet. Quæ quidem longe alia eſt quæſtio atque ea de quâ nos diſputamus. Nos enim quærimus, annon vox Quadrageſima de jejunio antepaſchali uſurpata, quadraginta dies in eo tranſactos proprie ſignificet? Hoc nos aſſerimus, nec diſſentit Caſſianus, ſed ſuâ etiam aſſenſione comprobat: ac propterea aliam iſtam proponit quæſtionem, *quare* ſcilicet, *cùm* vox Quradrageſima quadraginta dies propriè denotet, illud tamen jejunium Quadrageſima vocetur, quod non quadraginta ſed triginta ſex tantummodo diebus celebratum eſt? Hoc Caſſiani diebus plurimi ſine dubio mirabantur. Quibus ille nodum ſolvere conatur; adhibitâ tamen cautione, ne quid Eccleſiæ, in quâ educatus fuerat, cujuſque membrum erat, detraheret. Enimvero in promptu erat reſpondere, Eccleſiam Græcam triginta ſex tantummodo dies iſti jejunio conſecrantem, à primâ illius inſtitutione aliquantulum diſceſſiſſe. Cùm primum enim inſtitutum fuit, quadraginta dierum erat: ac eam ob cauſam *Quadrageſima* proprie vocabatur. Quod ſi ita reſpondiſſet Caſſianus, ſuam Eccleſiam condemnâſſe videretur, ut primitivæ hujus jejunij inſtitutioni

non

non accuratè inſiſtentem. Et etiamſi ita directè non reſpondeat, clare tamen indicat, *Quadrageſimam* à *quadraginta* diebus in eâ jejunatis vocatam eſſe. Prima enim & præcipua, quam affert, hujus nominis ratio eſt, *quod Moſes, vel Helias, vel Dominus noſter Jeſus Chriſtus quadraginta diebus jejunâſſe traduntur.* Quod ſi hoc antepaſchale Chriſtianorum jejunium, ſuum ab iſtis quadraginta dierum jejuniis nomen acceperit, ipſum procul omni dubio quadraginta etiam dierum primo inſtitutum fuit, & *Quadrageſima* propterea dictum. Et hæc quidem vera erat ac genuina nominis ratio. Et licet alias poſtea rationes longe petat, à numeri ſcilicet quadragenarii ab Iſraelitis in ſolitudine obſervati myſterio, & à quadrageſimâ lucri portione à regibus ſui temporis longe poſt primam jejunij antepaſchalis inſtitutionem, exactâ, interim tamen non negat, ſed concedit potius veriorem hujus nominis rationem ex eo petendam eſſe, quod primo quadraginta eſſet dierum, ad imitationem jejunij à Moſe, Heliâ, atque ipſo etiam Servatore noſtro celebrati. Quam propterea primo in loco poſuit.

II. Cùm ea vero quæ de variis hujus nominis rationibus commentatus eſt Caſſianus, ab ingenio potius quam à re ipſâ habuiſſe, luſiſſeque fortaſſe verius quam ſerio philoſophatus eſſe ipſi etiam Dallæo iſte videatur, ab eo ad ipſum Dallæum regrediatur oratio, qui longe petitis Caſſiani rationibus haud contentus, novam ipſe confinxit. Confinxit, inquam, neque enim pluſquam figmentum dici poteſt. Dicit enim vero Irenæum docuiſſe ſuâ memoriâ fuiſſe, qui paſchale jejunium quadraginta diurnis, nocturniſque horis continuarent; quæ jejunandi, inquit, ratio proxime ad ipſius jejunij cauſam acceſſiſſe videtur: quod plerique ideo ſuſcipiendum putabant, quod tunc temporis ſponſus ablatus eſſet. Abfuit autem ſponſus horas circiter quadraginta, quod ipſi quoque ſpatium jejunabant. Ergo non à dierum, qui nuſquam quadraginta apud Vetuſtiſſimos apparent, ſed ab harum potius horarum numero, primam manâſſe putaverim illam Quadrageſimæ appellationem. Ut antepaſchale jejunium *Quadrageſima* dictum fuerit, tum quod ad lugendam ac commemorandam illam Domini Chriſti quadraginta horarum abſentiam ſuſciperetur, tum quod paucis quibuſdam initio, mox vero pluribus, totidem ipſum horas continuaretur, hæc Dallæus, de jejun. & quadrag. lib. 3. cap. 9. pag. 492, 493.

III. Hoc eruditi viri commentum infirmo, vel nullo potius innititur fundamento. Fundatur enim, ſi ullibi fundatum dicatur, in Irenæi verbis falſo interpretatis. Irenæus enim nuſquam docuit ſuâ quoſvis memoriâ fuiſſe, qui paſchale jejunium quadraginta diurnis nocturniſque horis continuarent, ut paulo poſt, Deo adſulente, oſtenſuri ſumus. Neque ulla extant in omni antiquitate Eccleſiaſticâ prodigioſi iſtius quadraginta horarum jejunij veſtigia. Ac proinde fieri non potuit ut vox

Qua-

Quadrageſima ab eo quod nullum unquam fuit, jejunio deduceretur. Quid autem ſi largiamur erudito viro, unum vel alterum fortaſſe in Eccleſiâ primitivâ ſolas quadraginta horas, quibus ablatus eſt ſponſus, jejunos tranſegiſſe? Hoccine *Quadrageſima* vocari potuit? & quidem ab univerſâ Eccleſiâ in Concilio Nicæno congregatâ? Sane Patres Nicæni voce iſtâ tanquam omnibus & ubique cognitâ utuntur; Generales vero ritus voceſque Eccleſiaſticæ, non à ſingularium aut paucorum hominum, ſed ab univerſalis Eccleſiæ uſu praxique derivari ſolent. Quocirca niſi probaverit Dallæus hoc non modo à privatis quibuſdam hominibus, ſed à majori, vel magnâ ſaltem Chriſtianorum parte in more poſitum fuiſſe, ut quadraginta præciſè horas ante paſcha jejunarent, niſi hoc inquam probaverit, nunquam efficiet, Quadrageſimam à quadraginta horis nuncupatam fuiſſe: Illud autem nec ipſe probavit, nec unquam probari poteſt. Adhæc ſi Quadrageſima à quadraginta horis dicatur, quænam obſecro ex iſtis quadraginta horis *Quadrageſima* propriè dicatur? Hoc enim neceſſarium eſt quæſitu, quandoquidem nomen illud adjectivum eſt, quod ſuum poſtulat ſubſtantivum, quo cum cohæreat: ut hæc vel illa quadrageſima dicatur hora, à quâ totum illud quadraginta horarum ſpatium nomen ſuum mutuetur, ut in vero hujus nominis etymo explicando mox videbimus. Vereor autem ut hora illa vel ratione vel teſtimonio unquam indicetur. Nos porro hoc in loco de voce iſtâ ut à Synodo Nicænâ uſitatâ diſputamus. At Dallæus paulo ante dixerat, imo quidem concluſerat, *illam quam Patres Nicæni ſignificant Quadrageſimam, non ſex ſeptemve hebdomadibus, ſed paucis, id eſt quinque vel ſex diebus ante paſchæ feſtum fuiſſe inchoatam*, pag. 483. Ipſum itaque adverſarium teſtem, vel etiam judicem advocamus, annon vox *quadrageſima*, ut à Patribus Nicænis uſurpata, plus ſignificet quam quadraginta horas? Nullus dubito, quin ſi ſibi conſtiterit, hoc concedet. Quæſtio itaque recurrit, quo ſenſu jejunium Antepaſchale *quadrageſima* vocetur à Concilio Nicæno? ſenſu quidem Dallæano, qui Quadrageſimam à quadraginta horis deducit, ita vocari non potuit, ſiquidem ipſe quinque vel ſex dies tunc temporis jejunatos fuiſſe confitetur. Reſtat igitur ut noſtro vel univerſalis potius Eccleſiæ ſenſu, à quadraginta diebus jejunio ante paſcha dicari ſolitis nomen illud acceperit, idque longe ante conſeſſum Nicænum, utpote qui pro conceſſo ſumit, neminem latere, quid ſibi velit vox iſta *quadrageſima*. Quod tamen fieri non potuit, niſi diu ante uſitata fuiſſet.

IV. Veritus autem eruditus vir, ne aliquem incredulum adeo lectorem inveniret, qui nullam huic conjecturæ citra omnem rationem prolatæ fidem adhibeat, aliam à Rigaltio excogitatam nomenclaturæ hujus rationem in medium protulit. Poſt eam enim quam ipſe effinxit, explicatam, addit protinus, *Quæ ſi cui non ſatisfaciat, eſt & altera ſane elegans &*

ingenioſa

ingenioſa apud Rigaltium. Enimvero is vero propius eſſe cenſet, priſcos Chriſtianos divinis & Apoſtolicis formatos inſtitutis, jejunia ſua à Quadrageſimali Chriſti jejunio, Quadrageſimam nuncupâſſe, ut ſignificarent Judaica non eſſe ſed Chriſtiana. Itaque memores adeptæ dominici paſſione libertatis, quæ in Paraſcevæ diem inciderat, Paraſcevam quidem jejunio ſacraviſſe, ut eſſet eo die, quod ait Septimius libro de oratione, communis & quaſi publica jejunij religio. Cujuſmodi jejunium mox declarandi luctus à dominicâ paſſione concepti ſtudio in ſabbatum produxiſſe: Sic tamen ut & jejunia quidem alia commendandis orationibus ſuis utilia ſervarent, ſed ex arbitrio cujuſque diverſa, maxime autem ritus illius Sabbatici jugo libera. *Adeo ne quid Judaizare videretur Paraſceveæ Chriſtianæ ſeu Paſchæ σταυρωσίμου & Sabbati ſequentis jejunium non Paraſcevam, neque Sabbatum appellaviſſe, ſed Quadrageſimam; ut jam eſſet Chriſtianum jejunium, non Paraſcevæ, neque Sabbati, ſed Quadrageſimæ illius jejunio Chriſti plane divino tranſactæ Sacramentum.* Et mox addit, *Apoſtolis conſilium fuiſſe, ut obliteratis Judæorum Sabbatis, jejunia ſua Chriſtiani, quæ Domino ſuo tantula pro tantis offerrent, de jejunij Dominici ſpatio vocitarent, ut qui minus ea quirent aſſequi reapſe, ſaltem memoriâ venerarentur.* Rigalt. ad Tertull de jejun. p. 118.

Quare Dallæus hoc Rigaltij commentum tanquam *elegans atque ingenioſum* laudaret, non video, niſi forſitan quod ſuo ſit ſimile, hoc eſt, veri diſſimillimum. Primo enim dicit Priſcos Chriſtianos jejunia ſua quadrageſimam à quadrageſimali Chriſti jejunio nuncupâſſe, ut ſignificarent Judaica non eſſe, ſed Chriſtiana. Hoc autem iſtâ voce minimè ſignificatur, utpote quæ à quadrageſimali Moſis & Heliæ æque ac Chriſti jejunio derivata, Judæis ſaltem, videretur. Deinde innuit hæc conjectura primitivos Chriſtianos ne Judaizare viderentur, ab ipſis etiam Judæorum vocibus abhorruiſſe; cujus contrarium è Paraſceve, Sabbato, Paſcha, Pentecoſte, aliiſque innumeris à Chriſtianis pariter atque à Judæis ſemper paſſimque uſitatis vocabulis patet. Adhæc illud ſibi hic aſſumit, quod probare debuit, ſed nequaquam potuit, ſolum Paraſceves & Sabbati ſequentis jejunium *quadrageſimam* dictum eſſe: idque ex ipſo Apoſtolorum conſilio, cujus rei nec in Apoſtolicis ſcriptis neque in Eccleſiaſticis vel vola extat, vel veſtigium; ſed omnia potius in contrarium eunt: uſque adeo ut ipſe etiam Dallæus negare nequeat, quin vox τεσσαρακοστὴ in Canone Niceno quinque ſaltem vel ſex dies ante paſcha jejunio dicatos ſignificet. Quid etiam quod dicit jejunium Chriſtianum *quadrageſimam* propterea nuncupatum, ut quadrageſimæ jejunio Chriſti (quod tamen *quadrageſima* antiquitus nuſquam vocatum fuit) tranſactæ Sacramentum eſſet? Jejunium duorum dierum Sacramentum jejunij dierum quadraginta?

ginta? Quale quæſo hoc eſt Sacramentum? Annon nomen illud multo melius mereretur, ſi, quod nos juxta cùm Eccleſiâ primitivâ ſentimus, eodem dierum numero, quo ipſum Chriſti jejunium, perageretur? Secundum iſtam ſane Rigaltij opinionem jejunium Chriſtianum jejunij à Chriſto celebrati, nomen fortaſſe habeat, ſed præterea nihil, ac proinde Sacramentum illius nullâ prorſus ratione dici poteſt. Præſertim cum nec nomen revera habuerit: Quandoquidem, ut dixi, jejunium Chriſti *quadrageſima* ab antiquis non dicatur. Hoc enim nomine jejunium Chriſti nunquam indigitatum fuit, niſi poſtquam commune fuiſſet jejunij Antepaſchalis à Chriſtianis celebrati nomen: à quo ad jejunium Chriſti ſignificandum à recentioribus transfertur, non è contra è jejunio Chriſti ad jejunium Chriſtianorum. Quapropter licet dies illi quadraginta Chriſti jejunio tranſacti quadrageſimæ à Chriſtianis peragendæ occaſionem dederint, nomen tamen dare nequicquam potuerunt. Verum ne in his vix dignis quæ recenſeantur, refellendis diutius immoremur, Rigaltius hoc in loco concedit, aſſeritque priſcos Chriſtianos divinis ac Apoſtolicis formatos inſtitutis jejunium ſuum Antepaſchale *quadrageſimam* nuncupaſſe. Quod ſi verum ſit, corruet Dallæi opinio, hanc vocem non niſi longo poſt Apoſtolos tempore ad jejunium iſtud ſignificandum uſitatam fuiſſe contendentis. Quare nihil eſt quod Dallæus hanc Rigaltij conjecturam *elegantem* adeo atque *ingenioſam* vocet, quæ ſuam de hac voce ſententiam penitus evertit. Quod ſi ſuâ derelictâ opinione Rigaltio conceſſerit Dallæus, jejunium Antepaſchale ab ipſis Apoſtolorum temporibus *quadrageſimam* appellatum fuiſſe, tota ejus de *quadrageſimâ* diſputatio concidet. Nemini enim perſuadebit unquam vel Dallæus vel quivis alius, quin jejunium antepaſchale quadraginta dierum æque antiquum ſit atque vox *quadrageſima* de eo uſitata.

V. Diſcuſſis aliorum conjecturis de ratione quare jejunium antepaſchale τεσσαρακοστὴ *quadrageſima* olim dictum fuerit, tempus & neceſſitas modo flagitat, ut in verum propriumque hujus vocis etymon inquiramus. Quod quidem perſuaſiſſimum habeo non adeo difficile inventu fuiſſe, ſi tot eruditi viri, pro ſui quiſque ingenij acumine, tenebras ei non obduxiſſent. Plerique enim aliquo in ipſam rem hâc voce ſignificatam præjudicio laborantes, & nomenclaturæ propterea hujus rationem ſuis potius opinionibus quam opiniones ſuas ei accommodare ſtudentes, eam non in voce ipſâ, ubi quærenda erat, ſed in nubibus quæſiverunt, ubi ſcilicet nulla fuit. Res autem in propatulo ponitur, neque opus eſt ut ab ipſo nomine diſcedamus, ſi veram nomenclaturæ hujus rationem deprehendere velimus. Neminem enim latere poteſt nomen τεσσαρακοστὴ, ſive quod idem eſt latinè *quadrageſima*, etiamſi Subſtantivi naturam induat, & ſubſtantivè vulgo uſurpetur, revera tamen adjectivum eſſe,

&

& quidem fœminei generis, cujus propterea generis ſubſtantivum ei ſubintellectum ſit, neceſſe eſt. Et nonnunquam fateor, in profanis ſaltem authoribus, μοῖρα ſeu μερὶς ſubauditur, ut τεσσαρακοστὴ ſit *quadrageſima* pars alicujus rei. Quo tamen ſenſu hoc in loco accipi non poteſt, ſiquidem nihil eſt cujus jejunium antepaſchale *quadrageſima* pars dicatur. Aliud itaque quærendum eſt ſubſtantivum; Quod facillimè invenietur, ſi memoriâ teneamus nihil Eccleſiaſticis pariter ac profanis ſcriptoribus, tam Græcis quam Latinis, frequentius in more poſitum eſſe, quam in hujuſmodi ad numerum pertinentibus adjectivis, ſubſtantivum ἡμέρα *diem* ſubintelligere, ut κυριακὴ, *Dominica*, πρώτη, δευτέρα, τετάρτη, πέμπτη, *prima*, *ſecunda*, *quarta*, *quinta* (hebdomadis) & quod ad rem noſtram proximè accedit, πεντηκοστὴ *Quinquageſima*, quibus omnibus vox ἡμέρα neceſſario ſubintelligitur. Nec aliud ſubintelligi poteſt ſubſtantivum, quocum cohæreat vox τεσσαρακοστὴ, quæ propterea ſtrictè ſumpta diem aliquam *Quadrageſimam* ſignificat. Illud autem quod τεσσαρακοστὴ à Nicænis aliiſque patribus vocatur jejunium, ante feſtum Paſchæ, ipſo etiam Dallæo judice, celebratum fuit. Quocirca hæc vox aliam proprie ſignificare non poteſt, quam *Quadrageſimam* ante paſcha jejuniis dicatam diem; quemadmodum ſcilicet πεντηκοστὴ, *quinquageſima* eſt dies poſt Paſchalem iſtam feſtivitatem. Quod ſi quadraginta ante paſcha retro numeremus dies, exceptis perpetuo dominicis, quibus nunquam ullibi jejunare licuit, in diem vulgo vocatam *Cinerum* incidemus, quæ eſt *Quadrageſima* ante paſcha, ac proinde *caput jejunij* appellari ſolet. Et hoc proculdubio ſenſu, qui primi jejunium antepaſchale τὴν τεσσαρακοστὴν nominabant, vocem iſtam uſurpabant. Sicut enim πεντηκοστὴ eſt *quinquageſima* poſt feſtum Paſchæ, ſic τεσσαρακοστὴ propriè ſumpta eſt *Quadrageſima* dies ante feſtum Paſchæ. Unde & proxima poſt Dominica nomen ſuum mutuatur. *Quadrageſima* enim dicitur, Hinc etiam tres antecedentes Dominicæ, una *quinquageſima*, altera *ſexageſima*, tertia *ſeptuageſima*, vocantur. Ex ordine ſcilicet numerandi retro à dominicâ *Quadrageſimâ*. Quod quidem luculento nobis eſt argumento, dies hujus jejunii retro à Paſcha numeratos eſſe. Ut directè numerando illa ſit prima jejunii, quæ eſt quadrageſima dies ante paſcha jejuniis conſecrata. Neque enim Dominica illa *quadrageſima* dici potuit (quo nomine antiquitus gaviſa eſt) niſi quod a paſcha retrorſum numerando, ea ſit proxima Dominica poſt quadrageſimam jejunij antepaſchalis diem. Neque Dominicæ antecedentes, quinquageſima, ſexageſima, ſeptuageſima, retrorſum appellatæ fuiſſent, niſi ſolenne fuiſſet Eccleſiæ, dies ante paſcha retrorſum computare. Quo retrogrado numerandi modo, prima jejunij antepaſchalis dies eſt magnum ſabbatum paſchalem celebritatem immediate præcedens. Ultima autem

ſive quadrageſima eſt quarta ſeptimæ hebdomadis antecedentis feria. Dominicæ enim, ut dixi, jejunio ſemper exemptæ fuerunt: ac propterea in unaquaque hebdomade ſex ſoli dies jejunari ſolent, adeoque ſoli hic computari debent. Verum ſexies ſex triginta ſex efficient, quibus ſi adjiciantur quatuor præcedentis, ſive ſeptimæ hebdomadis dies, quadraginta præciſe colligentur: dictaque quarta iſtius hebdomadis dies, *quadrageſima* erit dies totius jejunij. Unde & totum jejunium iſto nomine, *quadrageſima* ſcilicet, nuncupatum eſt, non ſecus ac in *Pentecoſte* videre licet. Namque πεντηκοστὴ ſtrictè ſumpta eſt *quinquageſima dies* poſt paſcha. Ab ipſis tamen Eccleſiæ primordiis conſuetudo obtinuit, ut vox iſta non modo illam ſingularem diem, ſed & totum temporis ſpatium, à Paſcha ad Pentecoſten intercedens, ſignificaret; ut apud Tertullianum, *Excerpe ſingulas ſolennitates nationum, & in ordinem texe, Pentecoſten implere non poterunt*, id eſt, non poterunt adimplere ſolennitatem, qualis à nobis peragitur, quinquaginta dierum. Tertull. de Idolol. cap. 14. Sic in Canone Apoſtolico XXXVII. de duabus etiam Synodis quotannis habendis agente, cautum eſt, ut una ſit τῇ τετάρτῃ ἑβδομάδι τῆς πεντηκοστῆς. Et in Canone Nicæno XX. legimus ἐν ταῖς τῆς πεντηκοστῆς ἡμέραις. In his & aliis quamplurimis, quæ cuivis veterum monumenta legenti paſſim occurrunt, locis, vox πεντηκοστὴ non ipſam quinquageſimam poſt paſcha diem, ſed totum illud quinquaginta dierum ſpatium denotat, quod ab uno ad alterum feſtum labitur, & unam magnam ſolennitatem conſtituit. Ad eundem modum vox τεσσαρακοστὴ, quæ proprie quadrageſimam ante paſcha diem jejunio tranſactam ſignificat, latius ſumpta, totum illud quadraginta ante paſcha dierum ſpatium notat, quod Eccleſia jejuniis conſecrare conſueta eſt, vel ut ſemel dicam, ut πεντακοστὴ primo quidem diem quinquageſimam, deinde & quinquaginta dies poſt paſcha feriatos; ſic τεσσαρακοστὴ primò diem quadrageſimam & deinde quadraginta dies ante Paſcha jejunatos ſignificat. Et ita in veterum pariter atque recentiorum ſcriptis paſſim vulgoque uſitatur. Quod mirum nemini videatur, cum idem in voce πεντηκοστὴ ex communi publicoque Eccleſiæ uſu obſervare liceat. Hinc itaque clariſſime conficitur, quare jejunium antepaſchale τεσσαρακοστὴ Græcis, Latinis *quadrageſima* dicatur, nimirum ex eo quod, exceptis illis, quibus jejunare non licuit, diebus, jejunium illud *quadrageſimâ* ante feſtum Paſchæ die inceperit, & ab eâ uſque die ad feſtum prædictum celebratum fuerit. Inde etiam eſt, quod totum hoc quadraginta dierum jejunium à primâ ipſius die *quadrageſima* nuncupetur. Quâ quidem nomenclationis hujus ratione, nulla ſimplicior, nulla clarior, nulla primitivæ Eccleſiæ moribus magis conſentanea reddi, vel inveniri poteſt, imo quidem nulla alia, quæ vel probabilis ſit, vel ullam rationis ſpeciem præ ſe ferat.

VI. Qui

VI. Qui jejunium igitur antepaſchale à Patribus Nicænis, de quibus hucuſque diffuſiùs egimus, τῆς τεσσαρακοστῆς nomine indigitatum perpendit, veramque appellationis iſtius rationem, quam explicuimus, perſpectam habet, dubitare nequit, quin jejunium iſtud illis etiam diebus à quadrageſimâ ante Paſcha die jejuniis dicatâ, inceptum fuerit, & per quadraginta dies uſque ad Paſchalem feſtivitatem propagatum. Vox enim τεσσαρακοστὴ ab iis uſurpata aliud ſignificare non poteſt, quam vel ipſam quadrageſimam diem ante Paſcha, vel totam quadraginta dierum collectionem, quibus ante Paſcha jejunatum eſt. Sive autem ſtricto, ſive latiori intelligatur ſenſu, quadraginta dies jejunio iſti celebrando aſſignat. Si enim à quadrageſimâ ante Paſcha die inceperit, nihil dubij eſſe poteſt, quin quadraginta dies, uſque ad feſtum ſcilicet, continuatum fuerit. Ut autem ultimo ipſorum Canone Patres Nicæni totum à Paſchâ ad Pentecoſten intervallum generali τῆς πεντηκοστῆς nomine indigitant: Eodem etiam modo vocem τεσσαρακοστὴ hoc in loco uſurpare videntur: pro toto ſcilicet temporis illius ſpatio, quod à quadrageſimâ die ante, uſque ad ipſum Paſchæ feſtum jejuniis dicatum fuit. Cùm edicunt itaque unam quotannis Synodum πρὸ τῆς τεσσαρακοστῆς celebrandam eſſe, nihil aliud ſibi volunt, quam eam peragendam eſſe priuſquam antepaſchale quadraginta dierum jejunium incipiat. Idque hâc ratione ab ipſis redditâ, ἵνα πάσης μικροψυχίας ἀναιρουμένης τὸ δῶρον καθαρὸν προσφέρηται τῷ Θεῷ, *ut omnibus animi ſordibus ſublatis purum munus Deo offeratur.* Hoc eſt, ut ſedatâ omni inter Chriſtianos diſcordiâ, ſublatâque, quæ exinde oriri ſolet, invidiâ, malitiâ, & omni animi pravitate, ſe totos lachrymis, eleemoſynæ, precibus, aliiſque Deo gratiſſimis muneribus per totum jejunium quadrageſimale pure offerendis dedicent, & devoveant. Unde ſimul colligere eſt, quantâ reuerentiâ, quantâ religione ſanctiſſimi illi patres jejunium iſtud quadrageſimale peragendum eſſe voluerunt, cùm ipſi tantâ cautione proſpexerint, ut ſublatâ omni lite & diſcordiâ, per iſtud ſaltem tempus, purum ab omnibus Chriſtianis munus Deo omnipotenti offeratur.

CAPUT V.

Synopſis.

I. *Teſtimonia pro jejunio Quadrageſimali è S.* Athanaſio *petita, ab exceptionibus vindicata.*

II. Euſebij *Teſtimonium de quadrageſimâ, ex eo ſumptum, quod is* Therapeutarum *ritus ut à* Philone *deſcriptos, à Chriſtianis ſuâ ætate obſervatos eſſe aſſeruerit.*

III. Therapeutas *plerique* Eſſenos *fuiſſe opinantur. Cujus opinionis fundamentum evertitur. Quantum diſcriminis* Eſſenos *inter &* Therapeutas *fuit.*

IV. *Inter* Therapeutas & Chriſtianos *tanta fuit convenientia, ut* Euſebius *eos Chriſtianos fuiſſe putaret. Sic etiam S.* Hieronymus, & Epiphanius. *Quorum verba vindicantur & explicantur.*

V. *Nulla datur ratio, eos non fuiſſe Chriſtianos evincens. Argumentis ex eo petitis, quod antiquos authores & allegoricas ſcripturas habuerint, reſpondetur.*

VI. *Aliæ contra hanc Patrum opinionem exceptiones diluuntur.*

VII. *Haud mirum eſt quod* Therapeutæ *Hymnos & Cantica Deo canerent, etſi Chriſtiani fuiſſent. Iſta conſuetudo in Eccleſiâ ſemper obtinuit. Illi iiſdem quibus Chriſtiani in canendo ritibus uſi ſunt, ut antiphonis &* ἀκροτελευτίοις.

VIII. *In jejuniis etiam peragendis,* Therapeutis *cum Chriſtianis optimè convenit. Nulla ſecta tot regiones iſtis diebus peragraverat, quot* Philo Therapeutas *incoluiſſe tradit, præter Chriſtianos.*

IX. *Quare ea, quæ* Therapeutas Chriſtianos *fuiſſe ſtatuit, opinio nobis probabilis videtur. Ex eo ſaltem quod antiqui Patres ita ſenſerint, jejunij quadrageſimalis antiquitas evincitur.*

I. ADHÆC, ut Eccleſia univerſa in Synodo Nicænâ congregata, ſic & ſingulares ejuſdem ætatis Patres de jejunio ante paſchali ut religioſe tunc dierum obſervato, & quidem ſub *quadrageſimæ* nomine

mine meminerunt. Athanaſius enim, quem iſtis claruiſſe diebus nemo neſcit, in Epiſtolâ ad Orthodoxos, de Perſecutione à Georgio Ariano in Eccleſiam Alexandrinam excitatâ loquens, eandem eo graviorem pejoremque pronunciat, quod in quadrageſimâ, imo mox ante paſcha nefarie acta fuerat. ταῦτα δὲ, inquit, ἐγίγνετο ἐν αὐτῇ τῇ ἁγίᾳ τεσσαρακοστῇ, περὶ τὸ πάσχα, ὅτε οἱ μὲν ἀδελφοὶ ἐνήστευον, *Hæc autem in ipſâ ſanctâ quadrageſimâ ſub paſcha acta ſunt, cum fratres jejuniis dediti erant.* Ubi iſta verba περὶ τὸ πάσχα propterea, ut palam eſt, addit, ut oſtenderet, hæc non in primâ quadrageſimæ parte, ſed in ultimâ, proximè ante ipſum Paſchæ feſtum, perpetrata fuiſſe. Quod ſi quadrageſima paucis tantum ante Paſcha diebus, ut opinatus eſt Dallæus, incepta fuiſſet, verba iſta ſuperflua eſſent, tota enim quadrageſima περὶ τὸ πάσχα eſſet. Contra quod Athanaſij teſtimonium nihil excepit eruditus vir, niſi quod Epiſtola illa non magnæ ſit apud ipſum authoritatis, utpote *quæ ab Athanaſiani ſtyli puritate, gravitate, atque ſimplicitate plurimum abhorrere videtur.* Dall. de jejun. & quad. lib. 3. cap. 9. pag. 496. Ita fortaſſe illi videatur. Sed is primus eſt, ni fallor, qui Epiſtolam illam in dubium vocavit. Sed & eadem fere habentur in Epiſtolâ ejuſdem Patris, quam ipſe Dallæus genuinam eſſe fatetur, *ad ſolitariam vitam agentes* conſcriptâ, ubi de Secundo & Sociis ejus, qui Presbyterum in ipſo mortis articulo dicentem, *nemo me apud judicem vindicet, habeo vindicem Dominum Ieſum Chriſtum, pro cujus nomine hæc patior*, calcibus obtritum interfecerant, loquens ait, οἱ δὲ οὔτε λέγοντα ἠλέουν, οὔτε τὰς ἡμέρας ἐδυσωποῦντο, ἐν αὐτῇ γὰρ τῇ τεσσαρακοστῇ λακτίζοντες ἀπέκτειναν τὸν ἄνθρωπον, *Illi autem nec hominem ita loquentem miſerti ſunt, neque dierum ullam reverentiam habuerunt; In ipſâ enim quadrageſimâ hominem calcitrando elidebant.* Ubi iterum crimen ex eo aggravatur, quod in ipſâ quadrageſimâ perpetratum eſſet, quódque nullam haberent iſtorum dierum reverentiam. Unde tempus iſtud illis diebus ſummâ religione obſervatum fuiſſe conſtat. Quod dilucidius adhuc apparet ex ejuſdem Apologiâ priori ad Imperatorem Conſtantium, ubi hæc diſerte dicit, Πίστευε γὰρ Βασιλεῦ, καὶ περὶ τούτου πάλιν μάρτυρα δέξαι τὴν ἀλήθειαν, ὅτι ἐν ταῖς συνάξεσι τῆς τεσσαρακοστῆς, διὰ τὸ τῶν τόπων στενὸν, καὶ τὸ πολὺ πλῆθος τῶν λαῶν, πλεῖστα παιδία, καὶ οὐκ ὀλίγαι νεώτεραι γυναῖκες, πλεῖσται τε γραΐδες, καὶ οὐκ ὀλίγοι νεανίσκοι θλιβέντες ἀπηνέχθησαν εἰς τοὺς οἴκους, καὶ τοῦ Θεοῦ παρασχόντος, τέθνηκε μὲν οὐδείς. *Crede mihi, Imperator, & in eam rem teſtem veritatem ipſam accipe. In Synaxibus quadrageſimæ, ob locorum anguſtiam, & magnam populorum multitudinem, plurimos pueros, nec paucas puellas, & aniculas complures, & adoleſcentes non paucos, afflictos jacuiſſe, & domum delatos eſſe, ita tamen ut,*

Dei.

Dei benevolentiâ, nemo eorum perierit. Athan. Apol. 1. ad Conſtant. tom. 1. p. 682. Complures ſane Alexandriæ erant Eccleſiæ, quibus Synaxes peragi ſolebant, ut teſtatur Epiphanius hær. LXIX. n. 11. Sed nihilominus Synaxes per quadrageſimam in iis omnibus celebratas, tantâ hominum frequentiâ circumfuſas eſſe, ut in confertâ turbâ plurimi eliſi propemodum & præfocati eſſent, ipſe ſanctiſſimus ſedis illius Antiſtes iidem hic pleniſſimam facit. Tantâ iſtis diebus reverentiâ obſervabatur quadrageſima. Ut nemini mirum videatur, quod à Patribus Nicænis cautum ſit, ut una quotannis ante iſtud tempus Synodus habeatur, quâ omnes ita componantur lites, ut puriſſimum, quoad fieri potuit, munus illis ſaltem diebus Deo offeratur. Idem denique Pater in alterâ etiam ad eundem Imperatorem Apologiâ quadrageſimæ mentionem induxit, his verbis, Εἶτ' ἐλθὼν τῇ τεσσαρακοστῇ ὁ παρ' αὐτῶν ἀποστελεύς. Athan. Apol. 11. pag. 704. Quid ad hæc Dallæus? *Sed neque iſta,* inquit, *neque alia, ſi qua ſunt ſimilia, nos cogunt fateri, iſtis, quibus ea ſcripſit Athanaſius temporibus, hoc eſt, circiter Annum Domini CCCXLI. vel CCCXLII. jam uſitatum fuiſſe quadraginta dierum apud Chriſtianos ante paſcha jejunium; Poteſt enim quadrageſimæ vox commode & ex uſu patrum de jejunio paſchalis hebdomadis intelligi, quod ſex ad ſummum dierum erat.* Dall. pag. 497. Egregia ſanè diſputandi formula, quâ omnes fere controverſiæ uno verbo dirimantur. Poſſibile enim eſt, ut aliter pleræque res ſe habeant, quam opinantur adverſarij. Nos autem non quid poteſt fieri, ſed quid reapſe factum eſt, inquirimus. S. Athanaſius jejunium antepaſchale τὴν τεσσαρακοστὴν paſſim appellat. Ea vox proprie diem quadrageſimam, & exinde quadraginta dierum jejunium ex communi Eccleſiæ uſu notat, ut ante oſtendimus. Sed poſſibile eſt, nonnulli eâ uſque adeo abutantur, ut de ſex dierum jejunio uſurpent. Quis autem præter Dallæum, argumentum ex iſtâ poſſibilitate formare potuit, vocem iſtam ab ipſo etiam Athanaſio καταχρηστικῶς adeo uſurpatam fuiſſe? Sed hoc non dicit: dicit tantummodo *fieri poſſe* ut ita intelligatur: hoc eſt, ſe victum fatetur & latebras quæritantem. *Sed ita,* inquit vir doctus, *accipiendum ſuadent ea, quæ paulo poſt ultimum* (penultimum, ut à nobis citatur) *locum ſubjicit Athanaſius, cum idem illud tempus quod quadrageſimam dixerat,* τὰ πρεέορτα *mox vocat.* Εἰ δὲ, ἐν τοῖς προεόρτοις τοιαύτη γέγονε θλῖψις, τί ἂν ἐγεγόνει ἐν αὐτῇ τῇ ἑορτῇ. *Ubi feſtum,* inquit Dallæus, *indubie eſt Paſcha;* τὰ προέορτα *dies Paſcha antecedentes, hoc eſt hebdomas dominicæ paſſionis. Nam ut* τὰ προέορτα *dicantur quæ feſtum ſex ſeptemve hebdomadibus antecedunt, communis ſermonis ratio vix patitur.* Ubi cautè admodum interſeruit dubitandi particulam *vix*. Neque ipſe enim abſolutè negare potuit, quin quadraginta jejunij antepaſchalis

halis dies feſti ipſius Paſchalis reſpectu τὰ προέορτα jure appellentur, æque c quinque aut ſex. Quod adeo clarum eſt & omnibus notum, ut non ous ſit rationibus aſſeratur. Præſertim cùm ipſe quoque Dallæus illud dierte negare non auſus ſit.

II. Ut S. Athanaſius Alexandrinus, ſic & Euſebius Cæſarienſis Synodi licænæ tempore florebat, eidemque intererat. Hic vero ſummæ jejunij uadrageſimalis antiquitati adſtruendæ præclarum contribuit teſtimonim, eo quod Therapeutas à Philone Judæo, libro *de vitâ contemplativâ*, eſcriptos, Chriſtianos fuiſſe à Marco Evangeliſtâ edoctos, affirmet. Quo oc autem argumentum manifeſtius cuivis evadat, inprimis tenendum ſt, quod doctiſſimus ille Philo Judæus, dicto περὶ τοῦ βίου θεωρητικοῦ ἢ ἱκετῶν ἀρετῶν libro, hominum quoddam genus in Ægypto alibique degenum, fuſè deſcribit, quos, viros quidem Θεραπευτὰς, fœminas vero Θεραπευτρίδας, dictos fuiſſe teſtatur. Horum ille pietatem erga Deum, abſtientiam, frugalitatem, contemptum mundi, omnes denique virtutes ummis laudibus proſequitur. Inter alia de iis dicit, quod οὗτοι τὸ μὲν πρῶτον ἀθροίζονται διὰ ἑπτὰ ἑβδομάδων, οὐ μόνον τὴν ἁπλῆν ἑβδομάδα, ἀλλὰ καὶ τὴν δύναμιν τεθηπότες· ἁγνὴν γὰρ καὶ ἀειπάρθενον αὐτὴν ἴσασι. ἔστι δὲ προεόρτιος μεγίστης ἑορτῆς, ἣν πεντηκοντὰς ἔλαχεν, ἁγιώτατος καὶ φυσικώτατος ἀριθμῶν. *Ii quidem primo conventus ſuos celebrant per ſeptem hebdomades, veerati non modo ſimplicem ſeptenarium, ſed & vim ejus multiplicem. uſtam enim ſciunt hebdomada & ſemper virginem. Tempus iſtud Proſtum eſt maximæ feſtivitatis, incidentis in numerum quinquagenaium, ſanctiſſimum & ſummè naturalem.* Deinde deſcriptis eorum pubcis conventibus, addit, Οἶνος ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις οὐκ εἰσκομίζεται, ἀλλὰ λαυγέστατον ὕδωρ, ψυχρὸν μὲν τοῖς πολλοῖς, θερμὸν δὲ τῶν πρεσβυτάτων τοῖς βροδιαίτοις, καὶ τράπεζα καθαρὰ τῶν ἐναίμων, ἐφ᾽ ἧς ἄρτοι μὲν τροφὴ, προσήμα δὲ ἅλες, οἷς ἐστιν ὅτε καὶ ὕσσωπος ἥδυσμα παρατίθεται διὰ τοὺς τρυφῶντας. *inum per illos dies non præbetur, ſed aqua limpidiſſima, plurimis fri- ida, calida vero iis qui inter ſeniores tractantur delicatius: Menſa ura eſt àcruentis dapibus; pro cibo panis opponitur, ſal pro opſonio, pro condimento hyſſopus nonnunquam in deiicatorum gratiam.* Poſtec ſubjungit, ut ſacræ iis literæ prædicatæ ſunt, ut ὁ πρόεδρος cæterique ongregati hymnos in Dei laudem canant, & τὴν ἱερὰν παννυχίδα *Sacrum ervigilium celebrent.*

Hæc à Philone de Therapeutis dicta, de Chriſtianis illius ætatis, hoc eſt, onnullis ſaltem ex Apoſtolis adhuc ſuperſtitibus, intelligenda eſſe conendit Euſebius, idque hâc ratione, quod quæ hic de Therapeutis dicuntur,

cuntur, cum Chriſtianorum moribus ac inſtitutis ab ipſis Apoſtolorum temporibus ad ſuam ætatem obſervatis convenire videbat: Cujus rei multa addit ſpecimina, Hiſt. Eccleſ. lib. 2. cap. 17. Inter alia autem è Philonis verbis ante laudatis, ſic diſputat, τί δεῖ τούτοις ἐπιλέγειν τὰς ἐπὶ ταὐτὸ συνόδους, καὶ τὰς ἰδίᾳ μὲν ἀνδρῶν, ἰδίᾳ δὲ γυναικῶν ἐν ταυτῷ διατριβάς, καὶ τὰς ἐξ ἔθους εἰσέτι καὶ νῦν πρὸς ἡμῶν ἐπιτελουμένας ἀσκήσεις, ἃς διαφερόντως κατὰ τὴν τοῦ σωτηρίου πάθους ἑορτὴν, ἐν ἀσιτίαις καὶ διανυκτερεύσεσιν προσοχαῖς τε τῶν θείων λόγων ἐκτελεῖν εἰώθαμεν, ἅπερ ἐπακριβὲς τοῦ αὐτοῦ ὅν καὶ εἰς δεῦρο τετήρηται παρὰ μόνοις ἡμῖν τρόπον, ἐπισημηνάμενος ὁ δηλωθεὶς ἀνὴρ τῇ ἰδίᾳ παραδέδωκε γραφῇ, καὶ μάλιστα τὰς τῆς μεγάλης ἑορτῆς παννυχίδας, καὶ τὰς ἐν ταύταις ἀσκήσεις, τούς τε λέγεσθαι εἰωθότας πρὸς ἡμῶν ὕμνους ἱστορῶν. *Quid præterea hic attinet commemorare & virorum & mulierum ſeorſim degentium ſtudia atque exercitationes, quæ apud nos etiamnum in uſu ſunt, præcipue circa diem feſtum dominicæ paſſionis, quo tempore jejuniis atque vigiliis, & ſacrorum librorum lectioni impenſius vacare conſuevimus. Quæ omnia vir ille toties jam nominatus* (Philo) *eodem plane modo quo à nobis ſolis hodieque obſervantur, accuratè notata, ſcriptis ſuis tradidit, ac inprimis pervigilia magnæ ſolemnitatis, piaſque in iiſdem exercitationes, & hymnos qui à nobis recitari ſolent, commemoravit.* Et paucis interjectis, ὅπως τε κατὰ τὰς δεδηλωμένας ἡμέρας ἐπὶ στιβάδων χαμευνοῦντες, οἴνου μὲν τὸ παράπαν, ὡς αὐτοῖς ῥήμασιν ἀνέγραψεν, οὐκ ἀπογεύονται, ἀλλ' οὐδὲ τῶν ἐναίμων τινός· ὕδωρ δὲ μόνον αὐτοῖς ἐστὶ τὸ ποτόν, καὶ προσόψημα μετ' ἄρτου, ἅλες καὶ ὕσσωπον, *Utque per illos dies humi in ſtramentis recubantes, à vino quidem, ut ejus verbis utar, penitus abſtineant, neque carnes ullas deguſtent, ſolâ autem aquâ ad potum utantur, neque ad panem aliud quippiam adhibeant, præter Sal & Hyſſopum.* Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 2. cap. 17. Hæc, licet prolixa, idcirco tranſcripſimus Euſebij verba, ut facilius clariuſque ex iis lectori appareat, Euſebium in eâ fuiſſe opinione, quæ jejunium Antepaſchale ab ipſis Eccleſiæ primordiis obſervatum fuiſſe ſtatuit, idque eodem modo quo ſuo & Synodi Nicænæ tempore obſervabatur. Enimvero quæ Philoni ἡ μεγίστη ἑορτὴ vocatur, eam Euſebius τὴν τοῦ σωτηρίου πάθους ἑορτὴν, & τὴν μεγάλην ἑορτὴν appellat, quo quidem nomine feſtum Paſchæ à Chriſtianis vulgo indigitatum fuiſſe, cuique notum eſt. Ante magnam hanc feſtivitatem Philo ſeptem à Therapeutis celebratas fuiſſe hebdomadas tanquam προέορτοι τῆς μεγίστης ἑορτῆς, & in illis diebus publicos frequenter habitos fuiſſe conventus, & ſtrictiſſima obſervata jejunia tradit. Adeo ut nihil potarent præter aquam, nihil ederent præter Panem, Salem & Hyſſopum. Hæc Euſebius ſuâ ætate

tate Chriſtianis circa feſtum dominicæ paſſionis in uſu eſſe affirmat, *Quo tempore*, inquit, *jejuniis, vigiliis & ſacrorum librorum lectioni impenſius vacare conſuevimus.* Quapropter etiamſi concedamus Therapeutas à Philone deſcriptos revera non fuiſſe Chriſtianos, ſed hallucinatum eſſe Euſebium hoc aſſerentem, ex eo tamen quod is illud aſſeverârit, & jejunia iſta, quæ Philo per ſeptem hebomades ante magnam feſtivitatem ab iis peracta deſcribit, à ſui temporis Chriſtianis obſervata eſſe affirmârit, ex eo, inquam, luculentiſſime conſtat, non modo jejunium Antepaſchale quadraginta dierum, ſive ſeptem ferme, exceptis dominicis, hebdomadum, Concilij Nicæni tempore vulgo obtinuiſſe, verum & Euſebium ſibi perſuaſum habuiſſe, quòd idem Quadrageſimale jejunium ab ipſis Apoſtolorum temporibus obſervatum fuerat. Philo enim, qui hæc de Therapeutis tradidit, nonnullis ſaltem Apoſtolorum coætaneus fuit. Quod quidem ſummæ jejunij iſtius antiquitatis illuſtre eſt documentum. Si vel ſuo enim vel præcedenti ſeculo illud inſtitutum fuiſſe vel noviſſet Euſebius, vel etiam dubitâſſet, ipſis Apoſtolorum temporibus acceptum referre noluiſſet.

III. Sive itaque Therapeutæ à Philone celebrati Chriſtiani fuerint, ſive Judæi, argumentum ex Euſebij de iis teſtimonio deductum, iſtud, de quo agimus, jejunium longe ante Synodum Nicænam obſervatum fuiſſe evincit. Quod ſi conſtaret eos Chriſtianam amplexos eſſe religionem, jejunium illud multo adhuc antiquius appareret, & ab ipſis Apoſtolis aliquo modo inſtitutum. Et quidem etiamſi illud omni aſſeveratione cum Euſebio affirmare non auſim, in eam tamen magis propendo ſententiam, quæ Therapeutas religione Chriſtianâ inſtructos judicat. Primo enim qui aliter ſentiunt, eos Eſſenos fuiſſe, certam quandam Judæorum ſectam, plerique contendunt. Dicunt nimirum Philonem de duobus egiſſe Eſſenorum, vel Eſſæorum generibus, quorum illi practicam, hi Theoreticam agebant vitam, de iis quidem in libro præcedenti περὶ τοῦ πάντα σπουδαῖον εἶναι ἐλεύθερον, de his autem in hoc περὶ βίου θεωρητικοῦ, ἢ ἱκετῶν ἀρετῶν inſcripto libro. Verumenimvero cùm ipſe Philo nullibi dicat, duo fuiſſe Eſſenorum genera, mirum eſt, ſi alij illud ex ejus libris eliciant. Sed fundamentum hujus opinionis jactum eſt in primis libri ultimo nominati *de vitâ contemplativâ* verbis, quæ ſic habent, Ἐσσαίων πέρι διαλεχθεὶς, οἳ τὸν πρακτικὸν ἐζήλωσαν καὶ διεπόνησαν βίον ἐν ἅπασιν, ἢ τὸ γοῦν εὐφορητότερον εἰπεῖν τοῖς πλείστοις μέρεσι, διενεγκόντες· αὐτίκα καὶ περὶ τῶν θεωρίαν ἀσπασαμένων ἀκολουθίᾳ τῆς πραγματείας ἑπόμενος, τὰ προσήκοντα λέξω. *Poſtquam de Eſſæis diſſeruimus, qui vitam activam exercent omnibus, aut quod minus invidioſum dictu eſt, pleriſque felicius: ordo poſtulat, ut deinceps de iis qui contemplationi deditі ſunt, dicamus ea quæ dicenda ſunt.* Quâ autem

tem arte ex his verbis colligatur, Philonem in hoc etiam libro de Eſſæis loqui, me prorſus fugit. Dicit quidem ſe in præcedenti libro, *quod omnis probus ſit liber*, de Eſſæis, qui vitam activam exercebant, diſſeruiſſe. Non autem dicit ſe in hoc etiam libro de Eſſæis, ſed generatim de iis qui contemplationi dediti erant, acturum eſſe. Quos propterea ab Eſſæis aperte diſtinguit. Quod manifeſtius adhuc exinde apparet, quod per totum hunc librum eos, de quibus agit, Ἐσσαίους nuſquam appellet, nec Ἐσσαίους ſed Θεραπευτὰς appellatos fuiſſe dicat. Θεραπευταὶ γὰρ, inquit, καὶ Θεραπευτρίδες ἐτύμως καλοῦνται. Quin hujus etiam nomenclaturæ alias atque τῶν Ἐσσαίων rationes affert. Libro enim præcedente, περὶ τοῦ πάντα σπουδαῖον εἶναι ἐλεύθερον, ubi de Eſſæis agit, eos dicit eſſe παρωνύμους ὁσιότητος, *à ſanctitate nominatos*, nimirum à voce Syriacâ ܚܣܝܐ *Haſi*, ὅσιος, *Sanctus*, *probus*, unde ܚܣܝܘܬܐ *Haſiuto*, ὁσιότης. Atqui in hoc *de vitâ contemplativâ* libro, ubi de Therapeutis loquitur, eos ita vult appellatos, ἀπὸ τοῦ θεραπεύειν τὰς τῆς ψυχῆς νόσους, *à curandis animæ morbis*, vel ἀπὸ τοῦ θεραπεύειν τὸ ὂν, ὃ καὶ ἀγαθοῦ κρεῖττόν ἐστι, καὶ ἑνὸς εἰλικρινέστερον, καὶ μονάδος ἀρχεγονώτερον, *A colendo Ente, eo quod bono melius eſt, & uno ſincerius, & unitate in generando antiquius.* Si Philo autem Therapeutas eoſdem eſſe ac Eſſenos putâſſet, quare eos per diverſa nomina à diverſis originibus à ſeipſo derivata diſtinguit? Quare etiam Therapeutas nunquam Eſſenos, nec Eſſenos Therapeutas vocat? An quia hi contemplativam, illi activam agebant vitam? Atqui hæc nomina nihil plane ad iſtam diſtinctionem conducunt: neque enim vox *Eſſenus* vitam activam innuit, nec contemplativam *Therapeuta*. Sed ſi eadem fuiſſent ſecta, hæc in vitis ipſorum diſtinctio minime obſtaret, quo minus ambo Eſſeni pariter atque Therapeutæ dicerentur. Philo autem tantum inter eos diſcriminis obſervârat, ut uno ambos nomine indigitare non potuerit, ac proinde hanc nominum diſtinctionem accurate admodum obſervat. Ubi de Eſſenis loquitur nec verbum habet de Therapeutis; ubi de Therapeutis, nec verbum de Eſſenis. Sed de iſtis ſigillatim, ut diverſis omnimodo ſectis agit. Joſephus etiam, qui Eſſenos fuſe deſcripſit, eos Therapeutas nominatos eſſe nuſquam affirmat, neque uſpiam obſervat eos duorum fuiſſe generum, quorum hi *actioni* illi *contemplationi* dediti erant. Dicit tantummodo alium fuiſſe Eſſenorum ordinem, cibos quidem & mores legeſque ſimiles habentem, ab aliis vero opinione de conjugio diſcrepantem. Ἔστι δὲ καὶ ἕτερον, inquit, Ἐσσηνῶν τάγμα, ὃ διαίτην μὲν, καὶ ἔθη, καὶ νόμιμα τοῖς ἄλλοις ὁμοφρονοῦν· διεστὸς δὲ τῇ κατὰ γάμον δόξῃ. Joſeph. de bello Jud. lib. 2. κεφ. ιβ. pag. 788. Quod ſi hæc eorum diſtributio in Activos & Contemplativos ex male intellectis Philonis verbis detorta,

torta,

torta, Joſepho innotuiſſet, illam proculdubio inprimis adnotâſſet. Adhæc ſi ea quæ ipſe Philo de Eſſæis ſcribit, cum iis conferantur, quæ de Therapeutis tradit, eas diverſas omnino ſectas fuiſſe clariſſime eluceſcet. Ex ipſius enim verbis conſtat, Eſſenos in Syriâ ſolâ & Palæſtinâ fuiſſe, Therapeutas autem in multis aliis regionibus, apud Græcos & Barbaros, & præcipue in Ægypto circa Alexandriam. Illi in vicis, hi in ſolitudine habitare amabant. Illi ædes ſuas ſacras, Judæorum more, *Synagogas* appellabant, hi ſuas σεμνεῖα ϰ̀ μοναςήεια. Illi muliebrem ſexum averſabantur, hi, θεραπευτρίδας ſuas ſecum alebant. Ritus denique in ſacris obeundis, necnon in civilibus negotiis mores, diverſiſſimos habebant, ut cuilibet ea quæ Philo, Joſephus, & Plinius de Eſſenis tradiderunt, cum iis quæ de Therapeutis à Philone ſolo dicuntur, conferenti patebit. Adeo ut cujuſcunque fuerint ſectæ Therapeutæ, Eſſeni ſaltem nequaquam dici poſſunt.

IV. Verumenimvero præter Sadducæos, Phariſæos, & Eſſenos, alia à Philone & Joſepho nulla inter Judæos ſecta commemoratur. Therapeutas autem à Philone deſcriptos nec Sadducæos fuiſſe nec Phariſæos, inter omnes convenit; Eſſenos etiam eos non fuiſſe, è ſupradictis patet. Quocirca haud mirum eſt, quod Euſebius eos non inter Judæos, ſed Chriſtianos potius recenſuerit; præſertim, cum etiamſi Judæis orti, nonnullos eorum ritus retinuerint, in aliis tamen Chriſtianorum inſtituta religioſe ſequerentur. Ut Euſebius enim recte ex Philone obſervat, ſimul atque aliquis ad hoc philoſophandi genus ſe contulerit, omnibus ſuis bonis ad Propinquos tranſmiſſis cedebat. Quod etiam de primis Chriſtianis Actus Apoſtolorum divinitùs conſcripti teſtantur, ut ubi ſcriptum habemus primos Apoſtolorum diſcipulos, prædiis ac facultatibus ſuis venditis, pretium fratribus, prout cujuſque neceſſitas flagitaret, diviſiſſe, adeo ut inter ipſos nemo egenus exiſteret. Porro Therapeutæ Chriſtianorum ad inſtar Eccleſias ſuas variis in locis extructas habebant, quæ Semnea & Monaſteria dicebantur, in quibus ſanctioris vitæ myſteria, remotis arbitris, ſoli peragebant. Nec quicquam profanum eò ſecum ferebant, ſed legem duntaxat & prophetarum oracula, hymnoſque, & alia hujuſmodi quibus pietas & ſcientia augeantur. Apud eos etiam commentaria erant Veterum, quæ Euſebius Evangelia & Apoſtolorum ſcripta & expoſitiones quaſdam Veterum prophetarum fuiſſe opinatur. Adhæc jejuniis & vigiliis & ſacrorum librorum lectioni vacabant toti Therapeutæ, non minus quam Chriſtiani, circa Paſchalem feſtivitatem. Quinetiam πρόεδρον ſuum, ſive Epiſcopum, necnon Diaconos miniſtrantes Therapeutæ Chriſtianorum more habebant. E quibus colligit Euſebius, Philonem primos Evangelicæ doctrinæ prædicatores, & ab Apoſtolis traditam Eccleſiæ Chriſtianæ diſciplinam in mente habuiſſe, cum iſta de Therapeutis ſcribebat:

bebat: eo ſcilicet quod hæc à Chriſtianis ad ſuam uſque ætatem ubique obſervata videret. Neque ſolus fuit in hàc opinione Euſebius. Namque S. Hieronymus eum ſecutus eſt, in catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum hæc habens, *Philo Judæus natione Alexandrinus, de genere Sacerdotum, idcirco à nobis inter ſcriptores Eccleſiaſticos ponitur, quia librum de primâ Marci Evangeliſtæ apud Alexandriam ſcribens Eccleſiâ, in noſtrorum laude verſatus eſt: non ſolum eos ibi, ſed in multis quoque provinciis eſſe memorans, & habitacula eorum dicens monaſteria.* Dallæus autem de jejun. & quadr. lib. 2. cap. 4. dicit Hieronymum parum ſibi hic conſtare, ut *qui alibi diſerte ſcripſit, de Eſſenis Judæorum ſectâ Philonem tractatum illum confeciſſe.* Verum nihil eſt quod Dallæus in D. Hieronymum, ut ſibi hic non conſtantem, inveheretur. Philo enim proprium de Eſſenis volumen edidit, diverſum ab eo quod de Therapeutis conſcripſit, ut omnibus notum eſt. Ac propterea hæc D. Hieronymi verba non de illo Philonis tractatu *de vitâ contemplativâ*, quo de Therapeutis, ſed de altero illo cui titulus *quod omnis probus ſit liber*, quo diſerte de Eſſenis agitur, intelligenda ſunt. *Sed Hieronymus*, inquit Dallæus, *& Epiphanius Euſebij hallucinationem, ut in aliis non paucis ſolent, ita hic quoque ἀνεξετάστως ſequuti ſunt.* Verum hæc gratis dicta ſunt. Neque unquam à quolibet impetrabit Dallæus, ut ipſi fides habeatur nude aſſerenti, doctiſſimum illum Patrem D. Hieronymum adeo incautum fuiſſe & imprudentem, ut Euſebij in omnibus ſententiam ſine conſilio & judicio ſequeretur. Non equidem diffiteor, quin D. Hieronymus in Eccleſiaſticâ forſitan Euſebij hiſtoriâ legerit Philonem de Chriſtianis locutum eſſe. Hoc autem ille poſtea affirmavit, non quod Euſebius idem dixerat, ſed quod ſummis id rationibus adſtructum viderat: iſtiuſmodi ſcilicet, quibus ipſe in eandem opinionem fidemque adductus eſt. Hanc enim Hieronymi æque ac Euſebij ſententiam fuiſſe, pro certiſſimo habemus. Et quod ad Epiphanium ſpectat, ille in eâdem quoque ſententiâ fuit; quam tamen ab Euſebio nullus hauſit. Euſebius enim Chriſtianos illos à Philone deſcriptos *Therapeutas* vocat. Epiphanius autem alio eos nomine indigitat. Nam Ἰεσσαίους appellat. Imo quidem ipſum illum Philonis librum quem Euſebius περὶ βίου θεωρητικοῦ, ἢ ἱκετῶν ἀρετῶν, Epiphanius eundem περὶ Ἰεσσαίων inſcriptum ait. Ex quâ etiam inſcriptione hic colligit, Chriſtianos primitùs Ἰεσσαίους nuncupatos eſſe. Cujus appellationis varias reddit rationes. Ita enim appellatos dicit vel ἀπὸ τοῦ Ἰεσσαὶ Davidis Patre, vel potius ab ipſo Domini noſtri nomine Ἰησοῦ (quemadmodum ab altero ejus nomine Χριστιανοὶ Antiochiæ primo cognominati ſunt) idq; διὰ τὸ ἐξ Ἰησοῦ ὁρμᾶσθαι, μαθητὰς ὄντας αὐτοῦ, ἢ διὰ τὸ τῆς ἐτυμολογίας τοῦ ὀνόματος

αλ©· τοῦ κυρίου· Ἰησοῦς γὰρ κατὰ τὴν Ἑβραϊκὴν διάλεκτον, θεραπευτὴς καλεῖται,
οι ἰατρὸς, καὶ σωτήρ. *Quod à Ieſu diſciplinâ profecti, ejuſdem diſcipuli*
ſent: vel ex ipſâ Etymologiâ nominis, quo vocatus eſt Dominus. Ieſus
um in dialecto Hebraicâ θεραπευτὴς *vel Medicus & Servator eſt.*
piph. hær. 29. Nazaræor. num. 4. Hic docti, fateor, viri Epiphanio vitio
rterunt, quòd nomen Ἰησοῦ Græcæ originis eſſe crediderit, ἀπὸ τοῦ ἰάσασθαι
e Ionicè ἰήσασθαι *curare*: ſed immerito prorſus. Is enim vocem iſtam
linguâ Hebraicâ derivatàm eſſe diſerte affirmat. Ut quâ Ἰησοῦς ait
εραπευτὴς καλεῖται, ἢ ἰατρὸς καὶ σωτήρ. Nec incongruè quidem. Nam יְשׁוּעָה
ıde יְשׁוּעָה & יֵשׁוּעַ, Ἰησοῦς, *ſervare* generatim ſignificat, & cum de animi
t corporis morbis ſpeciatim uſurpatur, idem eſt atque ἰάσασθαι, &
εραπεύειν. Quod & alii ante obſervarunt. Epiphanius itaque primos
ſu Chriſti diſcipulos à magiſtri nomine Ἰησοῦ, Ἰεσσαίους dictos putavit,
ſque eoſdem fuiſſe, quos Philo Judæus alio, Græcæ quidem originis ſed
uſdem notionis, nomine θεραπευτὰς appellat. Utrum Epiphanius pri-
os Chriſtianos hoc nomine alibi indigitatos repererit, non liquet. Li-
et autem eum in Philonis tractatum de Therapeutis incidiſſe, hunc
ulum περὶ ἰεσσαίων præ ſe ferentem, & perſuaſum habuiſſe, Jeſſæos
os ſive Therapeutas in eo celebratos, inter primos fuiſſe fidei Chriſtia-
cultores. Ubi enim de nomine iſto verbis ſupra laudatis diſputâſſet,
ec addit, Εὕροις δ' ἂν, ὦ φιλόλογε, καὶ τούτου τὴν ὑπόθεσιν, ἐντυχὼν τοῖς τοῦ Φι-
ν©· ὑπομνήμασι, ἐν τῇ περὶ ἰεσσαίων αὐτοῦ ἐπιγραφομένῃ βίβλῳ, ὃς τούτων τὴν
λιτείαν καὶ τὰ ἐγκώμια διεξιὼν, καὶ τὰ αὐτῶν μοναστήρια ἐν τῇ κατὰ τὴν μαρεία
νῃ ἱστορῶν περιοικίδι, οὐ περὶ τινῶν ἑτέρων ὁ ἀνὴρ ἱστόρησεν, ἀλλὰ περὶ Χριστιανῶν,
uod quidem argumentum uberiùs pertractatum, quiſquis es ſtudioſus,
Philonis commentariis invenies, in eo libro quem de Jeſſæis inſcrip-
. *Ubi illorum vitæ diſciplinam ac præconia celebrans, eorumque*
naſteria, quæ ad Marianam paludem circumcirca poſita ſunt, deſcri-
ns, non de aliis ullis quam de Chriſtianis iſta narravit. Epiph. ibid.
m. 5. Et mox deinde ſubjungit Philonem ad Jeſſæos illos ſive Thera-
utas acceſſiſſe, & ad monaſteria eorum divertiſſe ipſis Paſchalibus feriis
e ἐν ἡμέραις, ut ait, τῶν πάσχων, quibus omnem eorum vitam inſpicie-
t, obſervabatque nonnullos totam illam ſacroſanctam hebdomadem
e ullo cibo tranſigere, alios alternis illum diebus ſumere, quoſdam
ro ſub veſperam. ἦν δὲ, inquit Epiphanius, τῷ ἀνδρὶ πάντα ταῦτα πε-
αγματευμένα εἰς τὴν περὶ πίστεώς τε καὶ πολιτείας τῶν Χριστιανῶν ὑπόθεσιν.
uamobrem quæcunque toto illo libro à Philone tractata ſunt, ea Chri-

ſtianorum

ſtianorum ad fidem vivendique rationem omnino pertinent. Unde conſtat ſtrenuiſſimum illum hæreſeon oppugnatorem firmiſſime credidiſſe non modo quod Therapeutæ illi à Philone deſcripti fidem Chriſtianam amplexi eſſent, verumetiam quod jejunia & pervigilia quæ Philo ab iis celebrata tradit, ante Paſchalem feſtivitatem peracta fuiſſent, atque ideo quod jejunia illa antepaſchalia, quæ ſuâ ætate, hoc eſt, quarto labente ſeculo ab Eccleſia celebrari ſolebant, ab ipſius Marci Evangeliſtæ temporibus inſtituta fuiſſent ac obſervâta.

V. Tres itaque graviſſimos habemus teſtes Philonem Judæum libro ſupra laudato de Chriſtianis ſub Therapeutarum nomine diſſeruiſſe, videlicet, Euſebium, Hieronymum, & Epiphanium, qui omnes quarto claruerunt ſeculo, ac propterea de naſcentis Eccleſiæ, ad quam longe propiores accedebant, diſciplinâ multo melius judicare potuerunt, quam nos qui tot, non annorum, imo vero ſeculorum intervallo ab iis remoti ſumus. Quare nihil eſt, quod nos ab eorum opinione recedamus, niſi validiſſimis coacti rationibus. Quod ſi rationes à Dallæo aliiſque ad evertendam hanc Veterum Eccleſiæ Patrum ſententiam allatas expendamus, tales eas inveniemus, quæ neminem præjudicio non laborantem, in contrariam opinionem inducant. Primo enim Dallæus de jejun. & quadrag. lib. 2. cap. 4. aliique objiciunt Philonem de Therapeutis agentem, dicere παλαιοὺς ἄνδρας τῆς αἱρέσεως ἀρχηγέτας γενέσθαι *viros antiquos ſectæ iſtius autores fuiſſe*, eoſque πολλὰ μνημεῖα τῆς ἐν τοῖς ἀλληγορουμένοις ἰδέας ἀπολιπεῖν *multa reliquiſſe monumenta doctrinæ illius quæ in allegoriis poſita eſt.* Atqui neque Marcus, inquiunt, neque Apoſtoli Philoni, qui ſub Caio floruit, antiqui dici potuerunt, neque vero ulla allegoricæ, quam dicit, ideæ monumenta reliquerunt. Huic autem objectioni ex parte ſaltem reſpondit Euſebius, utpote qui traditum reliquit Philonem etiam Claudij Auguſti, qui Caio ſucceſſit, temporibus Romæ cum Petro, qui verbum Dei illic prædicabat, familiarem congreſſum habuiſſe, & commentarium illum de Therapeutis εἰς ὕστερον καὶ μετὰ χρόνους, *multis poſt annis* ab eo elaboratum eſſe. Hæc Euſebius, Hiſt. Eccleſ. lib. 2. cap. 17. Quæ fidei ac rei veritati abſona eſſe, opinionis hujus adverſarij, nec probarunt adhuc, nec ut opinor, unquam probare poterunt. His autem poſitis, objectio iſta facile diluatur. Etenim ſi Philo, non niſi longo poſt congreſſum ipſius, quem cum S. Petro Romæ, Claudio imperante, habuit, tempore tractatum illum conſcripſerit, Therapeutæ, quorum ibi diſcribit diſciplinam, nonnulla ex Evangeliis & Apoſtolorum ſcriptis ſecum prius habere poterant, quàm ab eo celebrati ſunt. Quod etiam Euſebio viſum eſt, dicenti, τάχα δ' εἰκὸς ἃ φησιν, ἀρχαίων παρ' αὐτοῖς εἶναι συγγράμματα, τάχα εὐαγγέλια, καὶ τὰς τῶν ἀποστόλων γραφὰς τυγχάνειν, διηγήσεις δέ τινας κατὰ τὸ εἰκὸς τῶν πάλαι προφητῶν ἑρμηνευτικάς. *Quos autem ait penes illos fuiſſe,*

veterum

veterum quorundam commentarios, veriſimile eſt ipſa eſſe Evangelia & Apoſtolorum ſcripta, & expoſitiones quaſdam veterum prophetarum. Euſeb. ibid. Marcus igitur Evangeliſta, aliique ex primis Chriſti diſcipulis, qui prima fidei noſtræ monumenta Therapeutis tradiderant, Philoni antiqui fortaſſe viri viderentur, quippe quos primos fuiſſe iſtius ſectæ, cujus initium ipſe ignorabat, autores ab ipſis Therapeutis acceperat. Adhæc Therapeutæ, etiamſi modo Eſſeni non eſſent, cùm tamen vel ex iis vel ex aliis ſaltem Judæorum ſectis ad religionem Chriſtianam converſi fuiſſent, vetuſtiores quaſdam prophetarum, ut ait Euſebius, expoſitiones, alioſque à majoribus acceptos de rectâ vivendi ratione commentarios penes ſe etiam tum habere poterant, quorum antiquos autores ſectæ illius ἀρχηγέτας fuiſſe, Philoni proclive eſſet opinari. Nec difficilius fuit ei ſuſpicari, eoſdem Allegoricæ doctrinæ Therapeutis uſitatæ monumenta reliquiſſe. Antiquos enim Judæos & præſertim Eſſenos, ſacras ſcripturas allegoricè expoſuiſſe, neminem latet. Extant hodieque ipſius Philonis in legem allegoriæ Ariſtobulus etiam ante Philonem commentariis ſuis in Pentateuchum Moſis allegorias quaſdam interſeruit. Imo quidem ipſe D. Paulus ſacras ſcripturas allegoricè nonnunquam interpretatur, ut quarto capite Epiſtolæ ad Galatas, de Iſaaco & Iſmaele, illo ex liberâ, hoc ex ancillâ nato: alibique non ſemel. Quin ipſe etiam Dominus omnia propemodum in parabolis vulgo locutus eſt, quæ aliter quam allegoricè exponi non poſſunt. Ac propterea non mirum eſt quod Therapeutæ, licet Chriſtiani, nonnulla allegoricæ doctrinæ monumenta penes ſe haberent; mirum potius eſſet ſi non habuiſſent.

VI. Sunt & alia nonnulla quæ contra veterum de Therapeutis opinionem objici ſolent, quæ tamen facile diluantur. Dallæus enim opponit a Philonis de iis verba, ταῖς ἑβδόμαις συνέρχονται, ut illos ſabbatum obſervâſſe indicantia: nimirum ac ſi Chriſtiani dominicas totius anni obſervantes ταῖς ἑβδόμαις συνέρχεσθαι non dicantur, æque ac Judæi qui ſabbata. Philo non ait eos ſabbatis ſed *ſeptimis diebus* conveniſſe, at niſi longe illor opinione, qui dominicis conveniunt, ſeptimis quibuſque diebus convenire dicantur, non minus quam illi qui ſabbatis: verum & ſi ſabbata Judaica hic intelligantur, nihil exinde proficiet Dallæus, quem latere non potuit, nonnullos è primis Chriſtianis ſabbata iſta aliquamdiu obſervâſſe. Qui propterea, hâc tantum nominatâ, ad aliam protinus objectionem tranſit, ſic habentem, Philo Therapeutas ſuos ἐπιχειρονομεῖν καὶ ἐπορχεῖσθαι, *variis manuum geſticulationibus uti & ſaltare ſive choreas ducere* poſt cœnam ſolitos narrat. *Quæ inepta ſunt*, inquit Dallæus, *& Judaica, à veterum Chriſtianorum religione aliena.* De jejun. & quadrag. lib. 2. c. 4. Cùm ipſe autem fateatur hæc *Judaica* eſſe, nec illi nec alij cuiquam mirum videatur, ſi ij qui à Judaiſmo ad fidem Chriſtianam nuper

converſi

converſi ſunt, iſta parumper retinuerint; Nonnullas enim è Judaicis ſuperſtitionibus ab aliquibus Judæis Chriſtianis modo factis obſervatas fuiſſe, omnibus in antiquitate verſatis notiſſimum eſt. Dallæum ſaltem prætcrire non potuit: qui tamen ſeſe doctiſſimorum, quos ante laudavimus, Patrum ſententiam tenuiſſimis hiſce ſtrophis evertiſſe putavit. Nihil enim præterea contra eam excepit, & tamen in contrariam totus abiit. Alij autem alias excogitarunt exceptiones. Dicunt enim Therapeutas, ut à Philone deſcriptos, bis tantum quotidie preces fudiſſe, Oriente nimirum ſole & occidente. *At primi*, inquiunt, *Chriſtiani tertiâ, ſextâ, nonâ & ſingulis non diei modo, ſed & noctis horis Deum orabant.* Non equidem diffiteor, quin hoc & primis & ſingulis vere Chriſtianis ſolenne fuerit, & eſt, ut ſingulis propemodum horis Deum prece adorent; nec probari poteſt quin Therapeutæ idem fecerint. Etiamſi enim Philo eos bis quotidie precari ſolitos dixerit, non tamen dixit eos ſæpius non precatos eſſe. Neque etiam de privatis ſingulorum, ſed de publicis omnium in ſemneis congregatorum precibus loquitur, & quamvis bis tantum quotidie publicas & communes precationes fecerint, nihil tamen obſtat, quo minus ſingulis noctis pariter ac diei horis Deum privatim oraverint.

VII. At Philo ait Therapeutas hymnos & cantica vario metrorum genere in honorem Dei compoſuiſſe, *quod cadere*, inquiunt, *non poteſt in primævos illos Chriſtianos, quoniam noſtri hymnos ſeriùs contexere cœperunt, poſt Antoninorum ſcilicet tempora, cum viri docti ſeſe ad religionem noſtram applicuiſſent.* Hoc ſane dicitur, ſed non probatur: nec ipſe ſaltem video quâ ratione probari poteſt, vel etiam defendi. Primos enim Chriſtianos, pſalmos, hymnos, & cantica ſpiritualia cantare ſolitos eſſe, extra dubium eſt. Id enim ab Apoſtolo in mandatis datur, Epheſ. V. 19. Coloſ. 3. 16. ubi etiamſi concedamus pſalmos & hymnos in Dei laudem oratione ſolutá compoſitos & cantatos fuiſſe, ὠδαὶ πνευματικαὶ ab Apoſtolo memoratæ, artificioſæ videntur Cantiones, & vario metrorum genere contextæ. ὠδὴ enim *Carmen*, quod metricè ſcribi ſolet, proprie ſignificat. Dionyſius Halicarnaſſæus, τὰς μὲν ὠδὰς καλοῦσι Ῥωμαῖοι χάρμινα. Archæol. Rom. lib. 1. Et quidem ut Apoſtolus ὠδὰς καὶ ὕμνους *Carmina*, ſive *Cantica* & *Hymnos* diſtinguit, ſic Philo Therapeutas ᾄσματα καὶ ὕμνους *Cantica & Hymnos* in Dei laudem feciſſe narrat; ὥστε, inquit, οὐ θεωροῦσι μόνον, ἀλλὰ καὶ ποιοῦσιν ᾄσματα καὶ ὕμνους εἰς τὸν θεὸν διὰ παντοίων μέτρων καὶ μελῶν. Quod quidem ab Apoſtolicæ Eccleſiæ inſtitutis uſque adeo non abhorret, ut iis ſummè potius conſonet; & ab ipſo initio ac deinceps perpetuo uſitatum fuit. Hoc enim & è Plinio ſecundo diſcimus, in Epiſtolâ ad Trajanum dicente, Chriſtianos ſui temporis ſolitos fuiſſe

fuiſſe *ſtato die ante lucem convenire, carmenque Chriſto quaſi Deo dicere ſecum invicem.* Trajanus autem ante omnes Antoninos imperium Romanum adminiſtravit. Adhæc antiqui cujuſdam libri adverſus Artemonis hæreſin conſcripti fragmentum apud Euſebium extat, Hiſt. Eccleſ. lib. 5. cap. 28. in quo ad demonſtrandum Chriſti divinitatem ab Eccleſiâ perpetuo prædicatam fuiſſe, inter alia hæc habemus, Ψαλμοὶ δὲ ὅσοι καὶ ᾠδαὶ ἀδελφῶν ἀπαρχῆς ὑπὸ πιστῶν γραφεῖσαι τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ τὸν Χριστὸν ὑμνοῦσι θεολογοῦντες, *Pſalmi quoque & Cantica fratrum ab initio à fidelibus conſcripta Chriſtum verbum Dei concelebrant, divinitatem ei tribuendo.* Unde, non minus quam à Plinio, conſtat Pſalmos & Cantica ab antiquiſſimis Eccleſiæ temporibus, imo *ab initio* in Chriſti honorem compoſita fuiſſe, quæ tantæ apud poſteriores autoritatis fuerunt, ut autor hic, qui tertio ineunte ſeculo vixiſſe videtur, iis ad confirmandam contra hæreticos fidei noſtræ doctrinam uteretur. Quæ itaque Philo de Therapeutarum hymnis narrat, veterum de iis opinionem non evertunt, immo vero confirmant. Ut è quibus conſtat eos iiſdem in pſallendo uſos fuiſſe ritibus, qui apud Chriſtianos per omnia ſecula obtinuerunt. Enimvero Antiphonis uſi ſunt, hymnos ſuos alternatim ſive viciſſim Deo canentes. Εἶτ᾽, inquit Philo, ᾄδουσι πεποιημένους εἰς τὸν Θεὸν ὕμνους πολλοῖς μέτροις καὶ μέλεσι, τῇ μὲν συνηχοῦντες, τῇ δὲ καὶ ἀντιφώνοις ἁρμονίαις ἐπιχειρονομοῦντες, καὶ ἐπορχούμενοι, καὶ ἐπιθειάζοντες. Quod à ſuæ ætatis Chriſtianis factum ſubindicat Plinius, ubi loco ſupra laudato, eos *carmen Chriſto quaſi Deo dicere ſecum invicem* ait. Hunc Antiphonarium canendi modum in vigiliis ſaltem celebrandis (de quibus etiam Philo loquitur, ubi Therapeutas alternatim ceciniſſe ſcribit) in omnibus Eccleſiis ſuo tempore obſervatum fuiſſe, locupletiſſimum habemus teſtem S. Baſilium in Epiſtolâ LXIII. ad Clericos Eccleſiæ Neocæſarienſis. Socrates eundem ab ipſo S. Ignatio Apoſtolis æquali deducit, Hiſt. Eccleſ. lib. 6. cap. 8. Præterea cum Therapeutæ ſacra celebrabant, præſes hymnum in laudem Dei primus canebat, cæteris quietè auſcultantibus, præterquam in fine hymni extremâque clauſulâ, tunc autem omnes ſine ſexus diſcrimine vocem attollebant, ſic enim Philo de iis loquens, Πάντων κατὰ πολλὴν ἡσυχίαν ἀκροωμένων, πλὴν ὁπότε τὰ ἀκροτελεύτια καὶ ἐφύμνια ᾄδειν δέοι· τότε γὰρ ἐξηχοῦσι πάντες τε καὶ πᾶσαι. Hic autem ritus à veteribus Chriſtianis paſſim obſervatus fuit. Cùm Chriſtiani enim reliquias Babylæ martyris à Daphne ſuburbano Antiochiæ ad alium locum juſſu Juliani Apoſtatæ transferebant, inter eundem Pſalmos canebant, ἐξῆρχον δὲ, inquit Sozomenus, τῶν Ψαλμῶν τοῖς ἄλλοις οἱ τούτοις ἀκριβοῦντες, καὶ ξυνεπήχει τὸ πλῆθος ἐν συμφωνίᾳ, καὶ ταύτην ῥῆσιν ἐπῇδεν, ἠσχύνθησαν πάντες οἱ προσκυνοῦντες τοῖς γλυπτοῖς, οἱ ἐγκαυχώμενοι τοῖς εἰδώλοις. *Præcinebant autem cæteris*

ij qui Pſalmos apprimè callebant, multitudo deinde reſpondebat cum concentu, *CONFUSI SUNT OMNES QUI ADORANT SCULPTILIA, QUI GLORIANTUR IN SIMULACRIS.* Zozom. lib. 5. cap. 19. Hæc ultima itaque verba, *Confuſi ſunt omnes*, &c. à toto Chriſtianorum præſentium Choro poſt Pſalmos cantabantur, tanquam ἀκροτελεύτια καὶ ἐφύμνια iſti occaſioni accommodata. Et hujuſmodi quidem clauſulæ poſt pſalmoſque hymnoſque à totâ multitudine modulatè recitari ſolitæ, ut à Therapeutis, ſic etiam à Sozomeno ἀκροτελεύτια vocantur, qui de Eccleſiaſticis Arianorum conventibus agens, hæc habet, καὶ εἰς συστήματα μεριζόμενοι, κατὰ τὸν τῶν ἀντιφώνων τρόπον ἔψαλλον, ἀκροτελεύτια συντιθέντες πρὸς τὴν αὐτῶν δόξαν πεποιημένα, *& in cœtus diviſi antiphonatim pſallebant*, ἀκροτελεύτια *ſive clauſulas quaſdam juxta ipſorum Dogma compoſitas adjicientes*. Soz. Hiſt. Eccl. lib. 8. cap. 8. Ubi iis vitio vertitur, non quod antiphonatim pſallebant, neque quod ἀκροτελεύτια ſubjiciebant, ſed quod ea ad ipſorum dogma compoſuerant, hoc ſcilicet modo, *Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto.* Hoc enim ἀκροτελεύτιον eſſe quod Ariani poſt Pſalmos canere ſolebant, teſtatus eſt Philoſtorgius, lib. III. Quin hunc pſallendi modum ab Eccleſiâ etiam Catholicâ publico uſu receptum fuiſſe, ex ipſo S. Athanaſio videre eſt, qui de ſeipſo ait, καθεσθεὶς ἐπὶ τοῦ θρόνου, προέτρεπον τὸν μὲν διάκονον ἀναγινώσκειν ψαλμὸν, τοὺς δὲ λαοὺς ὑπακούειν, ὅτι εἰς τὸν αἰῶνα τὸ ἔλεος αὐτοῦ, *Sedens in Cathedrâ meâ, Diacono juſſi, ut Pſalmum recitaret, populus autem reſponderet*, *QUONIAM IN SECULUM MISERICORDIA EJUS.* Athan. Apol. de fugâ. p. 717. Hæc clauſula, *Quoniam in ſecula miſericordia ejus*, quam populus poſt Pſalmum recitatum reſpondebat, (id enim, ut ſæpe alibi, ſic hoc in loco verbum ὑπακούειν ſignificat non *auſcultare*, ut ab interprete aliud agente vertitur) ἀκροτελεύτιον erat calamitoſæ iſti tempeſtati appoſitum, omnes enim in Eccleſiâ tunc temporis congregati unà cum S. Athanaſio militibus circumdabantur. Unde liquet iſtam pſallendi formulam à Therapeutis in Ægypto uſitatam, eandem fuiſſe quam Chriſtiani poſtea ibidem vulgo obſervarunt: quæque apud noſtram hucuſque Eccleſiam, æque ac apud Primitivam, etiamnum obtinet. Nam Doxologia illa, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, &c. commune eſt nobis omnium Pſalmorum & Hymnorum etiam, excepto, *Te Deum*, (aliiſque ſimilibus, quibus comprehenditur & explicatur) ἀκροτελεύτιον, καὶ ἐφύμνιον.

VIII. Ut in hymnis, ſic etiam in jejuniis celebrandis, veteris Eccleſiæ ritus à Therapeutis accuratè obſervati ſunt. Hi enim iſtis, quibus jejunia peragebant, diebus, nihil potabant præter aquam, edebant nihil præter panem & ſalem, & nonnunquam hyſſopum, ut è Philonis verbis ſupra

ſupra allatis conſtat. Hoc autem Eccleſiæ Primitivæ moribus conſenta neum eſſe, nemo, qui eos inſpexit, ignorare poteſt. In Conſtitutionibus enim Apoſtolorum dictis, hoc præceptum habemus, νηστεύετε μόνῳ χρώμενοι ἄρτῳ καὶ ἁλὶ καὶ λαχάνοις, καὶ ποτῷ ὕδατι, *Jejunate* (*ſex Antepaſchales dies*) *utentes tantummodo pane*, & *ſale* & *oleribus*, & *potu aquæ*. Conſtit. Apoſt. lib. 5. cap. 18. Hanc vero antiquam admodum conſtitutionem fuiſſe, ex eo patet, quod ab ipſo Epiphanio Διάταξις τῶν Ἀποστόλων diſerte dicatur, & ſub eo nomine laudetur. Hær. LXXV. num. 5. Tertullianus etiam jejunia à ſuæ ætatis Chriſtianis *ſimplici pabulo, puroque aquæ potu* peracta memorat: de Patient. cap. XIII. Nam *pane* & *aquâ victitabant*. Id. de jejun. cap. 13. Hæc proprie eſt ξηροφαγία iſta à Tertulliano aliiſque antiquiſſimis Eccleſiæ ſcriptoribus toties celebrata. Quin & autor libri qui Hermæ Paſtor vocatur, ab ipſo Tertulliano nonnunquam notatus, paſtorem ſuum introducit dicentem, *Illo die quo jejunabis, nihil omnino guſtabis præter panem* & *aquam*. Herm. paſt. lib. 3. ſimil. 5. Iſte autem liber primis Chriſtianiſmi diebus proculdubio ſcriptus fuit. Adeo ut mirum nemini videatur, quod Therapeutæ à Philone deſcripti, etiamſi Chriſtiani eſſent, arcta adeo jejunia celebrârint: Neque etiam quod Philo dixerit, nonnullos eorum tribus, alios ſex propemodum diebus jejunare ſolitos. Ἔνιοι δὲ, inquit, καὶ διὰ τριῶν ἡμερῶν οὐκ ὑπομιμνήσκονται τροφῆς, οἷς πλείων ὁ πόθος ἐπιστήμης ἐνίδρυται. τινὲς δὲ οὕτως ἐνευφραίνονται καὶ τρυφῶσιν ὑπὸ σοφίας ἑστιώμενοι, πλουσίως καὶ ἀφθόνως τὰ δόγματα χορηγούσης, ὡς καὶ πρὸς διπλασίονα χρόνον ἀντέχειν, καὶ μόλις δι' ἓξ ἡμερῶν ἀπογεύεσθαι τροφῆς ἀναγκαίας. *Nonnulli ex his toto triduo cibum capere omittunt, dum ardentiori diſcendi cupuditate rapiuntur. Quidam vero tam incredibili voluptate tantiſque deliciis perfunduntur, dum paſcuntur epulis ſapientiæ, quæ ſalubria ipſis præcepta tanquam opiparum convivium apponit, ut duplo diutius famen perferant*, & *vix ſexto die neceſſarium cibum deguſtent*. Phil. de vitâ contempl. & apud Euſeb. lib. 2. cap. 17. Hæc enim Philonis verba Euſebius perſpicue & abſque dubitatione de Chriſtianis dicta eſſe arbitratur. Et quidem certe quicquid hic de Therapeutarum jejuniis à Philone dicitur, id Epiphanius Chriſtianis, ſalutaris ſaltem paſſionis hebdomade, in more poſitum fuiſſe tradidit. Nam varios Eccleſiæ ritus recenſens, ait, τὰς δὲ ἓξ ἡμέρας τοῦ πάσχα ἐν ξηροφαγίᾳ διατελοῦσι πάντες οἱ λαοὶ, φημὶ δὲ ἄρτῳ, καὶ ἁλὶ, καὶ ὕδατι τότε χρώμενοι πρὸς ἑσπέραν, ἀλλὰ καὶ οἱ σπουδαῖοι διπλᾶς, καὶ τριπλᾶς, καὶ τετραπλᾶς ὑπερτίθενται, καὶ ὅλην τὴν ἑβδομάδα τινὲς, ἄχρι ἀλεκτρυόνων κλαγγῆς, τῆς κυριακῆς ἐπιφωσκούσης, *Præterea ſex illos paſchatis dies Xerophagiâ ſive*

artiùs victu tranſire omnis populus aſſuevit, hoc eſt, panem duntaxat cum aquâ ſub veſperam adhibere. Imo vero nonnulli ad biduum, vel triduum, vel quatriduum uſque jejunia prorogant; alii totam hebdomadem ad uſque ſequentis dominicæ gallicinium ſine cibo tranſmittunt. Epiph. in expoſ. fidei. Eadem fere tradidit ante Epiphanium Dionyſius Alexandrinus in Epiſtolâ Canonicâ ad Baſilidem, de quâ poſtea. Ut è Therapeutis itaque, ſic etiam è Chriſtianis nonnulli tres, alij ſex dies, totam ſcilicet hebdomadem Antepaſchalem jejuni tranſegerunt. Quod ſummum Chriſtianos inter & Therapeutas conſenſum demonſtrat. Quibus ultimo accedit, quod Therepeutæ in multis orbis regionibus, inter Græcos etiam & Barbaros inventi fuerint, ut teſtatur Philo. Quod etiamſi à nonnullis ad deſtruendam Patrum de iis ſententiam adducatur, eandem potius adſtruit. Hoc enim de Eſſenis dici non potuit, qui, ipſo etiam Philone teſte, vix plures erant quam quatuor millia, iique Syriam & Palæſtinam incolebant: At Chriſtiani numeroſi admodum iſtis etiam diebus erant. Mox enim poſt Chriſti aſcenſionem tria circiter millia hominum uno die ad eum converſi ſunt: & religio ab eo docta indies augeſcebat: adeo ut ad omnes imperij Romani, imo totius orbis fines quam citiſſimè propagaretur. Nec ulla inter Judæos, neque inter Gentiles ulla iſtis diebus extabat ſecta, quæ tot orbis regiones, quot fides Chriſtiana, peragrabat. Ac proinde quod hic etiam de Therapeutis à Philone dicitur, ad nullos alios tam apte & appoſitè, quam ad Chriſtianos referri poteſt.

IX. Re igitur in utramque partem perpenſâ, etiamſi omni aſſeveratione affirmare non auſim Therapeutas à Philone memoratos religionem Chriſtianam amplexos eſſe, cum tamen tot tantique Patres id aſſeruerint, cum tot illi inſtituta Chriſtianis ſimillima, imo vero eadem inter ſe habuerint, cùm quicquid Philo de iis poſteritati tradidit, in Chriſtianos, eoſque; quos ſcimus, ſolos ſcitè congruat, cùm nihil denique in contrarium adhuc adductum fuerit, nec, quantum conjecturâ aſſequi poſſum, unquam adduci poſſit, ea quæ illud affirmat, probabilior nobis, veroque multo ſimilior videtur opinio, idque jure, ut liquet, meritiſſimo. Nobis autem in hâc controverſiâ cum iſtiuſmodi viris inſtituitur diſputatio, qui nihil in antiquitate, quod præſumptis ſaltem ipſorum opinionibus refragatur, credent, niſi invictiſſimis neſcio quibus rationibus, ad id, ut ipſius Dallæi verbo utar, *cogantur.* Vel quod idem eſt, niſi probetur impoſſibile prorſus eſſe, ut aliter ſe res haberet. Atqui poſſibile eſt, fateor, ut Therapeutæ non eſſent Chriſtiani. Poſſibile eſt ut multos Chriſtianorum ritus imitarentur, & tamen ipſi in Chriſtum non crederent. Poſſibile eſt denique ut quaſi Apoſtolicam ac Chriſtianam vitam traducerent, etiamſi nec de Apoſtolis nec de Chriſtianis unquam audiviſſent. Et hinc eſt quod mecum recolens quibuſcum diſputo, eos re-

vera

vera Chriſtianos fuiſſe affirmare nolo. Hoc tamen dico, quod ſi Chriſtiani non eſſent, Chriſtianis ſaltem ſimillimi erant. Nec ad aliam quamcunque ſectam revocari poſſunt. Et mirum cuivis videatur, ſi talis tantaque in multis orbis regionibus inveniretur hominum ſecta, quæ à nullo unquam ſcriptore, præterquam ab uno Philone, nec ſub Therapeutarum, nec ſub alio quocunque nomine memoriæ proderetur. Quod tamen neceſſario dicendum eſt, niſi eos Chriſtianos fuiſſe dicamus. Et præterea, etiamſi Dallæus ſuum ipſius ingenium graviſſimo Sanctorum Patrum, Euſebij, Hieronymi, & Epiphanij judicio, unà cum aliis prætulerit, nobis non licet eſſe tantâ noſtri opinione inflatis. Quippe qui probe novimus, eos non tantum omnimodo eruditiores, verum & fideliſſimos fuiſſe viros, qui nihil literis mandare voluerunt, quod non ſibi perſuaſiſſimum habebant. Illi autem omnes in Philonis tractatum *de vitâ contemplativâ* incidentes, uno affirmarunt ore, Therapeutas ibi deſcriptos verè Chriſtianos fuiſſe, idque propterea quod eoſdem plane ab iis atque à ſuæ ætatis Chriſtianis obſervatos fuiſſe ritus viderent. Quibus proinde major habenda eſt fides, quam doctiſſimis quibuſcunque viris, qui hoc remotiſſimo ab iis ſeculo exorti ſunt, vel etiam exoriri poſſunt. Illi enim Eccleſiaſticos ſuæ ætatis ritus, è quibus judicium de Therapeutis fecerunt, multo magis ſibi perſpectos habuerunt, quam ij qui plurimis poſt ſeculis nati, & ab ipſo natali vel aliis, vel nullis aſſueti fuerunt ritibus ac cæremoniis: ac propterea vix clariſſimis inducantur rationibus, ut credant, alios unquam ab Eccleſiâ receptos fuiſſe mores, quam quos ipſi obſervant. Saltem de Eccleſiaſticis quarti ſeculi inſtitutis, æquo propemodum fervore nunc dierum agitantur controverſiæ, ac de ipſis Therapeutis. Adeo ut magna pars eorum, qui de hâc re ſcripſerunt, ritus à Therapeutis obſervatos apud quarti ſeculi Chriſtianos obtinuiſſe negarint. Quo occœcati præjudicio, haud mirum eſt, ſi nihil religionis Chriſtianæ à Therapeutis excultum videre poſſint. Hoc autem de Patribus quarti ſeculi dici non poteſt: utpote qui de Eccleſiæ moribus ſuâ ætate uſitatis minimè dubitarint: quibus ſcilicet quotidie ſe exercebant. Cùm illi itaque tantam inter Therapeuticos & Eccleſiaſticos ſuæ ætatis ritus obſervarint conſonantiam, ut ex eâ Therapeutas Chriſtianos fuiſſe judicarent, eorum ſane judicium apud cautos prudenteſque viros magni habendum eſt. Nec à memet impetrare poſſum ut ab eo recedam, uſque dum fortiora in contrarium producta fuerint argumenta, quam quæ hactenus videre contigit. Præſertim cùm Sozomenus etiam, Caſſianus, aliique poſt eos eruditi viri in eandem ſententiam, non ſine ſummâ proculdubio ratione convenerint. Hanc autem ſententiam quicunque pro certâ admittunt, dubitare nequeunt, quin jejunium Antepaſchale ab ipſis Apoſtolis inſtitutum fuerit. Cùm hoc autem ita fortaſſe demonſtrari nequeat, ut ij etiam qui doctiſſimos Eccleſiæ Patres ſuſque deque habent, aſſenſum ei præbere

cogantur,

cogantur, hinc eſt quod ipſe hoc adſtruendæ jejunij Antepaſchalis antiquitati argumentum, non ex Philone ſed ex Euſebio petierim. Etiamſi autem Therapeutæ iſti nec S. Marci diſcipuli, nec omnino Chriſtiani eſſent, cùm tamen Euſebius cum aliis antiquis Eccleſiæ Patribus eos Chriſtianos fuiſſe opinatus ſit, & jejunia ab iis ſeptem hebdomades, quæ exceptis dominicis quadraginta circiter dies efficiunt, celebrata, eadem eſſe judicaverit, quæ ſuæ ætatis Chriſtiani ante Paſcha celebrare ſolebant, hinc legitimè ſaltem concludamus jejunium Quadrageſimale quarto ineunte ſeculo, quo vivebat Euſebius, paſſim à Chriſtianis obſervatum fuiſſe, & adeo antiquum habitum, ut ab ipſis Apoſtolis inſtitutum tunc temporis videretur.

CAPUT

CAPUT VI.

Synopſis.

I. Conſtantini M. *verba de jejunio Antepaſchali explicata.*

II. Dionyſiij Alexandrini *reſponſio de ſolutione jejunij Antepaſchalis. Quantâ religione ultimi ſex Quadrageſimæ dies antiquitus obſervati ſunt.*

III. *Non modo paraſceve & Sabbato magno, diebus illis quibus ablatus eſt ſponſus, ſed & ante eos celebratum fuiſſe jejunium ex ipſo* Tertulliano *probatur.*

IV. *Dies illos jejunio Antepaſchali conſecratos quadraginta fuiſſe ex* Origene Tertulliano *æquali demonſtratur. Cujus verba ab exceptionibus vindicantur.*

V. *Illuſtre pro jejuniis Antepaſchalibus è Synodis iſtis, quæ ſecundo exeunte ſeculo de Paſchali feſtivitate celebrandâ habitæ fuerunt, argumentum aſſertum, & explicatum.*

I. ADHÆC Conſtantinus M. qui Anno Domini CCCVI. imperare cœpit, ſuum de jejunio Quadrageſimali, ut iſtis diebus ubique obſervato, teſtimonium haud obſcurum tribuit. Enimvero plurimis ante ejus ætatem annis Eccleſia Chriſtiana de Paſchalis celebrandæ feſtivitatis tempore in diverſas partes abierat. Aſiani enim celebritatem iſtam quartâ decimâ lunâ primi menſis,in quamcunque hebdomadis feriam inciderit, habendam eſſe contenderant: quo ſcilicet die Judæi ex Moſis præſcripto agnum immolare ſolebant. Alij vero omnes Chriſtiani feſtum illud non alio quam reſurrectionis Dominicæ die, ſive Dominicâ quartam decimam illam lunam proximè ſequenti, ex Apoſtolicâ, ut ajebant, traditione celebrare conſueti fuerant. Hæc controverſia ab ipſis fere Apoſtolorum temporibus exorta, non ante Concilium Nicænum à Conſtantino coactum ſedata fuit. Iſtud autem Concilium ex univerſâ Eccleſiâ convocatum, decrevit ut feſtum Paſchale uno eodemque die in omnibus Eccleſiis perageretur, Dominico ſcilicet quartam decimam lunam poſt æquinoctium vernum ut tum temporis commiſſum, conſequente. Dimiſſo Concilio, Conſtantinus Imperiales ſuas literas ad omnes Eccleſias miſit, ſuadens, ut inter alia Synodi iſtius decreta, hoc etiam

etiam de Paſchate, religioſe admodum ubique obſervaretur. Quâ de cauſâ multa congeſſit argumenta; inter alia autem hæc habet, Λογισάσθω δὲ ἡ τῆς ὑμετέρας ὁσιότητος ἀγχίνοια, ὅπως ἐστὶ δεινόν τε καὶ ἀπρεπὲς κατὰ τὰς αὐτὰς ἡμέρας, ἑτέρους μὲν ταῖς νηστείαις σχολάζειν, ἑτέρους δὲ συμπόσια συντελεῖν, καὶ μετὰ τὰς τοῦ πάσχα ἡμέρας, ἄλλους μὲν ἐν ἑορταῖς καὶ ἀνέσεσιν ἐξετάζεσθαι, ἄλλους δὲ ταῖς ὡρισμέναις ἐκδεδόσθαι νηστείαις. *Conſideret quæſo veſtræ ſanctitatis ſolertia, quam grave ſit & indecorum, iiſdem diebus alios quidem jejuniis intentos eſſe, alios vero convivia celebrare: & poſt dies Paſchæ, alios quidem in feſtivitatibus & animorum remiſſione verſari, alios vero definitis vacare jejuniis*, apud Euſeb. de vitâ Conſtant. lib. 3. cap. 18. & apud Socrat. Hiſt. Eccl. lib. 1. cap. 9. & Theodoret. Hiſt. Eccleſ. lib. 1. cap. 10. Ex his Conſtantini verbis apparet, primo, omnes ubique tunc temporis Chriſtianos, tam Aſianos, qui lunâ quarta decimâ, quam alios omnes, qui dominicâ feſtum Paſchale celebrabant, in *definitis jejuniis* circa feſtum iſtud peragendis conſenſiſſe. Deinde apparet etiam Paſchalia iſta jejunia *definita* fuiſſe & ejuſdem ubique dierum numeri. Niſi enim Aſiani eundem dierum numerum ante ſuum Paſcha jejunarent, quem ante ſuum Catholici, haud neceſſe eſſet, ut ea cujus meminit Conſtantinus, differentia inter ipſorum jejunia oriretur. Supponamus enim Quartam decimam lunam incidiſſe in feriam tertiam, inter quam & dominicam ſequentem quatuor ſolidi dies interſunt; adeo ut quartadecimani Paſcha ſuum quatuor ſolidos dies prius obſervarent, quam Catholici: Si illi nihilominus totidem pauciores quam hi jejunarent dies, ambo jejunia ſua antepaſchalia eodem die exordiri poterant. Quod ſi ambo eundem dierum numerum jejuniis tranſigerent, neceſſe erat, ut illi citius quam hi jejunia ſua inciperent pariter ac finirent, juxta quod à Conſtantino M. hic aſſeritur: qui hic & de capite & de fine jejunij antepaſchalis loquitur. De capite quidem, ubi ait, *grave & indecorum eſſe*, ut alij (quartadecimani ſcilicet, qui quadrageſimam ſuam citius quam Catholici incipiebant) *jejuniis intenti eſſent, alij autem* ſive Catholici *convivia adhuc celebrarent:* De fine autem ubi addit, *quam abſurdum eſſet, ut etiam poſt Paſchæ dies*, illi ſive Quartadecimani iterum, Paſchate ſuo ex. gr. tertiâ feriâ celebrato, *in feſtivitatibus poſtea verſarentur, Catholici autem uſque ad ſequentem dominicam definitis adhuc jejuniis vacarent.* Sed dicat forſitan non nemo, verum quidem eſſe, quod Quartadecimani jejunium ſuum antepaſchale aliquot ſubinde diebus citius quam Catholici auſpicati fuerint, hinc tamen minime ſequi, jejunium iſtud, ut ab utrâque parte obſervatum, quadraginta fuiſſe dierum. Potuit enim ſex eſſe, vel quindecim, vel alius cujuſvis numeri dierum. Reſpondeo primo, Quartadecimanos non potuiſſe ſex continuos jejunare dies immediate ante ſuum Paſcha, niſi forſitan, quod rariſſimè accidit, quarta decima luna in ipſam

ſam Dominicam incideret. Quâcunque enim aliâ incidebat feriâ, præcedens Dominica ſex dierum jejunium interrumperet: utpote quâ jejunare omnibus ſemper illicitum fuit. Qui verò de ſex dierum jejunio loquuntur, de ſex iſtis continuis ante Paſcha ἀναστάσιμων diebus intelligendi ſunt, ut à Catholicis perpetuo jejunatis: & ipſos autem Quartadecimanos ſex ante ſuum Paſcha continuos dies arctioribus dicâſſe vel dicare potuiſſe jejuniis, nunquam audivimus. Reſpondeo ſecundo, quod Conſtantinus Magnus, hoc in loco ex univerſæ Eccleſiæ in Concilio Nicæno, cujus decreta hîc confirmat, congregatæ mente procul omni dubio locutus eſt. At Synodus iſta antepaſchale illud, cujus meminit Imperator, jejunium τεσσαρακοστὴν diſerte vocat, quod nomen, ut ante oſtendimus, quadraginta dierum jejunium indicat. Quin eodem etiam currente ſeculo definitum illud jejunium quadraginta dies celebratum fuiſſe, uſque adeo in iſtorum temporum monumentis patet, ut ipſe Dallæus id negare nequeat. Ac proinde de tali tantoque jejunio Imperator hoc in loco neceſſario intelligendus eſt. Omnem enim fidem ſuperat, ut Conſtantinus M. Eccleſiam univerſam, quam hic alloquitur, jejunium pauciorum dierum juxta univerſalis Concilij decretum obſervare ſuaderet, & tamen illa ſtatim poſtea, idem jejunium ſine ullâ univerſalis Concilij autoritate quadraginta dies prorogaret.

II. Hactenus de jejunio Quadrageſimali, ut à quarti ineuntis ſeculi ſcriptoribus memorato egimus. Videamus modo annon ij etiam, qui anterioribus claruerunt ſeculis, adeoque Apoſtolis propinquiores fuerunt, ejuſdem meminerint. Sane Dionyſius Alexandrinus, S. Cypriani æqualis, qui tertio ſcripſit ſeculo nondum adulto, Canonicam ſuam ad Baſilidem Epiſtolam his verbis exorſus eſt, Ἀπέστειλάς μοι, πιστότατε καὶ λογιώτατε υἱέ μου, πυνθανόμενος καθ' ἣν ὥραν ἀπονηστίζεσθαι δεῖ τῇ τοῦ πάσχα ἡμέρᾳ, *Miſiſti ad me, fideliſſime & ſapientiſſime fili, interrogans, quâ diei horâ Paſchæ jejunium ſolvendum ſit?* Unde liquet iſtius ætatis Chriſtianos jejunium antepaſchale tantâ religione celebrâſſe, ut ſcrupuloſè percontarentur, quâ diei horâ jejunium illud ſolvere liceat? Scrupulum hunc Baſilidæ injecit varietas illa, quam in hâc re obſervârat. Hi enim veſpere, alij non ante galli cantum jejunium iſtud ſolvendum eſſe contendebant. Is autem veritus, ne in re tanti, ut ipſi viſa eſt, momenti, per errorem laberetur, à Dionyſio Alexandrino enixe flagitavit, ut exactam ei horam exponeret, quâ jejunium ſolvere, & celebritatem Paſchalem exordiri liberum eſſet. Cui primo generatim reſpondet Dionyſius, τὸ μὲν γὰρ ὅτι μετὰ τὸν τῆς ἀναστάσεως τοῦ κυρίου ἡμῶν καιρὸν χρὴ τῆς ἑορτῆς καὶ τῆς εὐφροσύνης ἐνάρχεσθαι, μέχρις ἐκείνου τὰς ψυχὰς ταῖς νηστείαις ταπεινοῦντας, ὑπὸ πάντων ὁμοίως ὁμολογηθήσεται. *Quod enim poſt reſurrectionis Domini noſtri tempus oportet eos feſtum, lætitiamque*

 titiamque

titiamque inchoare, qui ad illud uſque animas jejuniis humiliant, erit apud omnes ſimiliter in confeſſo. Inter omnes ergo iſtis diebus conveniebat, jejunia antepaſchalia celebranda eſſe, nec prius ſolvenda, quam hora illa advenerit, quâ Chriſtus reſurrexit. *Verum hæc*, inquit Dionyſius, hora, *ex Evangeliſtis vix determinari poteſt.* Quibus ſic poſitis, ſpeciatim reſpondet, eos qui nimium feſtinant, & ante mediam noctem ſurgunt, ὡς ὀλιγώρους καὶ ἀκρατεῖς ab Eccleſiâ reprehenſos eſſe, ut qui propemodum antequam par ſit, curſum abruperint: eos autem qui differunt, & plurimum perferunt, & ad quartam uſque vigiliam fortiter abſtinent, ὡς γενναίους καὶ φιλοπόνους *ut generoſos & laborum tolerantes ſuſceptos eſſe.* τοῖς δὲ μεταξὺ, inquit, ὡς ἐκινήθησαν, ἢ ὡς ἠδυνήθησαν ἀναπαυσαμένοις, μὴ πάνυ διοχλῶμεν, ἐπεὶ μηδὲ τὰς ἓξ τῶν νηστειῶν ἡμέρας ἴσως, μηδὲ ὁμοίως πάντες διαμένουσιν, ἀλλ' οἱ μὲν καὶ πάσας ὑπερτιθέασιν ἄσιτοι διατελοῦντες, οἱ δὲ δύο, οἱ δὲ τρεῖς, οἱ δὲ τέσσαρας, οἱ δὲ οὐδεμίαν. *Iis autem qui interea vel ut moti ſunt, vel ut potuerunt, quieſcunt, non valde moleſti ſumus: quandoquidem nec ſex jejuniorum dies æqualiter, nec ſimiliter omnes expectant, ſed alij quidem etiam omnes tranſmittunt jejuni permanentes, alij duos, alij tres, alij quatuor, alij nullum.* Per τὰς ἓξ τῶν νηστειῶν ἡμέρας hebdomadem antepaſchalem hic intelligendam eſſe inter omnes conſtat. Eam ſcilicet quam veteres τὴν μεγάλην ἑβδομάδα, quamque Epiphanius hær. LXX. ἑβδομάδα τῆς ξηροφαγίας, & ἑβδομάδα τοῦ πάσχα, & τὴν ἁγίαν ἑβδομάδα, necnon in expoſitione fidei, τὰς ἓξ ἡμέρας τοῦ πάσχα, alibique abſolutè τὰς ἡμέρας τοῦ πάσχα vocat. Sex ènim iſtius hebdomadis dies, dominicâ ſcilicet exceptâ, arctioribus perpetuo jejuniis dicati fuerunt. Adeo ut iſti etiam qui carni & palato plus nimio indulgentes, priorem quadrageſimæ partem quâ par eſt religione non obſervârant, hos ultimos illius dies non jejunare nefas ducerent: quique priorem itidem partem ſtricte, hanc longe ſtrictiùs peragerent. Hinc inter Conſtitutiones Apoſtolorum vulgo dictas, legimus, ἐν ταῖς ἡμέραις οὖν τοῦ πάσχα νηστεύετε, ἀρχόμενοι ἀπὸ δευτέρας μέχρι τῆς παρασκευῆς, καὶ σαββάτου, ἓξ ἡμέρας, μόνῳ χρώμενοι ἄρτῳ, καὶ ἁλὶ, καὶ λαχάνοις, καὶ ποτῷ ὕδατι· οἴνου δὲ καὶ κρεῶν ἀπέχεσθε ἐν ταύταις· ἡμέραι γάρ εἰσι πένθους, ἀλλ' οὐχ ἑορτῆς. *In diebus igitur Paſchæ jejunate, incipientes à feriâ ſecundâ uſque ad paraſceven & ſabbatum, per ſex dies ſolo utentes pane & ſale, & oleribus, & aquæ potu. Abſtinete autem vino & carne iſtis diebus. Dies enim ſunt luctus & non feſti.* Conſtit. Apoſt. lib. 5. cap. 18. Quam religioſe autem hanc antiquitùs hebdomadem obſervârint, ex nemine melius, quam ex Epiphanio diſcamus, qui de Aerianis loquens hæc habet, Ἐν δὲ ταῖς ἡμέραις τοῦ πάσχα, ὅτε παρ' ἡμῖν χαμευνίαι ἁγνεῖαι, κακοπάθειαι, ξηροφαγίαι, εὐχαὶ, ἀγρυπνίαι τε καὶ νηστεῖαι,

καὶ πᾶσαι τῶν ψυχῶν αἱ σωτηρίαι τῶν ἁγίων παθῶν, αὐτοὶ ἀπ᾽ ἕωθεν ὀψωνοῦσι κρέα τε καὶ οἶνον, ἑαυτῶν τὰς φλέβας γεμίζοντες ἀνακαγχάζουσι, γελῶντες, χλευάζοντες τοὺς τὴν ἁγίαν ταύτην λατρείαν τῆς ἑβδομάδος τοῦ πάσχα ἐπιτελοῦντας. *Præterea ipſius diebus paſchatis, quod tempus nos* (Catholici) *humi cubando, caſtimoniam ſervando, affliƈtandoque corpore, nec non & aridorum ciborum uſu, precibus, vigiliis, jejuniis ac reliquis id genus ſaluberrimis animarum cruciatibus celebrare ſolemus, illi* (Aeriani) *è contrario jam tum diluculo obſonari ſolent, & carnibus, vinoque diſtenti, cachinnari, ridere, eoſque, qui illam paſchatis hebdomadem ſanƈtiſſimis illis religionibus traducunt, ludibrio habere.* Epiph. hær. LXXV. n. 3. Quinetiam in expoſitione fidei Catholicæ, ubi ex profeſſo agit de jejuniis ab Eccleſiâ Catholicâ obſervatis, totam quidem Quadrageſimam religioſe, paſchalem vero hebdomadem ſive ſex, ut vocantur, paſchatis dies quam religioſiſſimè celebratos fuiſſe docet. Dicit enim τὴν δὲ τεσσαρακοστὴν τὴν πρὸ τῶν ἑπτὰ ἡμερῶν τοῦ ἁγίου πάσχα ὡσαύτως φυλάττειν εἴωθεν ἡ αὐτὴ ἐκκλησία, ἐν νηστείαις διατελοῦσα· τὰς δὲ κυριακὰς οὐδ᾽ ὅλως, οὔτε ἐν αὐτῇ τῇ τεσσαρακοστῇ, τὰς δὲ ἓξ ἡμέρας τοῦ πάσχα ἐν ξηροφαγίᾳ διατελοῦσι πάντες οἱ λαοί. φημὶ δὲ ἄρτῳ, καὶ ἁλὶ, καὶ ὕδατι τότε χρώμενοι πρὸς ἑσπέραν. ἀλλὰ καὶ οἱ σπουδαῖοι, διπλᾶς, καὶ τριπλᾶς καὶ τετραπλᾶς ὑπερτίθενται, καὶ ὅλην τὴν ἑβδομάδα τινὲς ἄχρι ἀλεκτρυόνων κλαγγῆς, τῆς κυριακῆς ἐπιφωσκούσης. *Cæterum ante ſeptem paſchatis* (ἀναστασίμου) *dies quadrageſimam obſervare, atque in jejuniis perſeverare eadem conſuevit Eccleſia, Dominicis vero nullis omnino, adeoque nec ipſius Quadrageſimæ, jejunare ſolet. Præterea ſex paſchatis dies xerophagiis ſive arido viƈtu tranſire populus omnis conſuevit, hoc eſt panem duntaxat, & ſalem cum aquâ ſub veſperam adhibere. Imo vero nonnulli ad biduum, vel triduum, vel quatriduum uſque jejunia prorogant. Alij totam hebdomadem ad uſq; ſequentis Dominicæ gallicinium ſine cibo tranſmittunt.* Epiph. expoſ. fid. num. 22. Ex his inter ſe collatis patet, quo ſenſu verba Dionyſii Alexandrini ſupra allata intelligenda ſint. Hic enim eandem in ſex jejuniorum diebus, quam Epiphanius in ſex paſchatis diebus celebrandis varietatem obſervat. Quod alij ſcilicet duos, alij tres, alij quatuor, alij omnes iſtos ſex dies jejunare ſolebant, niſi quod Dionyſius addat, alios etiam *nullum* obſervâſſe, eos ſcilicet qui vel hæretici erant, vel nullius prorſus religionis. Ut igitur Epiphanius, ſic etiam Dionyſius hebdomadem Antepaſchalem, ſive ſex iſtos dies qui paſchalem feſtivitatem immediate præcedunt, arƈtiſſimis omnium jejuniis dicatos fuiſſe aſſerit. Ac proinde licet ipſe eodem quo Epiphanius modo diſertam Quadrageſimæ mentionem non induxerit, haudquaquam tamen ſequitur, quin jejunium Quadrageſimale æque ac ſex iſtorum, quos ille memorat, dierum tunc temporis ob-

ſervatum fuerit. Et ipſe enim Epiphanius etiam, ubi de Quadrageſima agit, de iſtis ſex jejuniorum diebus ſpeciatim loquitur. Neque opus erat ut Dionyſius alios memoraret, ſiquidem hi ſoli ad rem ipſius pleniſſimè faciebant. Quod ad Antepaſchale vero jejunium in commune ſpectat, ut iſtis diebus celebratum, illud luculenter adeo ex hiſce Dionyſij verbis patet, ut ipſe Dallæus, etiam invitus fateri cogatur, nonnullos ſaltem ante feſtum paſchale dies ab Eccleſiâ primitivâ jejuniis conſecratos fuiſſe. Qui vero Quadrageſimale cum noſtrâ Eccleſiâ jejunium hiſce diebus celebrare recuſant, iidem, quantum ipſe quidem vel videre unquam vel audire potui, nullum omnino antepaſchale jejunium celebrare ſolent. Qui propterea, ipſo etiam Dallæo, validiſſimo ipſorum patrono, judice, cum primitivis Eccleſiis non conſentiunt, nec ſi reviviſcerent, Eccleſiaſticam cum iis communionem haberent.

III. Sed altius adhuc aſcendamus, & videamus annon ſecundo etiam exeunte vel tertio ineunte ſeculo jejunium ante feſtum paſchale ab Eccleſiâ Catholicâ celebratum fuerit. Qui vero Tertulliani legit opuſcula, de hoc dubitare nequit. Is enim, cùm adhuc Catholicus eſſet, hæc ſcripſit, *Sic & die Paſchæ, quo communis & quaſi publica jejunij religio eſt, merito deponimus oſculum, nihil curantes de occultando quod cum omnibus facimus.* Tertul. de Orat. cap. 14. Iſtis nimirum diebus ſolenne erat Chriſtianis in ſacris ipſorum conventibus mutuam inter ſe invicem pacem ac charitatem ſancto oſculo teſtari. Qui vero jejunabant iſtam cæremoniam omittere ſolebant (eo ſcilicet, ut videtur, quod Judas Chriſtum oſculo tradiderat) adeo ut qui oſculum illud pacis ſubtrahebant, eo ſe jejunare proderent. Præcepit autem Dominus ut jejunia noſtra occultemus. Diſputat ergo hoc in loco Tertullianus contra eos, *qui jejunantes habitâ oratione cum fratribus ſubtrahunt oſculum pacis, quod eſt ſignaculum orationis*, ut ipſe loquitur, & iſthoc modo jejunium ſuum produnt. Dicit autem quod die paſchatis (σταυρωσίμου ſcilicet, ut inter omnes convenit) oſculum illud merito deponebatur, ob hanc rationem, quod *iſto die communis & quaſi publica jejunij religio eſt*, quo propterea jejunium celare nihil intererat: cum omnes tunc temporis jejunare, cuivis notum eſſet. Unde iſto ſaltem die, quo Paſſio Chriſti commemoratur, commune & publicum jejunium ab Eccleſiâ celebratum fuiſſe extra dubium eſt. Alibi autem proximum etiam diem, ſive Sabbatum magnum à Catholicis jejunatum eſſe notat. In Montani enim hæreſin modo delapſus adverſus Pſychicos (quo nomine Catholicos invidioſe indigitat) ſic diſputat, *Quanquam vos etiam Sabbatum, ſi quando continuatis, nunquam niſi in Paſcha jejunandum, ſecundum rationem alibi redditam.* Tertul. adverſ. Pſych. c. 14. In Paſcha itaque Sabbatum æque ac paraſceve (ut ipſe diem Paſchæ ſive ſextam hebdomadis Paſchalis feriam ibidem vocat) à Catholicis iſtius ſeculi jejunio dicatum eſt, *ſecundum rationem*, inquit, *alibi redditam*, eam

ſcilicet

ſcilicet quam ipſe in ſecundo ejuſdem libri capite his verbis reddit, *Certe in Evangelio illos dies jejuniis determinatos putant* (pſychici ſive Catholici) *in quibus ablatus eſt ſponſus, & hos eſſe jam ſolos legitimos jejuniorum Chriſtianorum, abolitis legalibus & propheticis vetuſtatibus.* Tertul. ibid.cap.2. Enimvero cum nonnulli Dominum noſtrum interrogâſſent, *Quare diſcipuli Johannis & Phariſæorum jejunant, tui autem diſcipuli non jejunant?* Reſpondit Ieſus, *non poſſunt filij thalami, quamdiu cum ipſis eſt ſponſus, jejunare*, ἐλεύσονται δὲ ἡμέραι ὅταν ἀπαρθῇ ἀπ' αὐτῶν ὁ νυμφίος, καὶ τότε νηστεύσουσιν ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις, *Venient autem dies cum auferetur ab iis ſponſus, & tunc jejunabunt in illis diebus.* Marc.cap.II. Luc.cap. V. Ex hiſce Domini verbis perſuaſum habuerunt Primitivi Chriſtiani, ſive, ut Tertulliani verbo utar, *putarunt* illos dies, quibus ablatus eſt ſponſus, jejuniis in Evangelio determinatos eſſe, eos ſcilicet quibus ſponſus ſive Chriſtus crucifixus eſt, & in ſepulchro conditus, hoc eſt Paraſceven & Sabbatum hebdomadis Paſchalis, quibus ſponſus à diſcipulis ablatus eſt, nec ante proximum diem ſive dominicum iis reſtitutus. Tertulliani itaque ætate Catholici, abolitis omnibus legalibus, hos ſolos legitimos, ab ipſo ſcilicet Chriſto conſtitutos fuiſſe jejuniorum dies arbitrati ſunt. *De cætero autem indifferenter jejunandum, ex arbitrio, non ex imperio novæ diſciplinæ, pro temporibus, & cauſis uniuſcujuſque, ſic & Apoſtolos obſervâſſe, nullum aliud imponentes jugum certorum & in commune omnibus obeundorum jejuniorum*, ut ibidem loquitur Tertullianus. Inter omnes igitur iſtius ſeculi Catholicos convenit, hos duos, eoſque ſolos dies in ipſo Evangelio jejuniis determinatos eſſe, & ab ipſis Apoſtolis obſervatos. Alios autem dies licet non quidem ex imperio novæ diſciplinæ, nec *ex lege præcepti*, ut idem paulo poſt ſe exprimit, veruntamen ex arbitrio jejunare ſolebant. Hoc enim ex eodem etiam ſcriptore liquet, Catholicos poſtea ſic alloquente, *Ecce enim convenio vos & præter Paſcha jejunantes, citra illos dies quibus ablatus eſt ſponſus.* Ibid.cap.13. Præter Paſcha igitur jejunabant, nec præter tantum, ſed & *citra* ſive *ante illos dies quibus ablatus eſt ſponſus.* Nam *citra* & *ultra* ſibi invicem opponuntur, & *citra calendas* idem eſt ac *ante calendas* apud Aulum Gellium, qui iiſdem, quibus Tertullianus, diebus vixit, lib.12.cap.13. Conſtat itaque Catholicos iſtis temporibus, non modo ipſos dies quibus ablatus eſt ſponſus, ſed & ante eos jejunâſſe: cum hoc tamen diſcrimine, quod illos quidem dies ex ipſius Chriſti præcepto, anteriores vero ex arbitrio, vel ex antiquâ conſuetudine, vel ex traditione potius, ſi non inſtitutione, Apoſtolicâ jejuni tranſigebant. Niſi enim ſolenne iis fuiſſet anteriores illos dies quotannis jejunare, hoc iis Tertullianus, jam Montaniſta non objectâſſet, quo ſtata jejunia à Montano inſtituta ab eorum objectionibus vindicaret.

IV. Alios itaque nonnullos ante illos quibus ablatus eſt ſponſus dies

tertio

tertio ineunte ſeculo ſolennibus dicatos fuiſſe jejuniis ab Eccleſiâ Catholica, ex ipſo Tertulliano ſatis abunde conſtat. Numerum autem iſtorum dierum ille ſilentio prætermiſit: qui tamen ex æquali ejus Origene facillime eliciatur. Hic enim non tantum de Paraſcevis, tanquam de diebus illis quibus ablatus eſt ſponſus, à Chriſtianis ſuæ ætatis ſolenniter jejunatis meminit, dicens, Ἐὰν δέ τις πρὸς ταῦτα ἀνθυποφέρῃ τὰ περὶ τῶν παρ' ἡμῖν κυριακῶν, ἢ παρασκευῶν, ἢ τοῦ πάσχα, ἢ τῆς πεντηκοστῆς δι' ἡμερῶν γινόμενα. *Quod ſi quis nobis ex adverſo regerat, noſtras dominicas, vel paraſcevas, aut paſcha, & pentecoſten ſolenniter recurrentes.* Orig. contra Celſ. lib. 8. pag. 392. Verumetiam alibi de abſtinentiâ Chriſtianâ loquens, ait, *Habemus enim Quadrageſimæ dies jejuniis conſecratos.* Id. in Levit. hom. X. Cum vox enim *Quadrageſima* quadraginta dierum ſpatium ſignificet, eâdemque Antepaſchale quadraginta dierum jejunium quarto currente ſeculo, ut oſtendimus, indigitatum fuerit, nemini dubium eſſe poteſt, quin eodem ſenſu hoc etiam Origenico loco uſurpetur, quo de iiſdem jejuniis à Chriſtianis celebrari ſolitis agitur. Quid è contra Dallæus? Has quidem in Leviticum homilias Origenis eſſe, & vel ab Hieronymo, vel à Ruffino latinè verſas, non negat. Sed *fieri*, inquit, *poteſt, ut quod ille græcè dixerat* προέορτον νηστείαν, *illi ſui ſeculi uſum ac loquendi morem ſequentes, Quadrageſimam appellaverint.* Dall. de jejun. & quadrag. lib. 3. cap. 4. pag. 427. Egregius quidem diſputandi modus, quo ſemel admiſſo nullus erit diſputandi finis, nullus ſcribendi uſus. *Fieri poteſt ut Origenes hoc in loco græcè dixerit* προέορτον νηστείαν, *ergo non dixit* τεσσαρακοστήν. Mira ſane conſequentia, præſertim ubi de facto quæritur, non quid *fieri poteſt*. Quid autem ſi fieri non poteſt, ut Origenes προέορτον νηστείαν diceret? Alibi profecto non προέορτος, nedum προέορτος νηστεία occurrit. Occurrit fateor apud Greg. Nazianzenum προεόρτιος κάθαρσις, & προεόρτιος εὐφροσύνη, necnon apud Philonem Judæum de Therapeutis loquentem προεόρτιος τῆς μεγίστης ἑορτῆς. Sed ubi quæſo προέορτος, vel etiam προεόρτιος νηστεία. Quid etiam ſi fieri poſſit ut προεόρτιος νηστεία alicubi legatur? Fieri tamen non poteſt, ut ita in citato Origenis loco legatur. Si loco enim vocis τῆς τεσσαρακοστῆς quam interpretes *Quadrageſimam* verterunt, ex Dallæi mente ſubſtituamus προεόρτιον νηστείαν, verba iſta ſic haberent, *Habemus enim* τὰς τῆς προεορτίου νηστείας ἡμέρας *jejunij feſtum præcedentis dies jejuniis conſecratos.* Quæ adeo impropria & ridicula eſt loquendi formula, ut nemo præter Dallæum Origeni eam attribueret. Quinetiam ſi Origenes προέορτον vel προεόρτιον νηστείαν dixiſſet, interpretes *Quadrageſimam* non vertiſſent, ſed *jejunium præcedens feſtivitatem* vel aliquid ſimile, quod vox

Qua-

Quadrageſima haudquaquam denotat. Cum itaque Hieronymus, vel Ruffinus, vel quicunque demum Origenis homilias latine interpretatus eſt, vocem *Quadrageſimam* hoc in loco uſurparit, nihil dubij eſſe poteſt, quin idem vocem τεσσαρακοστὴν in iſto Codicis Græci loco legerit. Unde ſimul evincitur, jejunium Antepaſchale etiam Origenis ætate, hoc eſt, tertio ineunte ſeculo τῆς τεσσαρακοστῆς· nomine nuncupatum fuiſſe, pariter atque Concilij Nicæni tempore. τεσσαρακοστὴ vero dici non potuit, niſi quadraginta eſſet dierum. Cùm Tertullianus itaque dicat Catholicos ſui temporis, ſive ut ipſe eos vocat Pſychicos, alios *citra dies quibus ablatus eſt ſponſus* jejuniis conſecrâſſe,& æqualis ejus Origenes *Quadrageſimæ* dies jejuniis conſecratos aſſerat, legitima exinde concluſio infertur, Quadrageſimale jejunium diebus illis quibus ablatus eſt ſponſus terminatum, iſto etiam tempore à Catholicis religioſe obſervatum fuiſſe. Etiamſi non negem quin fieri poſſit, ut à nonnullis vel hæreticis vel irreligioſis in levi forſitan haberetur.

V. Adhæc non modo tertio ineunte, ſed & ſecundo nondum finito ſeculo, publico & communi Eccleſiæ uſu receptum eſt,ut aliquot ante feſtum paſchale dies jejuniis ex Apoſtolicâ traditione dicarentur. Hoc ex controverſiâ iſtâ patet, quæ iſtis diebus de feſto paſchali celebrando emergebat. Euſebius enim ex Actis Synodorum & Epiſtolis eâ de re ſcriptis tradidit, quod omnes per Aſiam Eccleſiæ vetuſtâ quadam traditione nixæ feſtum Paſchæ diem quarta decimâ lunâ celebrandum eſſe cenſerent, quo ſcilicet die Judæis præſcriptum erat ut agnum immolarent· ὡς δέον ἐκ παντὸς κατὰ ταύτην ὁποίᾳ δ' ἂν ἡμέρᾳ τῆς ἑβδομάδος περιτυγχάνοι, τὰς τῶν ἀσιτιῶν ἐπιλύσεις ποιεῖσθαι, *eâque omnino lunâ, in quemcunque demum ſeptimanæ diem incidiſſet, finem jejuniis imponendum eſſe.* Cum tamen reliquæ, ut inquit, totius orbis Eccleſiæ alio more uterentur, qui ἐξ ἀποστολικῆς παραδόσεως etiamnum, inquit, ſervatur, ὡς μηδ' ἑτέρᾳ προσήκειν παρὰ τὴν τῆς ἀναστάσεως τοῦ σωτῆρος ἡμῶν ἡμέρᾳ τὰς νηστείας ἐπιλύεσθαι, *ut ſcilicet non alio quam reſurrectionis ſervatoris noſtri die, jejunia ſolvi liceat.* Ob hanc itaque controverſiam Synodi cœtuſque Epiſcoporum convenere, atque omnes uno conſenſu Eccleſiaſticam regulam univerſis fidelibus per Epiſtolas Synodicas tradiderunt, ne videlicet alio quam Dominico die myſterium reſurrectionis Domini unquam celebraretur. Καὶ ὅπως ἐν ταύτῃ μόνῃ τῶν κατὰ τὸ πάσχα νηστειῶν φυλαττοίμεθα τὰς ἐπιλύσεις, *utque eo duntaxat die paſchalium jejuniorum terminum obſervemus.* Hæc Euſebius ex vetuſtis Synodorum de hac re habitarum Epiſtolis ac monumentis eruta tradidit, Hiſt. Eccleſ.lib.5.cap.23. Qui hæc legit, dubitare nequit, quin jejunia Antepaſchalia iſtis diebus ab univerſâ Eccleſia celebrata eſſent. Tota enim hæc

controverſia de jejuniorum iſtorum termino ſive die quo ſolvenda erant, inſtituebatur. Aſianæ enim quartadecimâ lunâ in quamcunque hebdomadis feriam incideret, Reliquæ omnes Eccleſiæ non niſi dominicâ ſive reſurrectionis die ſolvenda eſſe jejunia illa Antepaſchalia contendebant. Inter utramque itaque partem, adeoque inter omnes iſtius ſeculi Eccleſias convenit, jejunia ante Paſcha celebranda eſſe, eademque multorum dierum. Alioquin enim tanta de eorum fine contentio inter Eccleſias nunquam mota fuiſſet. Quid cauſæ enim erat, vel eſſe poterat, cur finem jejunij, quod uno vel altero duntaxat die peragebatur, in quæſtionem vocarent, & acriter inter ſe certarent, quonam illud die finiendum ſit? De die enim, quo illa ante Paſcha jejunia ſolvenda erant, tota inſtituta eſt controverſia. Quid ita quæſo, ſi non aliquammulti dies ante Paſcha jejuniis conſecrati fuiſſent? Qui iſtam ſane controverſiam, quâ Eccleſia Chriſtiana proximo pôſt ipſos Apoſtolos ſeculo exercitata fuit, maturo liberoque præjudicij animo perpendit, nullus dubitabit, quin iſtius ætatis Chriſtiani quam plurimos ante feſtum paſchale dies jejuniis ſe exercere conſueti fuerint: idque adeo religioſe, ut licet de die quo jejunia iſta ſolvenda erant, & feſtum paſchale celebrandum, in diverſas partes abierint, & ultro citroque diſputarint, jejunia tamen iſta ex Apoſtolicâ traditione caſtè ſtrictéque obſervanda eſſe, conjunctis ſententiis omnes conſenſerint. Quod quidem ſummam hujus jejunij antiquitatem uſque adeo evincit, confirmatque, ut ſatis mirari nequeam, quâ tandem fronte quiſpiam novitium illud inſtitutum eſſe affirmare auſus ſit.

CAPUT VII.

Synopſis.

I. Irenæi *verba de diverſis jejunij Antepaſchalis formis. Ea nonnulli ita interpretantur, ac ſi quadraginta horæ antiquitus à nonnullis jejunatæ eſſent.*

II. *Iſta interpretatio refellitur, ex eo quod talis jejunij nulla in antiquitate occurrat mentio, quodque verba* Irenæi *iſtum ſenſum non ferent.*

III. *Vera eorum verborum interpretatio explicatur & defenditur. Quid ſit* per horas diurnas nocturnaſque jejunare?

IV. *Ex illis verbis evincitur accuratam eſſe jejunandi formam, quâ XL. dies jejunati ſunt. Quod etiam è proximis ejuſdem verbis fuſè explicatis confirmatur.*

V. *Ex iſtis* Irenæi *verbis probatur accuratam jejunandi ante Paſcha formam ipſo* Irenæo *judice eam eſſe, quâ XL. dies jejunio iſti conſecrantur.*

VI. *E præmiſſis* Irenæi *verbis & illis quæ ea ſequuntur, jejunium Quadrageſimale ab ipſis Apoſtolorum diebus religioſe obſervatum fuiſſe demonſtratur.*

I. SECUNDUM hæc, fervente iſtâ de paſchate celebrando controverſiâ, doctiſſimi quique Eccleſiæ Chriſtianæ præſules & Synodicas & privatas ſuas de eâ Epiſtolas conſcribebant, quibus morem quiſque ſuum, ut à majoribus traditum, tueri conatus eſt. Ex unâ quidem parte Theophilus Cæſarienſis & Narciſſus Hieroſolymitanus, Victor Romæ, Palmas in Ponto, Irenæus Lugdunenſis & Bacchyllus Corinthiorum Epiſcopus, jejunia Antepaſchalia ex Apoſtolicâ traditione non ante reſurrectionis Dominicæ diem ſolvenda eſſe ſcriptis contendebant. Ex alterâ autem parte Polycrates Epheſi Epiſcopus, qui omnibus in Aſiâ Epiſcopis tanquam Metropolitanus eorum præerat, finem Antepaſchalibus iſtis jejuniis quartadecimâ lunâ, in quamcunque hebdomadis feriam inciderit, ex Philippi & Johannis Apoſtoli, aliorumque Apoſtolicorum in Aſiâ virorum traditione imponendum eſſe ſcriptis ad Victorem & Romanam Eccleſiam literis aſſerebat. Quibus permotus Victor Romanus,

manus, Aſiaticas Eccleſias, ut contraria fidei ſentientes, à communione abſcindere molitus eſt. Verum alij ſe prudentes interpoſuerunt Epiſcopi, & Victorem decenter admonuerunt, ne tale quid attentaret: ſed ea potius vellet, quæ ad pacem & unitatem Eccleſiæ conducerent. Inter alios Irenæus Lugdunenſis, fratrum, quibus præerat in Galliâ, nomine, prolixam ſatis ad Victorem Epiſtolam conſcripſit, quâ eum ab incœpto revocare hoc inter alia argumento conatus eſt, οὐδὲ γὰρ μόνον, inquit, περὶ τῆς ἡμέρας ἐστὶν ἡ ἀμφισβήτησις, ἀλλὰ καὶ περὶ τοῦ εἴδους αὐτοῦ τῆς νηστείας, *Neque enim de die ſolo controverſia eſt, ſed etiam de ipſâ formâ jejunij.* Iren. apud Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 5. cap. 24. E quibus verbis obſervare licet, controverſiam iſtam non de ipſo jejunio, ſed de die quo ſolvendum eſſet, inſtitutum fuiſſe, adeo ut iſta, de quâ nos modo diſputamus, quæſtio, utrum ſcilicet jejunium ante Paſcha celebrandum ſit, iſtis diebus in controverſiam nulla veniret, cùm nemo eſſet qui illud negaret. Verum etiamſi de ipſo jejunio ante Paſcha peragendo ſumma tunc dierum concordia eſſet, ut de die tamen, ſic & de ipſâ jejunij formâ, ut inquit Irenæus, controverſum erat. Quod ut Victori probatum daret, hæc protinus ſubdit, Οἱ μὲν γὰρ, inquit, οἴονται μίαν ἡμέραν δεῖν αὐτοὺς νηστεύειν, οἱ δὲ δύο, οἱ δὲ καὶ πλείονας, οἱ δὲ τεσσαράκοντα, ὥρας ἡμερινάς τε καὶ νυκτερινὰς συμμετροῦσι τὴν ἡμέραν αὐτῶν. Hæc illa ſunt verba, quæ doctorum ingenia tamdiu exercuerunt. Nonnulli enim delendum eſſe punctum poſt vocem τεσσαράκοντα, adeoque totam ſententiam hoc modo latine reddendam eſſe tanquam pro aris & focis contendunt, *Quidam enim exiſtimant unico die ſibi eſſe jejunandum, alij duobus, alij etiam pluribus. Nonnulli vero quadraginta horis diurnis ac nocturnis computatis diem ſuum commetiuntur.* Hanc iſtorum Irenæi verborum expoſitionem plurimi, fateor, eruditi viri ſecuti ſunt: Quos inter Dallæus, qui quadraginta horas, ut putat ille, hic memoratas, eas eſſe opinatus eſt quibus ablatus eſt ſponſus: ſiquidem à Domini paſſione uſque ad ipſius reſurrectionem, quadraginta plus minus horæ elapſæ videntur. Et quidem ſi Irenæi verba hoc modo intelligantur, probabunt ſaltem omnes tunc temporis Chriſtianos in eâ fuiſſe opinione, quod ante Paſcha eos neceſſario jejunare oporteret. Alij enim unum, alij duos, alij plures, ut ſex vel etiam quadraginta dies, nulli vero nullum omnino diem ante Paſcha jejunandum eſſe, exiſtimabant. Et qui unicum diem jejunabant, illum juxta hanc expoſitionem quadraginta horas continuabant. Verum multa ſunt quæ hanc interpretationem funditus evertunt.

II. Primo enim, in omni antiquitate Eccleſiaſticâ nec vola extat, nec veſtigium jejunij à crucifixione Chriſti incœpti, & reſurrectione ipſius terminati, nec abſolute jejunij cujuſpiam quadraginta præciſe horas celebrati. Dies, fateor, quibus ablatus eſt ſponſus, ſtrictioribus quam alij

j.juniis perpetuo dicati fuerunt, ſed toti, non partim jejuniis & conviviis partim, juxta hanc Dallæi conjecturam; qui paraſceves, quâ crucifixus eſt Dominus, jejunium non ante ipſum crucifixionis tempus à nonnullis inchoatum eſſe arbitratur. Quæ Quidem opinio ab ipſo Tertulliano funditus deſtruitur, ipſos dies, quibus ablatus eſt ſponſus, à Catholicis jejunatos eſſe aſſerente, non tantum aliquam vel prioris vel utriuſvis partem. Si Irenæus itaque nonnullos quadraginta horas jejunâſſe velit, qui factum eſt, ut talis jejunij veſtigia alibi nulla appareant? Quod dicit, nonnullos unum, alios duos, alios plures ante Paſcha jejunâſſe dies, illud à Dionyſio Alexandrino, Epiphanio aliiſque affirmatur. De quadraginta etiam dierum jejunio frequentiſſima occurrit mentio. At de jejunio quadraginta horarum, altiſſimum ubique ſilentium: præterquam in hoc unico controverſo Irenæi loco, ad illum ſenſum, quem nequaquam ferat, violenter detorto. Quod vix, vel ne vix quidem fieri potuit, ſi ulli unquam Chriſtiani tale jejunium obſervâſſent, vel etiam ſi Irenæus illud aſſeruiſſet. Ex quo enim Euſebius hæc Irenæi verba in hiſtoriam ſuam tranſcripſit, omnium manibus trita fuerunt, oculiſque ſubjecta. Adeo ut vix unus ſit è Patribus Græcis poſt Euſebium, vel etiam è Latinis poſt Ruffinum ejus interpretem, qui hæc Irenæi verba non legerit. Sed tamen ex omnibus tam Latinis quam Græcis quos ſcimus Patribus, nullus unquam hujuſmodi jejunij vel tenuiſſimam mentionem fecit; etiamſi alios omnes jejunij Antepaſchalis obſervandi modos ſæpenumero commemorent. Hujus autem ſilentij alia dici non poteſt cauſa, quam quod hæc Irenæi verba antiquitus eo quem Dallæus, aliique volunt modo nec lecta fuerunt, nec intellecta: vel (quod idem eſt) quòd Irenæus quoſvis quadraginta horas jejunaſſe nunquam dixit. Deinde ſi Irenæus ſignificare voluerit, nonnullos quadraginta continenter horas jejunâſſe, quid opus erat addere horas illas *diurnas ac nocturnas* fuiſſe? Ex hâc ſane expoſitione vocabula iſta ἡμερινάς τε καὶ νυκτερινὰς ſupervacanea prorſus eſſent, nihil amplius ſignificantia, quam quod in quadraginta horis jejunatis neceſſario includitur. Nemo enim quadraginta, ſecundum hanc opinionem, horas continuo jejunare poteſt, quin idem horas nocturnas pariter ac diurnas jejunet neceſſe ſit. Vero autem diſſimillimum eſt, ut Irenæus, qui contractè adeo ſtrictimque loqui ſolet, verba iſta hoc in loco incaſſum & ſuperflue interſereret. Poſtremo, hæc expoſitio ſenſum verborum perturbat, imo nullum facit. Quis enim horum verborum ſenſus eſſe poteſt? *Nonnulli etiam quadraginta horis diurnis & nocturnis commetiuntur diem ſuum?* Ulluſne unquam *dies* quadraginta horis conſtitit, vel commenſuratus fuit? Dies quadraginta horarum? Quis credat Irenæum, vel quempiam mentis compotem ineptè adeo & ridicule unquam locutum eſſe? Quis credat ullos unquam extitiſſe homines, qui contra unanimem omnium gentium conſenſum, quadraginta horarum ſpatium *diem* vocarent? Hanc egregiam iſtius expoſitionis

nis abſurditatem clariſſimus Vir H. Valeſius, ejuſdem nihilominus propugnator, vidit, ac proinde, ut eam defenderet, vocem ἡμέραν delere, ejuſque loco νηστείαν ſubſtituere coactus eſt. Ut ſcilicet non dies, ſed jejunium quadraginta horis commenſuratum dicatur. Verum ex hâc violentâ verborum commutatione, contra conſtantem omnium Codicum, ipſo etiam Valeſio judice, conſenſum, eo tantum nomine, ut hæc eorum expoſitio abſurda non videretur, excogitatâ, nihil aliud ſequitur, quam eandem adeo abſurdam eſſe expoſitionem, ut nullâ legitimâ ratione defendi poſſit, nec ullo propterea modo ferenda ſit.

III. Quæ cum ita ſint, miror equidem tot eruditos viros alienam illam & detortam Irenæi interpretationem ſuâ unquam aſſenſione comprobâſſe. Præſertim cum eadem illa verba, ut in aliis Codicibus lecta ac interpuncta, planiſſima ſint, ſibique pariter atque Eccleſiaſticæ antiquitati optimè cohæreant. Doctiſſimi enim viri Johannes Chriſtophorſonus, & Henricus Savilius hæc Irenæi verba ex antiquis ſuis MSS. Codicibus legunt diſtinguuntque hunc in modum, Οἱ μὲν γὰρ οἴονται μίαν ἡμέραν δεῖν αὐτοὺς νηστεύειν· οἱ δὲ δύο, οἱ δὲ καὶ πλείονας, οἱ δὲ τεσσαράκοντα· ὥρας τε ἡμερινὰς καὶ νυκτερινὰς συμμετροῦσι τὴν ἡμέραν αὐτῶν. Sic etiam legit Codex ille omnibus, qui hiſce diebus extant, longe vetuſtior, quo ſcilicet ipſe Ruffinus in transferendâ Euſebij Hiſtoriâ uſus eſt. Ejus enim latina horum verborum verſio, ex iſto Codice elaborata, ſic habet, *Quidam enim putant uno tantum die obſervari debere jejunium, alij duobus; alij vero pluribus; nonnulli etiam quadraginta; ita ut horas diurnas, nocturnaſque computantes diem ſtatuant.* Verbis hoc modo intellectis, quid clarius, quid verius, quid certius eſſe poteſt? nihil hic inauditum, nihil coactum, nihil ſuperfluum, nihil à notis Eccleſiæ primitivæ moribus, nihil à communibus loquendi formulis alienum. Dicit enim nunnullos exiſtimâſſe jejunium ante Paſcha uno die obſervandum eſſe, alios duobus, alios pluribus. Quod Dionyſius Alexandrinus, Epiphanius, aliique pariter tradiderunt. Dicit etiam alios non modo pluribus quam uno aut duobus jejunâſſe diebus, ſed quadraginta ſolidos in jejuniis iſtis celebrandis dies tranſegiſſe, & tranſigendos exiſtimâſſe. Quod cum publicâ Eccleſiæ diſciplinâ proximis poſt Irenæum ſeculis ubique receptâ ac uſitatâ convenire extra dubium eſt. Dicit denique, quotquot ab ullis Chriſtianis ante Paſcha dies jejuniis deputati ſunt, eos omnes horis diurnis nocturniſque commenſuratos eſſe, hoc eſt, dies eos non artificiales fuiſſe, ſed naturales, ut vocant, ſive civiles, νυχθήμερα nimirum ſive ἡμερονύκτια, quibus ſciliet noctes æque ac dies continentur. Quod quidem neceſſario adjiciendum erat: ne quis eos die quidem jejunia, noctu autem Judæorum ad inſtar, convivia celebrâſſe exiſtimaret. Hoc, inquit Irenæus, nemo facit, ſed quotcunque dies quiſpiam jejuniis dicat,

per

per nocturnas æque ac diurnas horas jejunandi leges obſervat, ξηροφαγεῖ ſcilicet, ſive aridis veſcens, hoc eſt, pane duntaxat, cum ſale & nonnunquam oleribus,& aquæ potu utens. Hunc enim antiquum fuiſſe jejunandi ritum ex Epiphanio, de expoſit. fid. ex Conſtitut. Apoſt. lib. 5. cap. 18. ex Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 2. cap. 17. ex Tertulliano, adv. Pſych. cap. 13. nec non ex Canone conſtat Laodiceno quinquageſimo, dicente, Δεῖ πᾶσαν τὴν τεσσαρακοστὴν νηστεύειν ξηροφαγοῦντας, *Oportet totam Quadrageſimam* (adeoque nocturnas æque ac diurnas horas) *jejunare aridis veſcentes.* Hoc itaque modo interpuncta & cum Ruffino expoſita Irenæi verba, nihil difficultatis, obſcuritatis nihil habent. Ac propterea nihil eſt quod ad alteram illam perabſurdam expoſitionem confugiamus, ut Patris mentem aſſequamur. Ex hâc enim antiquiſſimâ, veràque verborum interpretatione, primo cuivis intuitu clariſſima patet.

IV. Ex his igitur Irenæi verbis ſic intellectis, conſtat, omes ejus ætate Chriſtianos exiſtimâſſe, quod ante Paſcha δεῖ αὐτοὺς νηστεύειν, *jejunare eos oporteret.* Et licet nonnulli pauciores hiſce jejuniis conſecrandos eſſe cenſerent, non deerant tamen qui quadraginta ſolidos dies ſibi jejunandos eſſe crederent: Quem quidem non modo maximum, ſed & accuratiſſimum fuiſſe dierum jejuniis ante Paſcha dicatorum numerum, Irenæus hoc in loco innuit, eo quod cum dixiſſet, nonnullos quidem uno, alios duobus, alios autem pluribus jejunâſſe diebus, addat poſtea,alios etiam quadraginta dies jejuniis iſtis conſecrandos eſſe exiſtimâſſe· οἱ δὲ τεσσαράκοντα. Ac ſi dixiſſet, alij non tantum plures quam unum duoſve, ſed uſque ad quadraginta dies jejunia ſua protrahenda eſſe affirmant. Quare autem hunc ſolum dierum numerum duobus majorem particulariter memoraret, non video, niſi quod ille eos omnium accuratiſſime feciſſe judicaret, qui quadraginta ſolidos dies jejuniis tranſigebant. Quod ut manifeſtius evadat, tenendum eſt inſuper, Irenæum poſt verba illa, de variâ jejunij Antepaſchalis obſeruatione, ſupra allata, antiquitatem pariter atque cauſam iſtius varietatis, his protinus verbis explicare. Καὶ τοιαύτη μὲν, inquit, ποικιλία τῶν ἐπιτηρούντων, οὐ νῦν ἐφ' ἡμῶν γεγονυῖα, ἀλλὰ καὶ πολὺ πρότερον ἐπὶ τῶν πρὸ ἡμῶν, τῶν παρὰ τὸ ἀκριβὲς, ὡς εἰκὸς, κρατούντων, τὴν καθ' ἁπλότητα καὶ ἰδιωτισμὸν συνήθειαν, εἰς τὸ μετέπειτα πεποιηκότων. Hæc etiam verba intricata ſunt, fateor, & à doctis varie expoſita. Nos genuinum eorum ſenſum hoc modo latinè reddimus, *Et hæc quidem* (*in obſervando jejunio iſto*) *varietas non noſtrâ primum ætate nata eſt, ſed multo prius apud majores noſtros cœpit, qui non accuratè, ut veriſimile eſt, retinentes* (*jejunij formam*) *eam quæ ex ſimplicitate & imperitiâ ortum habuit,conſuetudinem in poſterum fecerunt.* Qui Græca Irenæi verba paulo attentiùs inſpicit,ſenſum eorum hâc noſtrâ,ut ut ab aliis diverſâ, verſione

verſione fideliter expreſſum videbit. Innuit enim his verbis doctiſſimus pater, fuiſſe quidem accuratam jejunandi formam in Eccleſiâ primo inſtitutam: nonnullos autem eam non accuratè obſervâſſe. Hoc enim clariſſimè exprimit, dicendo τῶν παρὰ τὸ ἀκριβὲς κρατούντων. Ut enim παρ' ἀξίαν, eſt *indignè*, παρὰ νόμον *præter legem*, ſive *illegitimè*, παρὰ φύσιν *contra naturam*, ſive *contra quàm naturâ comparatum eſt*, ſic hoc in loco παρὰ τὸ ἀκριβὲς eſt *non accurate, contrà quàm accurata jejunandi forma requirit.* Vocem κρατούντων H. Valeſius hoc loco reddit per *Præſidentes*, ut ante eum Muſculus, per *rerum habenis potitos*: peſſimè. Præterquam enim quod verbum κρατέω, nunquam *præſidere* ſignificet, nec *dominari*, niſi in rebus civilibus, & in iis duntaxat cum res iſta adjicitur, cui quis dominatur, ut κρατεῖν τῆς θαλάσσης, κρατεῖν τῶν ἠπείρων. Apud Homerum πάντων μὲν κρατέειν, πάντεσσι δ' ἀνάσσειν: Irenæus hoc in loco non de Præſidentibus, vel præſulibus Eccleſiæ (qui nunquam κρατοῦντες vocantur) ſed περὶ τοῦ εἴδους τῆς νηστείας, *de formâ jejunij loquitur*: quam dicit nonnullos παρὰ τὸ ἀκριβὲς κρατῆσαι *accuratè non obſervâſſe*, vel *retinuiſſe*. Eodem nempe ſenſu, quo vox iſta in ipſo Evangelio uſitatur, ut ubi dicitur, Κρατοῦντες τὴν παράδοσιν τῶν πρεσβυτέρων, Marc. VII. 3. & paſſim alibi. Qui porro primò traditam jejunij formam non accuratè obſervarunt, hi, inquit Irenæus τὴν καθ' ἁπλότητα καὶ ἰδιωτισμὸν συνήθειαν εἰς τὸ μετέπειτα πεποιήκασι, hoc eſt, *Eam quæ ſecundum ſimplicitatem & imperitiam erat*, ſive, ut vertit H. Valeſius, *quæ ex ſimplicitate & imperitiâ orta eſt, conſuetudinem in poſterum fecerunt.* Hic enim ἡ καθ' ἁπλότητα καὶ ἰδιωτισμὸν συνήθεια opponitur accuratæ illi jejunandi formæ cujus antea meminit. Ἁπλότης enim & ἀκρίβεια ſibi invicem hic opponuntur, non ſecus ac ἁπλῶς & ἀκριβῶς apud Iſocratem dicentem, εἰ διεξέλθοιμεν μήτε παντάπασιν ἁπλῶς, μήτε λίαν ἀκριβῶς, ἀλλὰ τὰ μέγιστα τῶν παρόντων αὐταῖς, *Si neque ſimpliciter prorſus, neque accuratè admodum, ſed maxima quæque de hoc earum ſtatu percenſuerimus.* Iſocrat. ad Philip. Quod autem hæc conſuetudo non modo καθ' ἁπλότητα ſed & κατ' ἰδιωτισμὸν eſſe dicatur, eo quidem oſtenditur, illam non ἀπὸ τῶν ἀρχόντων, quibus οἱ ἰδιῶται opponuntur, ſed ab indocto vulgo, & à privatis hominibus, ἰδιώταις paſſim & proprie dictis, ortum habuiſſe. Quibus ſic expoſitis, genuinus horum verborum, quæ alias obſcura ſunt & intricata, ſenſus clariſſimè eliciatur. Vult enim Irenæus miram illam, quam ante memoravit, in jejunio Paſchali celebrando varietatem, ex eo ortam eſſe, quod nonnulli è majoribus ipſius

accu-

accuratam jejunandi formam primitus traditam non accurate obſervantes, ſed hi unum, illi duos, alíj plures quidem quam duos, ſed pauciores quam par erat, dies quotannis jejunantes, ſimplicem illam rudemque induxerunt conſuetudinem, quæ poſtea apud alios eorum exemplo ductos obtinuit. Hunc ſane ſenſum optimè ferent Irenæi verba, & præterea nullum. Nec nova quidem eſt hæc eorum expoſitio, ſed antiquiſſimus doctiſſimuſque eorum interpres, Ruffinus eundem fere expreſſit, ultima illa τ̃ περὶ τὸ ἀκριβὲς, &c. verba, hoc modo Latine vertens, *Qui non ſimpliciter quod ab initio traditum eſt tenentes, in alium morem, vel per negligentiam, vel per imperitiam poſtmodum decidere.*

V. Hæc antiquiſſimi Patris verba nos fuſius explicare & ipſiſſimum eorum ſenſum indagare, operæ pretium duximus, quoniam luculentiſſimum jejunij Quadrageſimalis antiquitati teſtimonium perhibent. Enimvero ex iis conſtat, aliquam ipſius etiam Irenæi diebus accuratam fuiſſe jejunij ante Paſcha celebrandi formam. Hoc enim verba illa περὶ τὸ ἀκριβὲς clare ſatis indicant. Verum nemini dubium eſſe poteſt, quin Irenæus in variis recenſendis jejunandi formis ipſam etiam ſuo judicio accuratam non præteriret. Eam enim prætermiſſâ rectâ, obliquas ſolas enumeraſſe incredibile eſt. Tres porro formulas nominatim memorat, quæ in hanc controverſiam veniant, primam eorum qui unum, alteram eorum qui duos, & ultimam eorum qui quadraginta ante Paſcha dies jejunio peragendos eſſe exiſtimabant. Quod enim nonnullos dicit credidiſſe pluribus quam duobus diebus ſibi jejunandum eſſe, cum nullum ſingularem dierum numerum ab iis obſervatum nominet, quæcunque demum fuerit eorum forma, accurata haberi nequit, utpote quam Irenæus recenſione indignam judicaverit. De tribus autem reliquis inſignitè ab eo memoratis, quæſtio moveatur, quamnam earum ille accuratam fuiſſe crederet? Hoc autem nobis nullo præjudicio, nullo partium ſtudio occæcatis, adeo extra controverſiam videtur, ut indignum plane ſit quod in contentionem vocetur. Nullus enim dubito, quin & B. Irenæi, & totius Eccleſiæ primitivæ judicio, ea accuratiſſima omnium habita fuerit jejunandi forma, quâ Chriſtiani ſummâ præ aliis religione Chriſtum colerent, ac pœnitentiæ, precibus, eleemoſynæ, & ſacris boniſque omnium generum operibus agendis diutiùs fortiúſque toti vacarent. Quapropter qui duobus jejunabant diebus, paraſceve ſcilicet & ſabbato magno, accuratiores procul omni dubio judicati erant, quam illi qui uno duntaxat, paraſceve ſciliet ſolâ, vel ſolo Sabbato magno jejunare ſolebant. Et ob eandem etiam rationem, qui plures jejunabant dies, puta quatuor, vel ſex, hi religioſiores & accuratiores merito habiti fuerunt, quam illi qui duos. Qui autem eundem dierum numerum, quem Servator, Dominuſque noſter jejunus tranſegit, pro virili obſervabant, quadraginta ſcilicet, horum forma omnium accu-

accuratiſſima erat, quippe quæ alias omnes ſub ſe comprehendit, & aliquid præterea amplius. Et hi enim paraſceven & Sabbatum magnum æque ſtrictis conſecrabant jejuniis, ac illi qui unum tantum eorum, vel qui ambos; ſed ſolos illos dies jejunabant. Ac proinde ſi unum jejunâſſe diem, paraſceven puta, accurata dicatur forma, illi etiam qui quadraginta dies jejuniis peragebant, accuratam obſervabant formam, utpote qui inter alios illum etiam diem jejunabant. Imo quidem ſi iſta accurata fuiſſet jejunandi forma, nemo erat qui περὶ τὸ ἀκριβὲς agebat, nemo enim iſtum ſaltem unum diem non obſervabat. At Irenæus diſerte affirmat nonnullos περὶ τὸ ἀκριβὲς egiſſe: ac propterea ejus judicio, unum iſtum jejunare diem τὸ ἀκριβὲς eſſe non potuit. Idem fere dicatur & de illis qui duos jejunabant dies. Si iſta enim accurata eſſet jejunij forma, ab Irenæo commemorata, nemo περὶ τὸ ἀκριβὲς agebat, niſi qui unicum diem jejuniis conſecrabat. Qui enim plures celebrabant dies, iſtos imprimis duos religioſiſſime obſervabant. Ac propterea, ſi judice Irenæo, duos ante Paſcha dies jejunare, eſſet κατὰ τὸ ἀκριβὲς jejunare, nihil opus erat quod adderet, nonnullos plures quam duos jejunâſſe, niſi forſitan in animo habuerit Victorem certiorem facere, nonnullos plus ſatis jejunâſſe, accuratam jejunij formam ſupergredientes. Atqui nihil fidei magis abſonum videtur, quam Irenæum in eâ fuiſſe opinione, quòd ulli religioſiores eſſent quam par erat, aut jejunia ſua longius protraherent, quam oportuit. Si in hâc enim fuiſſet ſententiâ, eam aliquo ſaltem modo ſubindicâſſet. Quod tamen nullus fecit: ſed contrarium potius, eo quod aſſerat nonnullos περὶ τὸ ἀκριβὲς, *contra*, non *ſupra* quam accurata jejunandi forma poſtulabat, jejunâſſe. Quod quidem de iis dici non potuit, qui quatuor vel ſex jejunabant dies, etiamſi accurata forma plures quam duos non exegiſſet, ſiquidem duos illos ab iſtâ formâ poſtulatos jejunare ſatagerent, non minus quam ſi alios non adjeciſſent. Sed quid verbis opus eſt cum res ipſa loquatur? Quamobrem enim Irenæus hoc in loco, *unum* quidem *duoſque* definitè, & poſtea indefinitè *plures*, atque ultimo definitè iterum *quadraginta* dies jejuniis dicatos commemorârit? Annon ut omnibus ſignificaret, hunc maximum ultimoque definitè nominatum, ipſiſſimum eſſe dierum numerum, quem accurata jejunij Antepaſchalis celebrandi forma flagitabat? Sane qui hæc verba maturè & deliberatè expendit, hanc ex iis concluſionem inferat, neceſſe habet. Varias enim ac diverſas jejunandi formas recenſens Irenæus, à minimâ quidem incipit, eorum ſcilicet, qui unicum ante paſcha diem ſibi jejunandum eſſe exiſtimabant. Deinde gradatim aſcendens, alios dicit eſſe qui duos jejunarent dies, paraſceven puta ac Sabbatum magnum. Οἱ δὲ, inquit, καὶ πλείονας, *alij autem & plures*, & iſtos ſcilicet duos & iis plures, quatuor fortaſſe, vel ſex, vel quindecim,

vel

vel alius cujuſvis numeri citra quadraginta. Inter eos enim, ut videtur, qui ultra duos, citraque quadraginta jejunabant dies, minime conveniebat, his plures, illis pauciores ultra duos jejunandos eſſe dies contendentibus. Et hinc fuit, quod Irenæus ambiguas eorum formas indefinite propoſuerit: nihil aliud de iis dicens, quam in genere, οἱ δὲ καὶ πλείονας. Poſtremo autem alium definitum dierum numerum ab aliis jejunatum addit, dicens, οἱ δὲ τεσσαράκοντα. Quid autem cauſæ fuit vel eſſe potuit, cur cum *plures* dixiſſet, ſub quibus quadraginta etiam comprehenduntur, ſeorſim poſtea & ſingulariter *quadragiuta* memoraret? Hujus quidem rei cauſa alia non fuit, quam quod is maximus eſſet & accuratiſſimus dierum jejuniis ante Paſcha conſecratorum numerus, qui propterea neceſſario præciſe ac definite nominandus erat, æque ac minimus. Cum enim in variis percenſendis formis, à minimo ſive unius diei jejunio inceperit, ratio poſtulabat ut in maximo, ſive quadraginta dierum jejunio deſineret: quod ij etiam qui plures quam duos jejunabant dies, nunquam excedebant, quodque omnes obſervare debent, ſi accuratam jejunij hujus formam tenere velint. Cùm inter omnes enim in confeſſo eſſet, aliquam ab Apoſtolis jejunandi formam traditam fuiſſe, controverſum autem eſſet, quot dies jejunandi ſint, cum hi unicum, illi duos, nonnulli plures, alij quadraginta jejunarent, nulli autem ulterius progrederentur, ille qui accurate jejunandi certus eſſe voluit, quadraginta dies jejunare neceſſe habuit: quandoquidem hæc forma reliquas omnes ſub ſe complectatur, at non è contra. Qui enim unum, vel duos, vel quatuor, vel quindecim dies jejuniis deputabat, certus eſſe non potuit ſe accurate jejunare, ſiquidem alij affirmabant ſe ab Apoſtolicâ traditione accepiſſe, quadraginta dies jejunio ante Paſcha tranſigendos eſſe. At qui omnes quadraginta dies celebrabat, ille primo traditam jejunij iſtius forman accurate obſervandi certiſſimus fuit, quoniam omnes ille obſervabat formas, quas quiſpiam vel primo traditas, vel obſervandas eſſe exiſtimavit.

VI. Quadraginta igitur dies ante Paſcha quotannis jejunio conſecratos, hancque accuratam fuiſſe jejunij iſtius formam Irenæi ætate, ex ipſius verbis ſatis aperte conſtat. Sed obſervandum præterea eſt, quod quicquid ille de jejunio Antepaſchali & variis ejuſdem celebrandi formis ſcripſit, multis ante annis in Eccleſiâ obtinuerat. Iſtam enim à ſe memoratam in jejunio obſervando varietatem, non ſuâ demum ætate, ſed πολὺ πρότερον apud majores ſuos cœpiſſe affirmat. Καὶ τοιαύτη μὲν, inquit, ποικιλία τῶν ἐπιτηρούντων, οὐ νῦν ἐφ' ἡμῶν γεγονυῖα, ἀλλὰ καὶ πολὺ πρότερον ἐπὶ τῶν πρὸ ἡμῶν. Irenæus autem hæc ante ſecundum à nativitate Chriſti elapſum ſeculum ſcripſit, ac proinde proximo poſt ipſos Domini Apoſtolos ſeculo, centum à S. Johanne, ultimo Apoſtolorum, annis nondum completis. Quocirca

iſtud quod ille πολὺ πρότερον appellat tempus, cum ipſo Apoſtolico coincidat, vel ei ſaltem propinquiſſimum ſit neceſſe eſt. Et quidem cum Polycarpus, qui cum S. Johanne aliiſque Apoſtolis converſatus eſt, aliter atque Anicetus Romæ Epiſcopus, Paſcha celebraverit, ut ex eâdem Irenæi ad Victorem Epiſtolâ conſtat, haud dubitare licet, quin aliqua in Antepaſchali etiam jejunio obſervando varietas iſtis etiam diebus extiterit. Quæcunque autem varietas in formâ ſaltem jejunij, de quâ loquitur Irenæus, deprehenſa eſt, iſta ex eo ortum habuit, quod nonnulli παρὰ τὸ ἀκριβὲς *minus accurate* jejunium illud peregiſſent, ut idem antiquiſſimus Pater diſerte affirmat. Qui propterea pro conceſſo ſumit, accuratam jejunij iſtius formam prius conſtitutam fuiſſe, quam iſta varietas exorta eſſet. Cum ipſa itaque varietas paucis ſaltem poſt Apoſtolos annis exorta fuerit, nihil dubij ſupereſt, quin accurata illa, de quâ loquitur, jejunandi forma nonnullis S. Apoſtolorum adhuc ſuperſtitibus, & Eccleſiam ſummâ, quam ab ipſo Chriſto acceperant, authoritate adminiſtrantibus, inſtituta fuerit. Cùmque accurata iſta forma quadraginta, ut oſtendimus, dierum eſſet, è præmiſſis legitimè concludamus, non modo Antepaſchale generatim, verum & Quadrageſimale ſive quadraginta dierum ante Paſcha jejunium, ab ipſis Apoſtolorum diebus in Eccleſiâ obſervatum fuiſſe, tanquam Apoſtolicâ autoritate traditum atque aliquo ſaltem modo inſtitutum.

CAPUT

C A P U T VIII.

Synopſis.

I. D. Hieronymi, *jejunium Quadrageſimale ad Apoſtolicam traditionem referentis, verba ab exceptionibus defenduntur.*

II. *Illum Quadrageſimam credidiſſe æque antiquam fuiſſe & ab Apoſtololis inſtitutam atque ipſam diem Dominicam, ex ejus verbis demonſtratur.*

III. *Idem aliique jejunium Quadrageſimale neceſſario obſervandum eſſe ſtatuerunt. Unde Apoſtolica ejuſdem inſtitutio evincitur.*

IV. *Argumento è* S.Auguſtino *contra Apoſtolicam hujus jejunij inſtitutionem petito reſpondetur, eumque nobis conſenſiſſe oſtenditur.*

V. *Ea ſententia, quæ hoc jejunium ab Apoſtolis traditum ſtatuit, aliis veterum tam Latinorum quam Græcorum patrum teſtimoniis confirmatur.*

I. ET quidem ſi veteres Eccleſiæ Patres hàc in re conſulamus, eos etiam qui labente quarto, quintoque currente ſeculo claruerunt, Quadrageſimale ante Paſcha jejunium non Synodicis, non Eccleſiaſticis quibuſcunque conſtitutionibus, ſed Evangelicis ac Apoſtolicis traditionibus acceptum referentes inveniemus. In percenſendis vero Patrum de hâc cauſâ teſtimoniis, ab iſtis ordiemur quæ Dallæus evertere, vel elevare conatus eſt. Primo itaque D. Hieronymus in Epiſtolâ ad Marcellam adverſus Montanum, hæc habet, *Nos unam Quadrageſimam ſecundum traditionem Apoſtolorum, toto anno, tempore nobis congruo jejunamus. Illi*, Montaniſtæ, *tres in anno faciunt quadrageſimas, quaſi tres paſſi ſint Salvatores. Non quo & per totum annum, exceptâ Pentecoſte, jejunare non liceat, ſed quod aliud ſit neceſſitate, aliud voluntate munus offerre.* Mirum eſt, ut quiſpiam hæc ſanctiſſimi Patris verba legens, affirmet nihilominus D. Hieronymum nec dixiſſe nec credidiſſe, Quadrageſimam neceſſario quotannis jejunandam eſſe *ſecundum traditionem Apoſtolorum.* Quid enim hiſce verbis diſertius eſſe

 poteſt?

poteſt? At *Hieronymus*, inquit Dallæus, *hic loquitur de Quadrageſimæ, non jejunio ſed unitate.* Itane vero? Annon conceptis verbis dicit, *Nos unam* quadrageſimam *jejunamus*? Annon itaque de utroque, de *jejunio* ſcilicet æque ac *de unitate* Quadrageſimæ apertiſſime loquitur? Quin etiam cum dicit *unam Quadrageſimam* jejunatam eſſe ſecundum traditionem Apoſtolorum, Annon eodem affirmat halitu *Quadrageſimam* jejunatam eſſe ſecundum traditionem Apoſtolorum? Qui hoc ſane negat, is *unam* idem atque *nullam* ſignificare affirmet neceſſe eſt. At cum ait D. Hieronymus Catholicos unam Quadrageſimam jejunare ſecundum traditionem Apoſtolorum, *Hoc vult*, inquit Dallæus, *quod unam in anno Quadrageſimam, non autem plures, ut Montaniſtæ, obſervant, id Apoſtolorum traditioni eſſe conſentaneum, qui ſcilicet & ſcripto & vivâ voce conſtanter docuerunt, unum eſſe ſalvatorem, non plures, eumque ſemel non ſæpius paſſum.* Dall. de jejun. & quadrag. lib. 3. cap. 2. hoc eſt, etiamſi dicat Hieronymus unam quadrageſimam jejunatam eſſe *ſecundum traditionem Apoſtolorum*, non tamen id voluit, ſed voluit tantummodo doctrinam illam, quæ unum Salvatorem, eumque ſemel paſſum prædicat, *ſecundum Apoſtolorum eſſe traditionem*, vel ut ipſe Patris verba pro libitu ſuo mutat, *Apoſtolorum traditioni conſentaneam eſſe.* Verumenimvero præterquam quod hoc, *unum eſſe Salvatorem*, aliaque iſtiuſmodi, quæ totidem fere verbis in Sacroſanctis ſcripturis continentur, religionis Chriſtianæ dogmata, *traditiones Apoſtolorum* vix unquam dicantur, Nemini unquam perſuadebit Dallæus D. Hieronymum aliud dixiſſe, & aliud in animo habuiſſe. Dicit enim, & quantum fieri poteſt, diſertiſſime dicit, *Nos unam Quadrageſimam ſecundum traditionem Apoſtolorum jejunamus.* Non dicit, nos unam Quadrageſimam quæ doctrinæ Apoſtolorum unum Salvatorem prædicanti, conſentanea eſt, ſed abſolutè ac ſimpliciter, nos unam Quadrageſimam ſecundum traditionem Apoſtolorum jejunamus. Quod ſi una Quadrageſima, ea ſane de quâ Pater ibi loquitur, & nos hic contendimus, ſecundum traditionem Apoſtolorum jejunata eſt. Nec ipſe quidem video quibus verbis illud à doctiſſimo patre diſertius affirmari potuit. Sed dato ipſum Quadrageſimæ jejunium *Apoſtolicam traditionem* ab Hieronymo vocatum eſſe, Aſt idem alibi, in Epiſtolâ ſcilicet ad Lucinium dicit, *Unaquæque provincia abundet in ſuo ſenſu, & præcepta majorum leges Apoſtolicas arbitretur.* Decernit itaque & *unicuique concedit*, inquit Dallæus, *ut provinciæ ſuæ inſtituta, tametſi localia, & ab aliis quam ab Apoſtolis tradita, pro legibus ſive traditionibus Apoſtolicis habeat.* Primo autem non decernit, nec concedit B. Hieronymus, ut unuſquiſque provinciæ ſuæ inſtituta, ſed ut unaquæque provincia præcepta majorum *leges* (non *traditiones*) Apoſtolicas arbitretur. Ubi per *præcepta majorum*, ea vult, non quæ in unâquaque provinciâ inſtituta, ſed quæ à majoribus ſuis ante hominum memoriam tradita fuerunt, adeo

adeo ut non conſtet annon ab ipſis Apoſtolis præcepta fuerint. Qualia fuerunt ea de quibus ibi agit B. Hieronymus, Sabbati ſcilicet jejunium,& quotidiana Euchariſtiæ participatio: Quæ in nonnullis provinciis à priſcis temporibus & ab ipſis Eccleſiæ primordiis obtinuerant, non item in aliis. Vult itaque B. Hieronymus, ut unaquæque provincia antiqua hujuſmodi præcepta à majoribus ſuis tradita, *leges Apoſtolicas* arbitretur, hoc eſt, eodem numero habeat ac obſervet, ac ſi ab ipſis Apoſtolis inſtituta fuiſſent. Ea vero ipſorum Apoſtolorum traditiones non vocat, neque *ſecundum traditionem Apoſtolorum* obſervanda dicit. Quod tamen de jejunio Quadrageſimæ, non in unâ aliquâ ſed in omnibus provinciis iſtis diebus obtinente, affirmat. Ac propterea hæc verba, *nos unam Quadrageſimam ſecundum traditionem Apoſtolorum jejunamus*, iſto ſenſu, quo præcepta majorum leges Apoſtolicas arbitrari concedit, accipi non poſſunt. Quin & ſi ita accipiantur, Dallæanam de jejunio iſto ſententiam evertent. Si enim jejunium Quadrageſimale D. Hieronymi ætate, hoc eſt, quarto labente ſeculo, *majorum præceptum* fuiſſet, atque adeo juxta D. Hieronymi ſententiam, *pro lege Apoſtolica* haberetur, concidet ſimul iſta Dallæi opinio, quæ jejunium iſtud non ante quartum, illudque adultum, ſeculum in uſu fuiſſe ſtatuit.

II. At *D. Hieronymus*, inquit clariſſimus Dallæus, *diſerte profeſſus eſt*, *jejunia non ab Apoſtolis, ſed à viris prudentibus propter eos conſtituta fuiſſe, qui magis ſeculo vacant quam Deo.* Quod quidem apertiſſime falſum eſt. Nunquam enim profeſſus eſt, nedum diſerte profeſſus eſt D. Hieronymus, jejunia ab Apoſtolis non conſtituta fuiſſe. Dicit, fateor, *ea inter dies eſſe à viris prudentibus conſtitutos.* Hoccine vero idem eſt atque ab Apoſtolis ea non conſtituta fuiſſe? Sed audiamus ipſa Patris verba, quæ in ſecundo libro commentariorum ejus in Epiſtolam ad Galatas, ſive in quartum caput ejuſdem Epiſtolæ, ſic habent, *Jejunia autem & congregationes inter dies propter eos à viris prudentibus conſtitutos, qui magis ſeculo vacant quàm Deo.* E quibus ſane verbis nemo jejunia ab Apoſtolis non conſtituta fuiſſe probare poteſt, niſi qui Apoſtolos viros prudentes fuiſſe negat. Adhæc hic ipſe D. Hieronymi locus ſi paulo penitiùs inſpiciatur, ſanctiſſimum illum patrem jejunium Quadrageſimale, non modo antiquum admodum, ſed & ab ipſis Apoſtolis traditum crediſſe evincet. Verba nimirum Apoſtoli, quæ hoc in loco explicat, hæc ſunt, *Dies obſervatis, & menſes, & tempora, & annos, &c.* In quæ verba inter alia hæc habet D. Hieronymus, *Dicat aliquis, ſi dies obſervare non licet, & menſes, & tempora, & annos, nos quoque ſimile crimen incurrimus, quartam Sabbati obſervantes, & paraſceven, & diem Dominicam, & jejunium Quadrageſimæ, & Paſchæ feſtivitatem, & Pentecoſtes lætitiam, & pro varietate regionum, diverſa in honore martyrum tempora conſtituta.* Quibus ultimis verbis, Tempora quidem in honore

martyrum

martyrum pro varietate regionum conſtituta, reliqua autem prius memorata ubique locorum ſimiliter obſervata indicat, videlicet, *Quartam Sabbati, paraſceven, diem dominicam, Quadrageſimam, Paſcha & Pentecoſten.* Quæ omnia, ut videre licet, una recenſet, & in eodem numero habet: nihil inter ea diſcriminis, quantum ad antiquitatem, inſtitutionem, vel generalem obſervationem, admittens. Sed obſervat tantummodo quid ex iſtis D. Pauli verbis dicat aliquis, quod Eccleſia nempe Catholica ſimile crimen ab Apoſtolo notatum incurrat, eo quod hæc tempora obſervat. Hunc ſcrupulum à ſe objectum duplici modo amoveri poſſe affirmat doctiſſimus Pater, *ſimpliciter*, & *acutiùs*. Qui *ſimpliciter* inquit, huic objectioni reſpondet, dicet, *non eoſdem Judaicæ obſervationis dies eſſe quos noſtros*. Qui *acutiùs* autem reſpondet, *illud*, inquit, *affirmat, omnes dies æquales eſſe, nec per paraſceven tantum Chriſtum crucifigi, & die dominicâ reſurgere, ſed ſemper ſanctum reſurrectionis eſſe diem; & ſemper eum carne veſci dominicâ: jejunia autem & congregationes inter dies propter eos à viris prudentibus conſtitutos, qui magis ſeculo vacant quam Deo.* Ubi per *jejunia* aliud intelligere non poteſt, quam dies jejunio conſecratos, nimirum Quartam Sabbati, paraſceven & Quadrageſimam; per *congregationes* autem dies quibus fideles unà congregari & dominicâ carne veſci ſolebant, dominicam puta, Paſcha, & Pentecoſten. Iſta itaque *jejunia*, haſque *congregationes* inter dies eſſe dicit, *propter eos à viris prudentibus conſtitutos, qui ſeculo magis quam Deo vacant.* Quicquid igitur hic aſſeritur, vel de *quartâ Sabbati*, vel de *Paraſceve*, vel de *Paſchâ*, vel de *Pentecoſte*, vel denique de *Quadrageſimâ*, ſive ut ipſe vocat, *de jejunio Quadrageſimæ*, idem & de *die Dominicâ* aſſeritur: quippe quæ unà cum iis in objectione recenſetur. Diem autem Dominicam ab aliis viris prudentibus quam ab ipſis Domini Apoſtolis conſtitutam fuiſſe, ipſe, ut opinor, Dallæus nunquam affirmavit, nec cum ratione affirmare potuit. Nec dubium eſſe poteſt, quin D. Hieronymus iſtam diem ab ipſis Apoſtolis conſtitutam fuiſſe crediderit. Quam nihilo minus ipſe hoc in loco inter dies à viris prudentibus conſtitutos numerat. Viri itaque prudentes hic memorati, vel Apoſtoli erant, vel non erant. Si prius, habemus quod volumus. Quadrageſima enim, D. Hieronymo judice, ab ipſis Apoſtolis conſtituta eſt: Sin poſterius dicatur, ipſa etiam dies Dominica ab Apoſtolis non eſt conſtituta: quod communi omnium Chriſtianorum ſententiæ repugnat. Idem etiam dicendum eſt de jejuniis quartæ & paraſceves, necnon de feſtis Paſchæ & Pentecoſtes: utpote quæ omnia pariter atque Quadrageſima eodem, quo dies Dominica, ordine hic collocantur. Adeo ut nemo contra antiquitatem aut Apoſtolicam eorum inſtitutionem ex Hieronymo diſputare poſſit, quin idem, quod abſit, contra Apoſtolicam diei dominicæ inſtitutionem ex eodem,

dem,

dem ſimul diſputet, neceſſe habeat. Quod quidem nobiliſſimum eſt ſtatorum horum Eccleſiæ jejuniorum ſimul ac feſtorum antiquitati adſtruendæ argumentum. Siquidem ea omnia ante quartum elapſum ſeculum ab ipſo D. Hieronymo antiqua adeo habita fuerunt, ut hoc ſaltem reſpectu, unà cum die dominicâ ſemper & ubique à Chriſtianis celebratâ, recenſeri mererentur. Quæ cum ita ſint, nemini mirum videatur, quod D. Hieronymus *Quadrageſimam ſecundum traditionem Apoſtolorum jejunatam eſſe* aſſeruerit, quandoquidem eam cum ipſâ die Dominicâ conjungit, quam ab ipſis Domini Apoſtolis traditam ac inſtitutam fuiſſe inter omnes conſtat.

III. Aliud adhuc reſtat, in D. Hieronymi verbis primo laudatis, digniſſimum quod in hâc cauſâ obſervetur. Poſtquam enim dixiſſet Eccleſiam Catholicam unam Quadrageſimam ſecundum Apoſtolorum traditionem in toto anno jejunare, Montaniſtas autem hæreticos tres in anno habere Quadrageſimas, quaſi tres paſſi ſint Salvatores, protinus hæc ſubjungit, *Non quo & per totum annum, exceptâ Pentecoſte, jejunare non liceat, ſed quod aliud ſit neceſſitate, aliud voluntate munus offerre.* Ex his enim verbis luculente patet, D. Hieronymum eâ ductum fuiſſe ſententiâ, quæ jejunium Quadrageſimale non pro ſuo cujuſque arbitrio, ſed *neceſſario* ab omnibus quotannis obſervandum eſſe pronunciat. Quæ quidem opinio etiam à Cæſario Arelatenſi his verbis aperte concipitur. *Aliis diebus jejunare, aut remedium, aut præmium eſt, in quadrageſimâ non jejunare peccatum eſt. Alio tempore qui jejunat, accipiet indulgentiam, in his diebus qui poteſt, & non jejunat, ſentiet pœnam.* Cæſar. Arel. hom. 2. Imo quidem Quadrageſimale hoc jejunium *in totum non obſervare Sacrilegium eſt, ex parte violare peccatum eſt.* Ambroſ. Serm. 37. Hæc autem Quadrageſimam jejunandi neceſſitas, quâ D. Hieronymus cum aliis, omnes conſtrictos eſſe Chriſtianos arbitratus eſt, aliunde quam à traditione Apoſtolicâ ortum habere non potuit. Iſtud enim ab univerſali aliquo Concilio, cujus ſolius decretis omnes tenentur, conſtitutum fuiſſe, nec alius quilibet, nec ipſe D. Hieronymus unquam affirmavit. At propterea eo tantum nomine illud ex neceſſitate obſervandum dicere potuit, quod ab ipſis Apoſtolis traditum exiſtimaret.

IV. Sanctum Auguſtinum Hieronymo æqualem, quadrageſimam Apoſtolicæ traditioni non attribuiſſe, ex eo probare nititur Dallæus, quod is in Epiſtolâ LXXXVI. quæ eſt ad Caſulanum, hæc habeat, *Ego in Evangelicis & Apoſtolicis literis, totoque inſtrumento quod appellatur Teſtamentum novum, animo id revolvens, video præceptum eſſe jejunium, quibus autem diebus non oporteat jejunare & quibus oporteat, præcepto Domini vel Apoſtolorum non invenio definitum.* Præterquam vero quod ſanctiſſimus Pater hoc in loco non de Quadrageſimæ ſed Sabbati jejunio agat, nihil ex his verbis legitime concludi poteſt, niſi jejuniorum dies

in Evangelicis aut Apoſtolicis ſcriptis non inveniri definitos. Quod etiam & nos profitemur. Cum vero D. Auguſtinus totum, ut ipſe ait, inſtrumentum novum animo revolverit, ut ſi fieri potuit, aliquid de hâc re præceptum ibi inveniret, neceſſario quidem certe ex eo conficitur, illum ſtata Eccleſiæ jejunia ſuâ ætate obſervata, adeo antiqua habuiſſe, ut ille neſciret, vel dubius ſaltem aliquandiu hæſitaret, annon ab ipſis Apoſtolis tradita fuiſſent, & in eorum ſcriptis inſtituta. Et quidem etiamſi neget ſe aliquod de hâc re præceptum in Sacroſanctis ſcripturis inveniſſe, jejuniorum tamen dies ab orali ſive non ſcriptâ Apoſtolorum traditione determinatos fuiſſe non negat. Sed in eam potius, quæ illud affirmat, ſententiam alibi inclinâſſe videtur. Ubi ſcilicet de ipſo Quadrageſimæ jejunio hæc dicit, *Nam ut quadraginta illi dies ante Paſcha obſerventur, Eccleſiæ conſuetudo* (vel ut alij Codices legunt, *Conſenſio*) *roboravit.* Aug. Epiſt. CXIX. ad Januar. cap. 17. Hic enim Quadrageſimæ obſervationem Eccleſiæ conſuetudine, ſive conſenſione *roboratam* quidem affirmat, ſed non *inſtitutam.* Si Eccleſia vero eam tantummodo roboravit, Unde quæſo originem traxerit? Enimvero eam prius inſtitutam fuiſſe, quam roboratam, nemo dubitare poteſt. Si Eccleſia itaque eam tantum roboravit, ab aliis quam Eccleſiæ fundatoribus inſtitui non potuit: nec aliunde originem trahere, quam undē ſuam ipſa traxit Eccleſia.

V. Præter hos, D. Hieronymum ſcilicet & Auguſtinum, quos Dallæus vel invitos, ut oſtendimus, ſuas ad partes trahere conatus eſt, alij complures è vetuſtis doctiſſimiſque Eccleſiæ patribus Quadrageſimale illud, de quo contendimus, jejunium ab Apoſtolis traditum, & divinitùs inſtitutum prædicârunt. E multis, quæ produci poſſunt, nos pauca eorum teſtimonia ſeligemus. Leo M. Romæ Epiſcopus, *Magnâ*, inquit, *Divinæ inſtitutionis ſalubritate proviſum eſt, ut ad reparandam mentium puritatem, quadraginta nobis dierum exercitatio mederetur, in quibus aliorum temporum culpas & pia opera redimerent, & jejunia caſta decoquerent.* Leo Serm. 4. de Quadrag. Et alibi, *Quod ergo, dilectiſſimi, in omni tempore unumquemque facere convenit Chriſtianum, id nunc ſolicitiùs & devotiùs eſt exequendum, ut Apoſtolica inſtitutio quadraginta dierum jejuniis impleatur.* Id. Serm. 6. de Quadrag. Alibi iterum, *In quibus* (quadrageſimæ diebus) *merito à ſanctis Apoſtolis per doctrinam Spiritus Sancti majora ſunt inſtituta jejunia, ut per commune conſortium Crucis Chriſti, etiam nos aliquid in eo quod propter nos geſſit, ageremus.* Id. Serm. 9. de Quadrag. Petrus Chryſologus Leoni σύγχρονος, & anno circiter CCCCXXXIII. Epiſcopus Ravennæ factus, *Videtis*, inquit, *Fratres, quia quod Quadrageſimam jejunamus, non eſt humana inventio, authoritas eſt divina: & eſt myſticum, non*

præ-

apræſumptum: nec eſt de terreno uſu, ſed de cæleſtibus eſt ſecretis. Chryſol. Serm. 11. *Si ergo quadraginta dierum ſimplex, purum, æquale tantus teſtimoniis ſub tanti numero Sacramenti traditum nobis à Domino jejunium perdocetur; unde novitas iſta, unde hebdomadæ nunc reſolutæ, nunc rigidæ, nunc indulgentes, nimium nunc ſeveræ?* Id. Serm. 166. Iſidorus Hiſpalenſis, *Quadrageſima in univerſo orbe inſtitutione Apoſtolicâ obſervatur; circa confinium dominicæ paſſionis.* Iſid. Hiſpal. Orig. lib. 6. cap. 19.

E Græcis porro Patribus, Euſebius Cæſarienſis, Epiphanius, aliique quicquid de Therapeutis à Philone Judæo dicitur, de primis Chriſtianis intelligentes, eo ſe jejunium Quadrageſimale, ab Apoſtolis traditam credidiſſe declarârunt, ut ante oſtendimus. Quibus adjungatur S. Baſilius, qui ſermonem de hoc ipſo jejunio habuit, in quo diſerte ait, jejunij hujus præconium per univerſum terrarum orbem denunciatum eſſe, adeo ut nulla eſſet inſula, nec ulla terra continens, non civitas, non gens ulla, non extremus mundi angulus, ubi non auditum ſit: ac propterea hortatus eſt, ne quis ſemet excludat è numero jejunantium, in quo omne genus hominum, omnis ætas, omnes dignitatum formæ cenſentur: & divitem poſtea admonet jejunium hoc obſervare, ne forte reus peragatur *apud jejuniorum legiſlatorem*, μή ποτέ σε, inquit, καταγγέλλῃ ἐπὶ τῷ νομοθέτῃ τῶν νηστειῶν. Baſil. Hom. II. de jejun. ubi ὁ νομοθέτης τῶν νηστειῶν alius eſſe non poteſt, quam ipſe Deus, qui proinde iſtorum, de quibus hic agitur, jejuniorum legem tuliſſe à S. Baſilio perhibetur. Iiſdem fere diebus Theophilus Alexandrinus tres ſuas Paſchales Epiſtolas, quas S. Hieronymus æqualis ejus latinas fecit, in lucem edidit, in quibus paſſim aſſerit, jejunium hoc Quadragesimale, *ſecundum Evangelicas, & Apoſtolicas traditiones obſervandum eſſe.* Et exiguo poſt eum tempore, Cyrillus, Alexandrinæ itidem Eccleſiæ Antiſtes, in Paſchalibus homiliis à ſe conſcriptis ſæpe inculcat hoc jejunium ab omnibus celebrandum eſſe κατὰ τὰς Ἀποστολικὰς παραδόσεις, & nonnunquam κατὰ τὴν εὐαγγελικὴν παράδοσιν. Ut alios in præſenti omittam, Dorotheus Archimandrita, qui anno circiter DLX. floruit, jejunium Quadrageſimale *decimationem* vocat *totius anni, quam nobis in pœnitentiam & purgationem peccatorum noſtrorum Sancti Apoſtoli conſecrarunt.* Αὕτη ἐςὶν ἡ δεκατία, ὡς ἂν εἴπῃ τις, παντὸς τοῦ ἐνιαυτοῦ, ἣν ὑγίασαν ἡμῖν εἰς μετάνοιαν οἱ Ἅγιοι Ἀπόστολοι, καθάρσιον οὖσαν τῶν ἁμαρτιῶν. Doroth. Doctr. XV. E quibus patet hanc, quæ jejunium Quadrageſimale ab ipſis Domini Apoſtolis traditum fuiſſe ſtatuit, non novam eſſe aut nudiuſtertius ſuſceptam opinionem, ſed eandem, quâ antiqui Eccleſiæ Patres tam Græci quam Latini, ducti fuerunt. Quod, ſi non extra controverſiam ponat quadraginta ante Paſcha dierum jejunium ab ipſis Apoſtolis

Ggg diſerte

diſerte inſtitutum fuiſſe, pleniſſimam ſaltem fidem facit, illud longe ante quartum, idque, quod vult Dallæus, fere finitum ſeculum, publico Eccleſiæ uſu receptum eſſe, atque iſto proximoque currente ſeculo tantæ antiquitatis habitum, ut Apoſtolicæ inſtitutionis fuiſſe crederetur, & quidem à ſanctiſſimis clariſſimiſque iſtorum ſeculorum Patribus. Quibus, an Dallæo, major habeatur fides, iſti viderint, qui cæco partium ſtudio magis quam ſincero veritatis amore controverſias Eccleſiaſticas agitantes, ſuo,& eorum quos creduli ſequuntur, ingenio & præſumptis cujuſcunque generis opinionibus plus nimio indulgere ſolent.

C A-

CAPUT IX.

Synopſis.

I. Ἀνακεφαλαίωσις *eorum quæ de jejunio Quadrageſimali hactenus dicta ſunt. E quibus Apoſtolica ejuſdem inſtitutio infertur.*

II. *Idem ex eo probatur, quod etiamſi ubique obſervatum, Eccleſiaſticâ tamen authoritate nunquam inſtitutum fuit. Juxta auream D.* Auguſtini *regulam, quæ defenditur & explicatur.*

III. *Noſtra de Apoſtolicâ hujus jejunij inſtitutione opinio explicata. Dies* quibus ablatus eſt ſponſus, *ipſi Apoſtoli jejunio tranſegiſſe, aliiſque jejunandos tradidiſſe videntur.*

IV. *Quadraginta dierum jejunium ab aliis primo ſuſceptum videtur, ſed ab Apoſtolis poſtea traditum ab iis, qui illud ferre poterant, ſuſcipiendum.*

V. *Ex hâc hypotheſi, quicquid in antiquitate de hoc jejunio dictum fuit & clarum eſt, & ſibi conſtans.*

VI. *Prudentis eſt Chriſtiani, hoc jejunium religioſe quotannis obſervare: ut è quo nihil incommodi, ſed multum utilitatis emergat.*

VII. *Quo modo hoc jejunium antiquitùs obſervatum fuit, & adhuc obſervari debet.*

I. UT Rem autem in pauca conferam, noſtramque de eâ opinionem breviter exponam: Cùm (ut ex iis quæ hucuſque diſſeruimus abunde ſatis, ut opinor, conſtat) jejunium Quadrageſimale quarto ſaltem præcipiti ſeculo paſſim in Eccleſiâ celebratum fuiſſe inter omnes conveniat. Cùm eodem ineunte ſeculo Synodus Nicæna τὴν τεσσαρακοστὴν, ut univerſæ Eccleſiæ cognitam atque obſervatam memorârit. Cùm iſta vox ex communi iſtis diebus Eccleſiæ uſu, necnon ex propriâ nominis ratione quadraginta dierum ſpatium ſignificet. Cum iſto ſenſu etiam ab Athanaſio uſurpetur. Cum Euſebius Cæſarienſis eodem ineunte ſeculo, Therapeutas à Philone Judæo deſcriptos qui ſeptem hebdomadum ante Paſcha jejunium celebrarunt, Chriſtianos fuiſſe opinatus ſit, & S. Hieronymus, Epiphanius, aliique idem tradiderint,

diderint, nihilque in contrarium adductum ſit, quod opinionem iſtam evertat. Cùm Conſtantinus M. de definitis ante Paſcha jejuniis ut ubique cognitis meminerit. Cùm Dionyſius Alexandrinus propoſitæ de jejunij Antepaſchalis ſolutione quæſtioni tertio vix dum adulto ſeculo reſponſum dederit. Cum eodem ineunte ſeculo Tertullianus Eccleſiam Catholicam non modo dies illos *quibus ablatus eſt ſponſus*, verumetiam alios citra ſive ante eos jejunâſſe aſſeruerit, & æqualis ejus Origenes *quadrageſimæ* dies ſuâ ætate jejunio conſecratos eſſe dixerit. Cùm aliquam multos ante feſtum Paſchale dies ex Apoſtolicâ traditione jejunio dicatos fuiſſe, controverſia de feſto iſto ſecundo labente ſeculo agitata fidem faciat. Cum iſtis etiam diebus Irenæus Lugdunenſis varias jejunij Antepaſchalis celebrandi formas recenſens, eam accuratam eſſe dixerit, quæ quadraginta dies iſti jejunio deputavit, eandemque longo ante ſuam ætatem tempore obſervatam fuiſſe affirmârit. Cum longum iſtud ab eo deſignatum tempus de alio vix intelligi poſſit, quam quo nonnulli ex ipſis Domini Apoſtolis Eccleſiæ ſuperſtites erant. Cùm plerique denique è doctiſſimis quarti, quintique ſeculi Patribus, ut D. Hieronymus, Auguſtinus, Leo M. Petrus Chryſologus, Iſidorus Hiſpalenſis; necnon Euſebius Cæſarienſis, Baſilius M. Theophilus, & Cyrillus Eccleſiæ Alexandrinæ præſules, & mox poſtea Dorotheus Archimandrita; jejunium Quadrageſimale, nunc divinitus inſtitutum, nunc ab Apoſtolis traditum, & neceſſario ab omnibus obſervandum eſſe conſenſerint. Cùm hæc, inquam, ita ſint, haud auſus ſum dubitare quin Quadrageſimale ante Paſcha jejunium, ab ipſis Apoſtolorum temporibus in Eccleſiâ obtinuerit, adeoque aliquali ipſorum traditioni jure meritiſſimo acceptum referatur.

II. Et in hanc quidem ſententiam eò ipſe magis propendo, quòd quarto ſaltem ſeculo hoc jejunium ab univerſâ Eccleſiâ obſervatum fuiſſe, adeo manifeſtum certumque ſit, ut ipſi etiam adverſarij illud diffiteri nequeant. Qui tamen primæ iſtius originis atque inſtitutionis nulla uſpiam in omni antiquitate veſtigia deprehendere potuerunt. Nulla enim extant. Verùm & ante prædictum ſeculum, ut nos oſtendimus, & poſt, ut confitentur adverſarij, miro ubique conſenſu celebratum eſt. Etiamſi à nullo ſingulari Patre, à nullo, quod ſcimus, Concilio vel generali vel provinciali inſtitutum fuerit. Sed ipſa prima ac celeberrima ex omnibus Oecumenicis Synodis Nicææ quarto ineunte ſeculo congregata illud ut omnibus ubique Chriſtianis, non minus quam ipſum Autumni tempus, cognitum memoravit. Quo autem pacto hoc fieri potuit, niſi ab ipſis Apoſtolis aliquo ſaltem modo traditum fuiſſet, me prorſus neſcire fateor. Nec ipſe quidem video quid rationi magis conſentaneum eſſe poteſt, quam quod B. Auguſtinus olim aſſeruit, dicens, *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi autoritate Apoſtolicâ traditum rectiſſime creditur.* Aug. de baptiſmo cont. Donat. lib. 4.

cap.

cap. 24. Omnem enim fidem excedit, ut univerſa Eccleſia proximis poſt ipſos Apoſtolos ſeculis in unum aliquem ritum aut modum diſciplinæ conſentiret, qui nec ab univerſali Concilio, quo ſolo univerſa Eccleſia tenetur, inſtitutus, nec Apoſtolicâ autoritate traditus fuit. Univerſam autem Eccleſiam quarto ineunte ſeculo in hoc jejunium conſenſiſſe, ex ipſa in univerſali Concilio tunc temporis Nicææ congregatâ, & hujus jejunij ut omnibus & ſingulis Eccleſiis cogniti mentionem faciente patet. Iſta vero Synodus, ut inter omnes conſtat, hoc jejunium non inſtituit, quippe quæ illud prius inſtitutum & ubique obſervatum ſupponit. Neque in aliquo è provincialibus Conciliis ante celebratis inſtitutum legitur. A quibus etiam ſi inſtitutum fuiſſet, in univerſam exinde Eccleſiam manare non potuit. Reſtat igitur, ut hoc jejunium juxta auream illam doctiſſimi Patris regulam, *autoritate Apoſtolicâ traditum rectiſſime credatur.* At at, *ipſe Auguſtinus*, inquit Dallæus, *qui hanc regulam fixit, non ideo putavit, Quadrageſimam ab Apoſtolis fuiſſe inſtitutam, quam diſerte profitetur Eccleſiæ conſuetudini originem ac robur ſuum debere.* Hoc, fateor, dicit clariſſimus Dallæus, pag. 409. ſed ſui procul omni dubio oblitus. D. Auguſtinus enim nullibi profitetur Quadrageſimam Eccleſiæ conſuetudini originem ſuam debere. Dicit tantummodo, quod & ante obſervatum eſt, *Nam ut quadragintâ illi dies ante Paſcha obſerventur, Eccleſiæ conſuetdo roboravit.* Hoccine vero idem eſt atque *Quadrageſimam Eccleſiæ conſuetudini originem ſuam debere*? Nihilne inter inſtitutionem rei atque ejuſdem roborationem intereſt? Sane ex his ipſis D. Auguſtini verbis ſatis liquet, eum juxta ſuam ipſius regulam credidiſſe, Quadrageſimam autoritate Apoſtolicâ traditam fuiſſe. Cùm nihil enim in Quadrageſimæ negotio Eccleſiæ adſcribat, præterquam ejuſdem *roborationem*, per conſtantem ſcilicet illius obſervationem, eo ſane profitetur, hoc jejunium Eccleſiaſticâ authoritate non inſtitutum fuiſſe. Quod ſi authoritate Eccleſiaſticâ non inſtitutum fuerit, originem ejus aliunde quam ab Apoſtolicâ traditione petere nequimus: unde ſcilicet & alia quam plurima, quæ etiamnum, & ſemper, & ubique obſervata fuerunt, petamus neceſſe eſt. Et quidem D. Auguſtinus loco ſupra laudato, generalem iſtam regulam eo tantum nomine proponit, ut baptiſmum infantium authoritate Apoſtolicâ traditum oſtendat. Alibi autem eandem ad anniverſarias Eccleſiæ celebritates adhibet. *Illa*, inquit, *quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obſervantur, datur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis vel plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſiâ ſaluberrima authoritas, commendata atque ſtatuta retineri. Sicuti quod Domini paſſio, & reſurrectio, & aſcenſio in Cœlum, & adventus de Cœlo Spiritus Sancti, anniverſariâ ſolennitate celebrantur. Et ſi quid aliud tale occurrerit, quod ſervatur ab univerſis, quacunque ſe diffundat Eccleſia.* Aug. Epiſt. CXVIII.

ad

ad Januar. cap. 1. E quibus ſanctiſſimi Patris verbis ſic argumentari licet; Quæ ab univerſâ Eccleſiâ obſervantur, vel ab ipſis Apoſtolis, vel à plenariis Conciliis ſtatuta ſunt: At anniverſariæ iſtæ ſolennitates, quibus Domini paſſio, reſurrectio, & aſcenſio, necnon adventus Sancti Spiritus celebrantur, à plenariis Conciliis non ſunt ſtatutæ. Ergo ſtatutæ ſunt ab ipſis Apoſtolis. Porro Domini paſſio hic commemorata, non niſi jejunio Antepaſchali quotannis celebrata eſt. Jejunium iſtud D. Auguſtini diebus quadraginta dies obſervatum fuiſſe inter omnes convenit. Unde conſequitur, jejunium Quadrageſimale ab ipſis Apoſtolis traditum fuiſſe, ſi vel S. Auguſtino, vel regulæ ab eo præpoſitæ fides habeatur. Verum annon in re adeo antiquâ major D. Auguſtino, quam cuilibet hiſce diebus prognato fides debeatur, docti judicent. Qui vero regulam ab eo fixam falſitatis arguunt, vereor ut Eccleſiam univerſalem à perpetuis & graviſſimis erroribus defendant: Imo quidem vereor, ut neceſſariam dici Dominicæ obſervationem, ut infantium baptiſmum, ut Canonicorum librorum numerum, aliaque iſtiuſmodi, quæ ſummi ſunt in religione noſtrâ momenti, ab ipſis Domini noſtri Apoſtolis tradita atque inſtituta fuiſſe vel ſibi perſuaſum habeant, vel aliis perſuadeant: utpote quæ in Sacroſanctis ſcripturis disertè præcepta ac definita non habeamus.

III. Hæc maturè, diuque perpenſa, haud dubitare ſinunt, quin jejunium Quadrageſimale ab ipſis Apoſtolis quodammodo traditum fuerit. Quandoquidem autem in genuinis eorum ſcriptis præceptum non invenitur, quonam ab iis modo traditum fuerit, non adeo facile eſt conjecturâ aſſequi. Noſtram vero de eâ re ſententiam, è primis ac indubitatis Eccleſiæ monumentis erutam, paucis explicare non pigebit. Primo itaque Sanctos Apoſtolos iſtum, quo cruci affixus eſt Chriſtus, diem jejunos quotannis tranſegiſſe, nemo, ut opinor, inficiari poteſt. Cùm omnibus enim, ut notum eſt, Judæis ſolenne eſſet, ut quiſque diem, quo pater ipſius mortuus eſt, in ſingulis poſtea vitæ ſuæ annis jejunio conſecraret, nihil rationi, fideique magis abſonum videtur, quam ut Apoſtoli diem illum, quo chariſſimus ipſorum magiſter, quo unicus humani generis ſervator, quo æternus Dei Filius graviſſimos pro ipſorum, aliorumque peccatis cruciatus, ipſamque mortem pati dignatus eſt, quotannis non jejunarent. Quis ex infimis ejus diſcipulis hoc non faceret? Quis anniverſario iſto redeunte die ſecum non reputaret, Hoc die unigenitus Dei Filius pro meis ipſius peccatis ludibrio habitus eſt; verberibus laceratus eſt; ſpineâ coronâ redimitus eſt; in crucem, infandum! à ſuis ipſius creaturis actus eſt; meique loco, prò me infelicem! ignominioſiſſimo iſto aſperrimoque mortis genere ſublatus eſt. Ipſeque hunc diem lætus, carnique indulgens tranſigam? Hoc ſaltem die jejuniis lachrymiſque ob iſta quæ Dominum meum cruci affixerunt peccata me non affligam? Abſit, longe, longeque abſit. Sane ſi quis noſtrûm vel illorum etiam qui ſtatâ Eccleſiæ jejunia tantopere

oppug-

oppugnant, ineffabiles iſtas, quas noſtri loco ſuſcepit Dominus, paſſiones animo maturo agitaret, non difficile dico, ſed impoſſibile eſſet, ut iſtum ſaltem quo paſſus eſt, diem jejunare dedignaretur. Quanto magis impoſſibile fuit, ut ſanctiſſimi illius diſcipuli, ac Apoſtoli, qui aliquot cum eo annos converſati fuerant, qui miracula ejus viderant, qui doctrinam audierant, qui divinâ ejus præſentiâ ac favore tamdiu beati fuerant, ſummo animi angore non afficerentur, quoties anniverſarius ille rediret dies, quo dilectiſſimus ipſorum Dominus impiâ Judæorum manu iis ablatus eſt? Quonam autem modo hunc ſuum ob Domini paſſiones dolorem manifeſtum reddere, vel etiam exercere potuerunt, ſi iſtum ſaltem diem quo eas pertulit, jejunio fletibuſque non devoverent? hoc eſt, ſi illud pro Chriſto facere recuſarent, quod alios pro patribus amiciliſque ſuis mortuis quotannis peragentes videbant? Qui ſinceram profecto Apoſtolorum pietatem, ſummumque in Chriſtum amorem contemplatur, dubitare nequit, quin iſtum quotannis ſtrictiſſime jejunarint diem quo crucifixus eſt Chriſtus; imo vero atque proximum etiam, quo in ſepulchro jacuit, idque non eo tantum quod per iſtum etiam diem divinâ ejus, ut in mortuorum ſtatu adhuc manentis, præſentiâ privati fuerant, verumetiam eo præſertim quod ipſe Dominus de illis prædixerat, *Venient dies cùm auferetur ab iis ſponſus, & tunc jejunabunt* ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις *in illis diebus*. Ex his enim verbis Apoſtoli intellexiſſe videntur, Domini mandatum ac voluntatem eſſe, ut ipſi omneſque alii poſtea Chriſtiani, duos illos quotannis dies, paraſceven ſcilicet & ſabbatum magnum, quibus ſponſus ſive Dominus ipſis ſublatus eſt, jejuniis conſecrarent. Hoc enim, quem optime ferent, ſenſu verba iſta proximo poſt Apoſtolos ſeculo ab Eccleſiâ Catholicâ intellecta fuiſſe, ex Tertulliano conſtat, dicente, *Certe in Evangelio illos dies jejuniis determinatos putant* Catholici, *in quibus ablatus eſt ſponſus*. Tertull. de jejun. adv. pſychic. cap. 2. Hanc autem iſtorum Domini verborum interpretationem Eccleſia Catholica iſtis ſaltem diebus aliunde quam ab Apoſtolis habere non poterat, ut à quibus & ipſum Evangelium, & genuinas veraſque ejuſdem expoſitiones traditas acceperat. Quod ſi Apoſtoli verba iſta ita intellexerint, dubitare nefas eſt, quin dies illos arctiſſime quotannis jejunarint ipſi, & in mandatis dederint, ut alij etiam eoſdem, ut in Evangelio jejuniis determinatos, in ſingulis vitæ ſuæ annis obſervarent. Neque enim hoc illorum tantum, ſed ipſius Domini præceptum erat. Unde perſuaſiſſimum habeo, quod ſicut Johannis diſcipuli ac Phariſæi (qui Chriſtum tunc temporis interrogabant, quare ejus diſcipuli non jejunarent) ſtata ſua jejunia habuerunt, & quemadmodum Judæi nonnullos quotannis dies jejuniis deputare lege divinâ conſtricti fuerunt, ſic etiam Apoſtoli, cæterique iſtius ætatis Chriſtiani, illos ſaltem dies *quibus ablatus eſt ſponſus*, annuâ vice jejunabant, & ab aliis jejunandos eſſe tradiderunt. Alioquin enim fieri non potuit, ut Eccleſia ab

iis recens fundata, illos dies *in Evangelio jejuniis determinatos* putaret.

IV. Nullus itaque dubito, quin ab ipſis Apoſtolis traditum fuerit, ut aliquot ante Paſchalem feſtivitatem, ſive dominicæ reſurrectionis commemorationem dies, illi minimum, quibus Chriſtus paſſus eſt, & in ſepulchro detentus, luctui, jejunio & pœnitentiæ agendæ inprimis deſignarentur. Alij autem, viri ſaltem Apoſtolici, ſi non & ipſi Apoſtoli, ut veriſimile eſt, quot & quanta Chriſtus ipſorum cauſâ locoque paſſus eſt, ſecum revolventes, pro ſummo quo in eum flagrabant zelo, non ſolum duos illos in Evangelio determinatos dies, verum & alios citra illos jejunio deputabant. Uſque adeo ut nonnulli ipſum quadraginta dierum jejunium à Chriſto celebratum aliquo modo adumbrare conarentur. Quod eorum ſtudium plumque zelum ut nulli reprehenſioni obnoxium, Apoſtoli condemnare non potuerunt. Siquidem etiamſi dies quibus ablatus eſt ſponſus jejuniis determinati eſſent, nullibi tamen ſcriptum fuit, ne plures præter, citrave illos jejunarentur. Imo potius cùm & ſignum eſſet, & adjutorium pietatis tale jejunium, ab Apoſtolis non potuit non ſumme approbari: quippe qui virtutis ſtudium, vitæque ſanctimoniam, omniaque quæ in Dei gloriam tendere videbantur, omnibus modis promovere ſtuderent. Ac propterea, etiamſi tot dierum jejunium omnibus imponere noluerunt, quoniam ab omnibus æqualiter obſervari non potuit, illud nihilominus ut carni ſubjugandæ, & provehendæ ſanctitati aptum iis peragendum tradiderunt & commendarunt, quibus longioribus opus eſſet jejuniis, eaque ferre poterant. Quo factum eſt, ut plurimi poſtea Antepaſchale jejunium quadraginta ſolidos dies continuârint, idemque tanquam ab Apoſtolis traditum aliis commendârint. Uſque adeo ut hoc jejunandi genus tanquam ad pietatem cultumque Chriſti plurimum conducens, ab univerſis propemodum Chriſtianis tandem aliquando ſuſceptum fuerit, &, ſi cum D. Auguſtino loquar, *Eccleſiæ conſuetudine roboratum.*

V. Hæc fateor, totidem verbis in Sacroſanctis Scripturis non continentur, ac proinde invictis iſtiuſmodi argumentis demonſtrari nequeunt, quibus quiſpiam aſſenſum iis præbere vel invitus cogatur. Verumenimvero præterquam quod ſcriptis Apoſtolicis in nihilo ſint diſſentanea, ſed cum iis potius optime conſentiant, Eccleſiaſticâ etiam antiquitate ita muniuntur, ut ſalvâ ejus authoritate, nunquam diluantur. Quin his etiam poſitis, quicquid de jejunio Antepaſchali variâque ejuſdem obſervatione in antiquis Eccleſiæ commentariis occurrit, clariſſime enodetur. Hinc enim conſtat, quare Eccleſia Catholica apud Tertullianum de jejun. adv. pſych. cap. 2. illos dies quibus ablatus eſt ſponſus *ſolos legitimos jejuniorum Chriſtianorum dies* putârit, eo ſcilicet quod illi ſoli in Evangelio tanquam lege ſcriptâ jejunio determinati ſint. Conſtat etiam quare eadem Eccleſia apud eundem ibidemque dixerit, *alias citra illos dies indifferenter jejunandum eſſe ex arbitrio, non ex imperio novæ diſciplinæ, pro temporibus*

ribus & cauſis uniuſcujuſque, quoniam utique tot dierum jejunium Apoſtoli non abſolute omnibus mandarunt,ſed tradiderunt tantummodo ab iis ſuſcipiendum, quorum facultates id ferrent,&conditio poſtularet. Et hinc eſt quod in Eccleſiæ poteſtate ſemper ſitum fuit,obſervationem illius nonnullis in caſibus relaxare, ſive ut vulgo loquuntur,*diſpenſationem indulgere:* quod in præceptum divinum non cadit. Conſtat inſuper ex hac hypotheſi, quare jejunium Antepaſchale Irenæi diebus tantâ varietate obſervatum eſſet, ut cum omnes unum ſaltem diem jejunarent,eum ſcilicet quo Chriſti paſſio commemoratur; alij duobus, alij pluribus, alij etiam quadraginta diebus ſibi jejunandum eſſe exiſtimarent, eo nimirum quòd nonnulli ſibi non neceſſe eſſe crederent, ut plures quam unum vel duos ſaltem illos in Evangelio determinatos dies jejunarent: alij vero plurium, alij ipſum quadraginta dierum jejunium ſibi peragendum eſſe cenſerent, quandoquidem illud perutile ipſis & ſumme ex Apoſtolicâ traditione neceſſarium videretur. Ex his denique poſitis conſtat, quare Irenæus iſtam accuratam eſſe formam judicârit, quâ quadraginta ſolidi ante Paſcha dies jejunio conſecrantur, propterea utique quod hæc ab Apoſtolis modo ſupra expoſito tradita fuerit,quodque ſi omnes Chriſtiani ſaluti ſuæ quâ par eſt diligentiâ ac fidelitate conſulerent, nemo eſſet vel ſaltem pauciſſimi, qui illâ jejunij formâ ſibi opus eſſe non viderent, ut quâ carnalis appetitus melius compeſceretur, omneſque virtutes tam piis exercitiis augerentur. Quibus etiam de cauſis univerſa Eccleſia in hanc jejunij Antepaſchalis formam cito conſenſit. Adeo ut etiamſi à nullo univerſali Concilio definita aut mandata fuerit, ubique nihilominus ſola obtinuerit; neque unquam, præterquam ab hæreticis, ante noſtram ætatem in quæſtionem vocata fuit. Sed omnes potius Catholici Quadrageſimam *ex neceſſitate*, ut loquitur D. Hieronymus, jejunio peragendam eſſe uno ore affirmarunt, ut ab ipſis Apoſtolis primo traditam, & univerſalis Eccleſiæ conſenſu ac conſuetudine poſtea confirmatam. Cum ex his itaque poſitis antiquitas Eccleſiaſtica accurate adeo ſibi conſtet, nemo ea vero ſaltem ſimillima eſſe dubitabit, qui ullam antiquitati vel fidem habet vel reverentiam. Quod ſi quis in re adeo vetuſtâ, probabiliora in medium proferet, non ſum adeo propriis cogitationibus mancipatus, quin melioribus lubens gratuſque acquieſcam.

VI. Sed utcunque ſe res habeat, conſtat ſaltem aliquot ante Paſcha dies ab ipſis Eccleſiæ primordiis jejunio dicatos fuiſſe. Conſtat etiam Antepaſchale illud jejunium proximo poſt Apoſtolos ſeculo quadraginta dies à nonnullis celebratum fuiſſe. Conſtat denique probabiles ſaltem dari cauſas, quibus etiam Quadrageſimalis illius jejunij obſervationem Apoſtolicæ traditioni acceptam ferre inducamur. Quicunque ergo hoc jejunium vel ipſi non obſervant, vel ab aliis non obſervandum eſſe contendunt, ab iis ſciſcitari vellem, annon in re dubiâ, tutiorem, melioremque partem eli-

gere ſapientis ſit, præſertim ſi ea probabilibus etiam rationibus adſtruatur? Hoc nemo, ut opinor, negabit. Demus itaque dubium adhuc eſſe, utrum hoc jejunium ab Apoſtolis inſtitutum fuerit, vel quovis modo traditum, ſi tamen vel probabile ſit, illi haud dubie, qui illud obſervant, ſibi melius proſpiciunt, quam iſti qui negligunt & condemnant. Quid enim ſi quod plurimi, nec ſine ratione antiquitus crediderunt, aliique etiamnum nobiſcum credunt, ab ipſis Domini Apoſtolis revera traditum fuerit, etiamſi ita demonſtrari nequeat, ut omnes illud credere cogantur? Sane ſi ita eſſet, parum ſolatij, ne amplius dicam, iis erit, qui illud deſpectui habent. Quid è contra mali, quid incommodi ex ſynccrâ hujus jejunij, piâque cum primitivis Chriſtianis obſervatione cuivis emergat? Quid ei vitio vertatur? Quòd jejunat? vix credo. Jejunium enim in utroque Teſtamento præcipitur. Ipſe Chriſtus jejunium celebravit, regulaſque nobis reliquit juxta quas rectè à nobis celebretur. Illius etiam Apoſtoli in jejuniis frequentes fuerunt. Quænam itaque culpa in jejunio Quadrageſimali reſidet, quo minus obſervetur? Anne quod ſtatum ſit jejunium, & quotannis celebratum? Hoc nefas dictu eſt, quandoquidem ipſe Deus ſtatum atque anniverſarium jejunium Eccleſiæ Iſraeliticæ ab ipſo formatæ inſtituit, decimâ nimirum die menſis ſeptimi quotannis celebrandum, Lev. XVI. 29. Quid itaque in hoc jejunio reprehendi poteſt? quod ante Paſcha celebratur? Nihil minus. *In quâ enim parte anni congruentius obſervatio Quadrageſimæ conſtitueretur, niſi confinis atque contigua Dominicæ paſſioni?* ut recte olim obſervavit D. Auguſtinus Epiſt. 119. ad Januar. cap. 15. Reſtat igitur, ut hoc jejunium nullo inſimuletur crimine, niſi forſitan quod quadraginta dies celebretur. Verumenimvero cùm jejunium & licitum ſit & à Deo præceptum, plures continuos jejunare dies malum eſſe nequit. Quin potius quo longius, eo melius eſt jejunium. Et quod ad definitum quadraginta dierum ſpatium ſpectat, idem profecto eſt quod Moſes, quod Helias, quod ipſe Chriſtus jejunavit. Cùm hoc autem illis criminis loco objici non poſſit, quare nobis objiceretur, qui tantorum virorum, imo qui ipſius Domini jejunium noſtri cauſâ celebratum pro virili parte imitari & ſemel quotannis commemorare ſtudemus? Cùm igitur in anniverſariâ hujus jejunij obſervatione nihil mali hæreat, quin potius magnum, ſi quâ par eſt religione obſervetur, utilitatis fructum præbeat, etiamſi dubium eſſet, utrum ab ipſis Apoſtolis traditum fuerit, nemini tamen dubium eſſe poteſt, quin plus periculi ex ejus neglectu, quam ex obſervatione metuendum ſit. Ac propterea illi ſane vero Dei cultui, ſuæque adeo ſaluti magis intenti ſunt, meliuſque conſulunt, qui ſe primitivæ ac univerſæ Eccleſiæ moribus hâc in re conformes gerunt, quam iſti, qui neſcio quo præjudicio impulſi, in hoc jejunium, utcunque celebratum, debacchantur.

VII. Summâ jejunij Quadrageſimalis antiquitate aſſertâ & explicatâ reliquum eſt, ut modum etiam, quo ab Eccleſiâ Primitivâ celebratum fuit,

paucis expediamus. Totum igitur hoc jejunio ſacratum tempus veteres Chriſtiani tantâ religione obſervârunt, ut unicam quotidie refectionem haberent, eaque non prandium eſſet ſed cœna, adeo ut nemo ante veſperam quodvis cibi genus guſtaret. S. Baſilius enim Quadrageſimam jejunanti dicit, τὴν ἑσπέραν ἀναμένεις εἰς μετάληψιν, *Veſperam expectas ut cibum capias*, Baſil. hom. 1. de jejun. D. Ambroſius, *Indictum eſt jejunium, cave ne negligas. Etſi te fames quotidianum cogit ad prandium, ut intemperantia declinet jejunium, tamen cœleſti magis te ſervato convivio. Non epulæ paratæ extorqueant, ut cœleſtibus ſis vacuus Sacramentis. Differ aliquantulum, non longe eſt finis diei*, Ambroſ. in Pſal. CXVIII. Serm. 8. Ut alia quæ paſſim occurrunt, teſtimonia miſſa in præſenti faciam, apud D. Auguſtinum in Epiſtola LXXXVI. ad Caſulanam, alibique *prandere*, & *jejunare*, ſibi invicem ſæpe opponuntur. Adeo ut nemo *jejunare* dicatur qui *prandet*, nemo *prandere* qui *jejunat*. Quiſquis ergo piſces, vel aliud quodlibet ex innumeris ciborum generibus prandet, is profecto Quadrageſimam cum primitivis Chriſtianis neutiquam jejunat, nec niſi peſſimâ vocis abuſione *jejunare* dicatur. Jejunium enim in Veteris Eccleſiæ notitiâ religioſa fuit ab omni ciborum genere per totam diem abſtinentia, ut ita, neglecto corpore, meditationi, reſipiſcentiæ, precibus, vel ut ſemel dicam Deo animiſque noſtris à mane ad veſperam uſque toti vacemus. Hujuſmodi fuerunt jejunia ab antiquis Chriſtianis celebrata. Quotieſcunque enim jejunio operam darent, præſertim per totam Quadrageſimam, nullum niſi veſperaſcente die cibum capere ſolebant. Quin cibus etiam, quo ſub noctem veſcebantur, frugi fuit, caſtus, temperatus, & plerunq; ſiccus, juxta quinquageſimum illum Concilij Laodiceni Canonem, dicentem, Δεῖ πᾶσαν τὴν τεσσαρακοστὴν νηστεύειν ξηροφαγοῦντας, *Oportet totam Quadrageſimam jejunare aridis veſcentes*, ſub veſperam ſcilicet, non ante. Jejunium enim aridis non propriè celebratum fuit, ſed ſolutum. Hujuſmodi autem jejuniorum ſolutio à primitivis Chriſtianis uſitata eſt, ut in iis ſolvendis pariter atque celebrandis abſtinentiam ſuam atque moderationem probarent, atque ita verum jejunandi finem aſſequerentur, qui eſt, carnis concupiſcentias edomare, vel, ſi Apoſtoli verbis utar, ὑπωπιάζειν τὸ σῶμα καὶ δουλαγωγεῖν, corpus ſcilicet in talem ſervitutem redigere, ut rationis imperio in omnibus obſequatur. Qui vero jejunia quidem diurno, nocturno autem tempore convivia celebrat, is ſane hoc nunquam efficiet. Quod cum Veteres Chriſtiani ſatis perſpectum haberent, illi per totam Quadrageſimam à vino æque ac à carnibus abſtinebant. Ipſeque cibus, quo ſub veſperam cujuſque diei jejunium ſolvebant, vilis fuit, & parcus, ab omni luxuriâ & deliciis alienus. Unde D. Hieronymus in eos graviſſimus invehitur, qui ab oleo quidem per iſtud tempus ſe abſtinebant, at delicatioribus nihilominus dapibus fruebantur. *Quid prodeſt*, inquit, *oleo non veſci*,

& moleſtias quaſdam difficultateſque ciborum quærere? Carycas, piper, palmarum fructus; ſimilam, piſtacia? Tota hortorum cultura vexatur, ut cibario non veſcamur pane, & dum delicias ſectamur, à regno cœlorum retrahimur. Hieron. de vitâ Cleric. ad Nepotian. Ubi etiam mox ſubjungit, *Fortiſſimum jejunium eſt aqua & panis.* Et paulo antea, generalem proponit regulam, ab omnibus, ut nobis videtur, in hoc negotio diligenter obſervandam. *Tantum*, inquit, *tibi jejuniorum modum impone, quantum ferre potes. Sint tibi pura, caſta, ſimplicia, moderata & non ſuperſtitioſa jejunia.* Hieron. ibid. Qui huic regulæ religioſe inſiſtit, nihil eſt quod de ciborum, quibus jejunia ſua ſolvat, genere ſcrupuloſè nimis laboret, vel ſolicito, anxioque ſit animo, utrum ichthyophagiâ an xerophagiâ id fiat. Sed in rebus adeo adiaphoris ſatius erit noſmet Eccleſiæ, in quâ verſamur, accommodare, moremque gerere, & inprimis cavere, ut pro ſuâ quiſque naturâ, ac poteſtate, eâ ciborum quantitate pariter ac qualitate jejunia noſtra ſolvamus, quâ veros jejunandi fines certius aſſequamur, *puriuſque*, ut loquitur Synodus Nicæna, *munus Deo offeramus.*

CAPUT

CAPUT X.

Synopſis.

I. *Jejunium* quartæ ſextæque feriæ *in Canone Apoſt. LXIX. memoratur & injungitur. Unum ſine altero in antiquitate nuſquam occurrit.*

II. *Has duas ferias antiquitus religioſe obſervatas fuiſſe, & jejunio dicatas è* Baſilio M. Hieronymo, Epiphanio & Conſtitutionibus Apoſt. *probatur.*

III. *Idem è* S. Auguſtino & Petro Alexandrino *demonſtratur.*

IV. *Eaſdem ferias etiam tertio ineunte ſeculo jejunio conſecratas fuiſſe ex* Origene & Clemente Alexandrino *evincitur.*

V. Tertullianus *has duas ferias* ſtationibus *dicatas aſſerit.*

VI. *Vera* Stationum *notio inquiritur.* Tertullianus *ſtationes & jejunia nonnunquam diſtinguit. Alibi jejunia ſtationum nomine appellat. Quo ſenſu vox ſtatio & ante & poſt Tertullianum uſitata eſt.*

VII. *Stationes breviora erant jejunia, horâ nonâ terminata. Et quartæ ſextæque feriis peculiaria.*

VIII. *Exceptiones contra argumentum pro his jejuniis è* Tertulliano *petitum diluuntur.*

IX. *Hæc jejunia longe ante* Tertullianum *obſervata fuiſſe ex* Hermæ Paſtore *oſtenditur. Unde ab ipſis Apoſtolis inſtituta videntur.*

I. HUCUSQUE de eâ Canonis Apoſtolici LXIX. parte, quâ cautum eſt, ut Clericus deponatur & ſegregetur Laicus qui *Quadrageſimam* non jejunat, egimus, oſtendimuſque Quadrageſimale ſive jejunium quadraginta ante Paſcha dierum ab ipſis Eccleſiæ primordiis religioſe admodum obſervatum fuiſſe,ac proinde haud mirum eſſe, quod hoc Canone commemoretur ac ſanciatur, etiamſi tota hæc Canonum Apoſtolicorum ſylloge tertio vel etiam ſecundo à Chriſti nativitate ſeculo facta fuerit ac divulgata. Reſtat modo,ut idem de Quartæ, Sextæque feriæ jejuniis, in eodem etiam Canone memoratis, demon-

demonſtremus. Dicit itaque Canon, Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ἀναγνώστης, ἢ ψάλτης τὴν ἁγίαν τεσσαρακοστὴν τοῦ πάσχα οὐ νηστεύει, ἢ τετράδα, ἢ παρασκευὴν, καθαιρείσθω. *Si quis Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel Lector, vel Cantor ſanctam Paſchæ Quadrageſimam non jejunat, vel Quartam, vel Paraſceven, deponatur.* Ubi per *Quartam & Paraſceven* duas illas in ſingulis ſeptimanis ferias, quos Mercurij ac Veneris dies vulgo nuncupamus, intelligendas eſſe, nemo unquam dubitavit. Et quidem Quartæ jejunium, etiamſi ab hodiernâ Eccleſiâ Romanâ plurimùm abrogetur, antiquitùs tamen eâdem, atque ſextæ, religione obſervatum fuit. Hæc enim duo hebdomadica, ut ita loquar, jejunia, in antiquis Eccleſiæ commentariis perpetuo conjunguntur, & ſimul nominantur. Adeo ut unum abſque altero in omni, quantum memini, antiquitate nuſquam occurrat. Utrumque autem per ſingulas anni cujuſque currentis hebdomadas ab Eccleſiâ primitivâ celebratum fuiſſe, nullo negotio conficiatur.

II. Ne longius autem ab ipſis Apoſtolorum diebus abeamus, quarto currente ſeculo has duas, quartam puta ſextamque, ferias peculiari præ aliis modo obſervatas fuiſſe, locupletiſſimos habemus teſtes S. Baſilium & Hieronymum. S. Baſilius enim, ille ſcilicet, qui *Magnus* merito cognominatur, ſe ſuamque Eccleſiam *quartâ* & *paraſceve* ſive *ſextâ*, non minus quam *ſabbato* ac *dominicâ* in ſingulis ſeptimanis communicare ſolitum teſtatur, dicens, Ἡμεῖς μέντοιγε τέταρτον καθ' ἑκάστην ἑβδομάδα κοινωνοῦμεν, ἐν τῇ κυριακῇ, ἐν τῇ τετράδι, καὶ ἐν τῇ παρασκευῇ, καὶ τῷ σαββάτῳ. *Nos igitur quater ſingulis ſeptimanis communicamus, dominicâ, feriâ quartâ, in paraſceve & ſabbato.* Baſil. Epiſt. CCLXXXIX. ad Cæſar. D. Hieronymi hæc ſunt verba, *Si dies obſervare non licet; & menſes, & tempora, & annos; nos quoque ſimile crimen incurrimus, Quartam ſabbati obſervantes, & Paraſceven, & diem dominicam, & jejunium Quadrageſimæ, & Paſchæ feſtivitatem, & Pentecoſtes lætitiam.* Hieron. in Epiſt. ad Galat. cap. IV. Ubi, ut videre licet, *Quarta ſabbati* & *Paraſceve* unà cum Dominicâ inter dies recenſentur ab Eccleſiâ iſtis temporibus religioſe obſervatos. Quomodo autem hæ duæ feriæ antiquitus obſervatæ fuerint, ex Epiphanio ejuſdem ætatis ſcriptore conſtat: Hic enim diſerte ait, Συνάξεις δὲ ἐπιτελούμεναι ταχθεῖσαί εἰσιν ἀπὸ τῶν Ἀποστόλων, τετράδι, καὶ προσαββάτῳ, καὶ κυριακῇ, τετράδι δὲ καὶ ἐν προσαββάτῳ ἐν νηστείᾳ ἕως ὥρας ἐννάτης· ἐπειδήπερ ἐπιφωσκούσῃ τετράδι συνελήφθη ὁ κύριος, καὶ τῷ προσαββάτῳ ἐσταυρώθη· καὶ παρέδωκαν οἱ Ἀπόστολοι ἐν ταύταις νηστείας ἐπιτελεῖσθαι, πληρουμένου τοῦ ῥητοῦ, ὅτι ὅταν ἀπαρθῇ ἀπ' αὐτῶν ὁ νυμφίος, τότε νηστεύσουσιν ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις. *Synaxes porro celebratæ ab Apoſtolis inſtitutæ ſunt, his potiſſimùm diebus,*

bus, quartâ, ſextâque feriâ & dominicâ, Item quartâ ſextâque feriâ jejunium ad horam uſque nonam indictum, propterea quòd quartâ feriâ comprehenſus ſit Dominus, & ſextâ crucifixus. Ideo per illos dies jejunandum eſſe decreverunt Apoſtoli, ut impleatur illud quod ſcriptum eſt, Cum auferetur ab iis ſponſus, tunc jejunabunt in illis diebus. Epiph. expoſ. fid. E quibus verbis conſtat primo, ſynaxes iſto ſeculo non modo Dominicis, ſed & quartis ſextiſque feriis celebrari ſolitas fuiſſe. Conſtat inſuper duas iſtas ferias non ſynaxibus duntaxat, ſed & jejuniis conſecratas eſſe, ad horam ſaltem nonam celebrandis. Conſtat præterea hunc quartæ ſextæque feriæ jejunandi ritum antiquum adeo iſtis temporibus habitum fuiſſe, ut ab ipſis Apoſtolis inſtitutus crederetur. Hoc enim Epiphanius verbis conceptis aſſerit, dicendo, Καὶ παρέδωκαν οἱ Ἀπόστολοι ἐν ταύταις νηστείας ἐπιτελεῖσθαι. Quin idem etiam alibi haſce ferias ubique terrarum, ſive ab univerſâ Eccleſiâ jejunatas aſſirmat. Τίνι δὲ, inquit, οὐ συμπεφώνηται ἐν πᾶσι κλίμασι τῆς οἰκουμένης, ὅτι τετράς, καὶ προσάββατον νηστεία ἐστὶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ὡρισμένη; Εἰ δὲ καὶ χρὴ τὸ τῆς διατάξεως τῶν Ἀποστόλων λέγειν, πῶς ἐκεῖ ὁρίζοντο τετράδα καὶ προσάββατον νηστείαν διὰ παντὸς χωρὶς πεντηκοστῆς. *Quis eſt uſpiam terrarum qui non in eo conſentiat, quartam ſextamque feriam ſolenni in Eccleſiâ jejunio conſecratam? Quod ſi ex Apoſtolorum conſtitutione petenda nobis ſit authoritas, cur ibi quartæ ſextæque feriæ jejunium perpetuâ lege ſancitur, exceptâ Pentecoſte?* Epiph.hær.75.n.6. Hæc ſane ſunt verba viri minime dubitantis, quin hæ duæ feriæ ſemper & ubique ab Eccleſiâ Chriſtianâ jejunio dicatæ fuerint, idque ex aliquâ Apoſtolorum conſtitutione. Et quidem inter Conſtitutiones Apoſtolorum vulgo dictas, quas Epiphanius aliquoties laudat, & hoc ipſo in loco reſpicit, unam de hâc re habemus, his verbis conceptam. Αἱ δὲ νηστεῖαι ὑμῶν μὴ ἔστωσαν μετὰ τῶν ὑποκριτῶν· νηστεύουσι γὰρ δευτέρᾳ σαββάτων, καὶ πέμπτῃ. ὑμεῖς δὲ ἢ τὰς πέντε νηστεύσατε ἡμέρας, ἢ τετράδα καὶ παρασκευήν, ὅτι τῇ μὲν τετράδι κρίσις ἐξῆλθεν ἡ κατὰ τοῦ κυρίου, Ἰούδα χρήμασιν ἐπαγγειλαμένου τὴν προδοσίαν. τὴν δὲ παρασκευήν, ὅτι ἔπαθεν ὁ κύριος ἐν αὐτῇ πάθος τὸ διὰ σταυροῦ ὑπὸ Ποντίου Πιλάτου. *Jejunia vero veſtra ne ſint cum hypocritis. Illi enim ſecundâ & quintâ ſabbatorum jejunant. Vos vero aut quinque diebus jejunate, aut quartâ feriâ & paraſceve. Quoniam quartâ quidem judicium contra Dominum prodiit, cum Judas pecuniâ proditionem eſſet pollicitus. Paraſceve autem, quia eo die Dominus mortem Crucis paſſus eſt ſub Pontio Pilato.* Conſtit. Apoſt. lib. 7. cap. 23. Et alibi τετράδα δὲ καὶ, παρασκευὴν προσέταξεν ἡμῖν νηστεύειν, τὴν μὲν διὰ τὴν προδοσίαν, τὴν δὲ διὰ τὸ πάθος. *In quartâ vero feriâ & paraſceve, juſſit* Dominus *nos jejunare.*

re. *In illâ quidem propter proditionem, in hâc vero propter paſſionem.* Ibid. lib. 5. cap. 15. Unde liquet, eum, quicunque demum fuerit qui has conſtitutiones collegit, idem atque Epiphanium de quartæ, ſextæque feriæ jejuniis cenſuiſſe, quod ab ipſis ſcilicet Apoſtolis tradita fuerant. Has autem Conſtitutiones longe ante Epiphanium extitiſſe, ex eo ſatis patet, quod ab ipſo ſub Apoſtolorum nomine laudentur. Quin imo hanc ipſam de hiſce jejuniis Conſtitutionem citat, tanquam ab Apoſtolis traditam. E quibus intelligi datur, quartæ & paraſceves jejunium non modo Epiphanii memoriâ antiquius, verum adeo etiam antiquum fuiſſe, ut longe ante eum ipſis Domini Apoſtolis adſcriptum eſſet.

III. Præter eos quos hactenus citavimus, alium ejuſdem ſeculi, eumque graviſſimum hâc in cauſâ teſtem advocare licet, Divum ſcilicet Auguſtinum, qui & ipſa de quibus agimus jejunia ab Eccleſiâ obſervata aſſerit, & utriuſque etiam rationem fuſe explicat his verbis. *Cur autem quartâ & ſextâ maximè jejunet Eccleſia, illa ratio reddi videtur, quod conſiderato Evangelio, ipſâ quartâ ſabbati, quam vulgo quartam feriam vocant, conſilium reperiuntur ad occidendum Dominum feciſſe Judæi. Intermiſſo autem uno die, cujus veſperâ Dominus Paſcha cum diſcipulis manducavit, qui finis fuit ejus diei quem vocamus quintam ſabbati, deinde traditus eſt eâ nocte, quæ jam ad ſextam ſabbati, qui dies paſſionis ejus manifeſtus eſt, pertinebat——Hoc ergo die intermiſſo, paſſus eſt Dominus (quod nullus ambigit) ſextâ ſabbati: Quapropter & ipſa ſexta rectè jejunio deputatur.* Auguſt. Epiſt. 86. ad Caſulan. Quibus verbis nihil diſertius eſſe poteſt, nihil fortius ad evincendum quemlibet ritum quarto labente æræ Chriſtianæ ſeculo ab Eccleſiâ obſervatum fuiſſe. Quinetiam eodem ineunte ſeculo Petrus Alexandrinus ſuum huic jejunio teſtimonium tribuit, & ejuſdem pariter ac dominicæ celebrandæ rationem reddidit, his verbis, οὐκ ἐγκαλέσει τις ἡμῖν παρατηρουμένοις τετράδα καὶ παρασκευὴν, ἐν αἷς καὶ νηστεύειν ἡμῖν κατὰ παράδοσιν εὐλόγως προστέτακται· τὴν μὲν γὰρ τετράδα διὰ τὸ γενόμενον συμβούλιον ὑπὸ τῶν Ἰουδαίων ἐπὶ τῇ προδοσίᾳ τοῦ κυρίου· τὴν δὲ παρασκευὴν, ὅτι αὐτὸς ὑπὲρ ἡμῶν ἔπαθε. Κυριακὴν δὲ χαρμοσύνης ἡμέραν ἄγομεν, διὰ τὸν ἀναστάντα ἐν αὐτῇ, ἐν ᾗ οὐδὲ γόνατα κλίνειν παρειλήφαμεν. *Non reprehendet nos quiſpiam quartam & paraſceven obſervantes, in quibus nobis jejunare ſecundum traditionem cum ratione præceptum eſt. Quartam quidem propter initum à Judæis conſilium de proditione Domini: Paraſceven autem, quod ipſe pro nobis paſſus eſt. Dominicam autem lætitiæ diem agimus, quod in ea reſurrexerit. In quo nec genua quidem flectere recepimus.* Petr. Alex. Can. XV. Quæ quidem doctiſſimi Patris verba manifeſtum faciunt tres in ſingulis ſeptimanis ferias, unam, nempe Dominicam, feſtivitate, duas vero, quartam

ſcilicet

ſcilicet ſextamque, jejuniis, à Primitivâ Eccleſiâ celebratas fuiſſe, ob rationes hic alibique allatas. Et obſervandum præterea eſt, etiam Petrum Alexandrinum hebdomadica iſta jejunia ad traditionem referre, κατὰ παράδοσιν, inquit, εὐλόγως παρατέτακται. Et quarto igitur ineunte ſeculo origo, & prima horum jejuniorum inſtitutio viros etiam doctiſſimos latebat, uſque adeo ut non niſi ad traditionem Apoſtolicam ea referre potuerint. Quod nunquam feciſſent, niſi ea multis ante annis, imo quidem ante omnium tunc viventium memoriam publico Eccleſiæ uſu recepta fuiſſe ac obſervata, pro certiſſimo habuiſſent.

IV. Quin quarto ſaltem æræ Dionyſianæ ſeculo, quarta ſextaque hebdomadis cujuſque feriæ jejunio dicatæ fuerint, nemo luculentiſſima illa quæ hucuſque adduximus teſtimonia ſine præjudicio legens dubitare poteſt. Sed dicat forſitan non nemo, hæc neminem cogunt fateri duas iſtas ferias ante quartum illud ſeculum iſthoc modo celebratas fuiſſe. Fieri enim poteſt, ut hic ritus ipſo iſtius ſeculi initio inductus eſſet, vel ſaltem pauciſſimis ante annis. Et fateor equidem difficile admodum eſſe fidem in hujuſmodi rebus à quopiam extorquere, qui ſe totum iis interponit, nihilque credet niſi quod totidem verbis aſſertum eſt. Ac proinde bene eſt, quod ſatis idonei & omni exceptione majores hujus rei teſtes præſtò ſint, qui non modo tertio verumetiam iſto vixdum incœpto, atque ideo proximo poſt Apoſtolos ſeculo claruerunt. Alioquin verendum eſſet, ne ipſe quoque annus quarti ineuntis ſeculi determinaretur, forte etiam & ipſe dies, quo hæc jejunia primo conficta erant. Ut omnis autem cavillandi occaſio præcidatur, Origenes ſuum de his jejuniis teſtimonium perhibuit, dicens, *Habemus enim Quadrageſimæ dies jejuniis conſecratos. Habemus quartam & ſextam ſeptimanæ dies, quibus ſolenniter jejunamus.* Orig. in Levit. hom. 10. Quin ipſum quoque Clementem Alexandrinum, qui ſecundo pariter atque tertio ſeculo vixit, ad partes noſtras vocare licet. Hic enim de vero Gnoſtico à ſe deſcripto, hæc diſerte dicit, Οἶδεν αὐτὸς καὶ τῆς νηστείας τὰ αἰνίγματα, τῶν ἡμερῶν τούτων, τῆς τετράδος καὶ τῆς παρασκευῆς λέγω. Ἐπιφημίζονται γὰρ ἡ μὲν Ἑρμοῦ, ἡ δὲ Ἀφροδίτης. Αὐτίκα νηστεύει κατὰ τὸν βίον φιλαργυρίας τε ὁμοῦ καὶ φιληδονίας. *Novit ipſe jejunij quoque ænigmata horum dierum, quarti inquam & ſexti. Dicitur autem ille quidem Mercurij, hic Veneris. Jejunat itaque per vitam ab avaritiâ & libidine.* Clem. Alex. Strom. lib. 7. pag. 744. Quid his verbis clarius, quid cauſæ noſtræ accommodatius eſſe poteſt? Clemens hoc in loco verum deſcribit Gnoſticum, hoc eſt, hominem verè ſanctum, perfectum Chriſtianum: eumque dicit intelligere jejunij quartæ ſextæque feriæ ænigmata, quod ſcilicet illa ſit dies Mercurij, hæc Veneris, atque ideo non tantum à cibis jejunat, verumetiam ab avaritiâ & libidine, Mercurij nimirum Veneriſque vitiis. Quantum autem ad

rem noſtram ſpectat, quartæ & paraſceves, ſive dierum Mercurij Veneriſque jejunium diſertiſſimè, ſi quis unquam, commemorat. Adeo ut duas has ferias iſtis diebus ſolenni jejunio conſecratas fuiſſe, omnes vel inviti fateantur neceſſe ſit.

V. Idem porro ex Tertulliano etiam Clementis æquali certiſſimè evincatur: dicente ſcilicet, *Quod ſi nova conditio, & in Chriſto ſepulti perſeverant, jam nova & ſolennia eſſe debebunt, aut ſi omnem in totum devotionem temporum & dierum, & menſium & annorum eraſit Apoſtolus, cur Paſcha celebramus in annuo circulo, in menſe primo? cur quinquaginta exinde diebus in omni exultatione decurrimus? cur ſtationibus quartam & ſextam Sabbati dicamus, & jejuniis paraſceven?* Tertull. de jejun. cap. 14. Ut Paſcha igitur & Pentecoſten, ſic & quartam ſextamque hebdomadis cujuſque feriam celebrabant iſtis diebus Chriſtiani, Catholici nimirum, quos hic intelligendos eſſe inter omnes convenit. In controverſiam autem venit, quid per *Stationes*, quibus quartam ſextamque dicatas aſſerit, hoc in loco intelligat Tertullianus? Ex eo enim quod mox addit *& jejuniis paraſceven*, ſtationes à jejuniis diſtinguere videtur. Nos noſtram, vel Tertulliani potius hâc in re ſententiam paucis expediemus.

VI. Primo itaque negari non poteſt, hoc aliiſque nonnullis Tertulliani locis, aliquid diſcriminis *ſtationes* inter & *jejunia* poni, ut ubi ait, *Arguunt nos quod jejunia propria cuſtodiamus, quod ſtationes plerunque in veſperam producamus.* Tertull. de jejun. cap. 1. Et poſtea, *Propterea per ſingulas direximus ſpecies jejunationum, xerophagiarum, ſtationum.* Ibid. cap. 7. Et alibi, *ut ſi ſtatio facienda ſit, maritus de die condicat ad balneas: ſi jejunia obſervanda ſint, maritus eâdem die convivium exerceat.* Id. ad uxor. lib. 2. cap. 4. Et iterum, *Tunc fides in expeditione ſolicitior & diſciplinatior in jejuniis & ſtationibus, & orationibus, & humilitate.* Id. de fugâ in perſecut. cap. 1. In his inquam, aliiſque forſitan nonnullis locis Tertullianus *ſtationes* & *jejunia* aliquantulum diſtinguit. Alibi tamen nihilominus *jejunia ſtationum* nomine appellat, ac ſi *ſtatio* idem eſſet aque *jejunium*, ut ubi ait, *Jam & ſtationes aut alij magis faciet quam Chriſto? aut in dominico die quando nec Chriſto?* Id. de coronâ milit. cap. 11. quoniam ſcilicet, ut ibidem cap. 3. ait, *die dominico jejunium nefas ducimus.* Et alibi de jejuniis verba habens, *Quia & Daniel,* inquit, *rurſus trium hebdomadum ſtatione aruit victum.* Id. de animâ cap. 49. Multo autem manifeſtius libro de jejuniis, ubi plurima ex Veteri Teſtamento de jejuniis exempla profert, ut ſtationes ad veſperam uſque producendas eſſe probet. Inter alia de jejunio à Saule indicto loquens ait, *Tantam autem Deus præſtitit autoritatem edicto ſtationis illius, ut Jonathan filius Saulis, quanquam ignarus jejunationis*

in

in ſerum definitæ, guſtum mellis admiſerat, & ſorte mox de delicto ſit traductus & vix per precem populi periculo ſit exemptus. Id. de jejun. cap. 10. ubi *ſtatio* aliud quam *jejunium* ſignificare nequit. Eâdem notione uſitatum eſt hoc vocabulum & ante & poſt Tertullianum; ante quidem in Hermæ Paſtore, *Quid eſt inquit ſtatio? & dixi jejunium.* Herm. paſt. lib. 3. ſimil. 5. Et poſt in Sermonibus D. Ambroſio attributis, *Caſtra enim nobis ſunt noſtra jejunia, quæ nos à diabolica oppugnatione defendunt. Denique ſtationes vocantur, quod ſtantes ac commorantes in iis inimicos inſidiantes repellimus.* Ambroſ. Serm. 25.

VII. Qui hæc legit, & diligenter inter ſeſe confert, dubitare nequit, quin in Eccleſiæ Primitivæ atque ipſius etiam Tertulliani notitiâ *ſtatio jejunium* eſſet, ita tamen ut ab aliis Eccleſiæ jejuniis aliquo modo diſcreparet. Nimirum duplex jejunium ab Eccleſiâ primitivâ obſervatum fuit. Unum longius, uſque ad veſperam productum; alterum brevius, ut horâ nonâ ab exortu ſolis, hoc eſt tertiâ pomeridianâ ſolutum. Hoc poſterius *ſtationis* etiam nomine indigitatum fuit, eo quod per totum iſtud tempus ab exortu ſcilicet ſolis uſque ad horam nonam, in ſacris obeundis perſiſtere, ſeque jejunos exercere conſueti eſſent. Quale fere exercitium Judæi etiam מעמד *ſtationem* appellarunt. Ac propterea vox iſta è ſynagogâ Judaicâ in Eccleſiam Chriſtianam tranſlata videtur. Hoc vero jejunij genus apud primitivos Chriſtianos quartæ ſextæque feriæ peculiare fuit. Quadrageſimale enim aliaque, Eccleſiaſticâ autoritate indicta, jejunia uſque ad veſperam producta ſunt. Hæc autem quartæ ſextæque per ſingulas ſeptimanas redeuntia jejunia, horâ nonâ ſolvere ſolenne fuit. Epiphanius, τετράδι δὲ καὶ ἐν προσαββάτῳ ἐν νηστείᾳ ἕως ὥρας ἐνάτης, *Quartâ autem ſextâque feriâ jejunium uſque ad horam nonam celebratum.* Et paulo poſt, καὶ δι' ὅλου μὲν τοῦ ἔτους ἡ νηστεία φυλάττεται ἐν τῇ αὐτῇ ἁγίᾳ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ, φημὶ δὲ τετράδι καὶ προσαββάτῳ ἕως ὥρας ἐνάτης, δίχα μόνης τῆς πεντηκοστῆς ὅλης τῶν πεντήκοντα ἡμερῶν. *Porro iſtiuſmodi jejunium per totum annum in ſanctâ Catholicâ Eccleſiâ diligenter obſervatur, quartâ, dico, ſextâque feriâ uſque ad horam nonam, exceptis quinquaginta Pentecoſtes diebus.* Epiph. expoſ. fid. Et ne plura in re adeo luculentâ congeram teſtimonia, idem ex ipſo Tertulliano conſtat dicente, *Æque ſtationes noſtras, ut indignas, quaſdam vero & in ſerum conſtitutas, novitatis nomine incuſant. Hoc quoque munus & ex arbitrio obeundum eſſe dicentes, & non ultra nonam detinendum, de ſuo* (Catholicorum) *ſcilicet more.* Et paulo poſt, *Non quaſi reſpuamus nonam, cui & quartâ ſabbati & ſextâ plurimùm fungimur.* Et mox rationem reddit quare ad iſtam horam

dictis feriis jejunatum eſt, *Itaque in eam*, inquit, *uſque horam celebranda preſſura eſt, in quâ à ſextâ contenebratus orbis, defuncto Domino, lugubre fecit officium, ut tunc & nos revertamur ad jocunditatem, cum & mundus recepit claritatem.* Tertull. de jejun. cap. 10. Hinc itaque ratio conſtat, quare Tertullianus *ſtationes* & *jejunia* alias diſtinguat, alias autem eadem faciat. Eadem nimirum facit, quoniam in utriſque jejunatum eſt. Diſtinguit autem quod alia jejunia non niſi veſpere, *ſtationes* vero horâ nonâ ſolverentur. Unde & *ſtationum ſemijejunia* ab eodem appellentur, ibid. cap. 3. Hinc etiam conſtat, quare idem in verbis primo citatis dicat, *Quartam ſextamque ſabbati ſtationibus dicatam eſſe, paraſceven autem jejuniis.* Eo ſcilicet quod quartâ ſextâque feriâ ad horam duntaxat nonam, Paraſceve autem, hoc eſt, Tertulliani notione, ſextâ feſtum paſchale antecedente, uſque ad veſperam jejunatum eſt. Hinc denique conſtat Eccleſiam primitivam quartâ ſextâque hebdomadis cujuſque feriâ per totum annum, exceptâ Pentecoſte, religioſe jejunâſſe, ſi vel Origeni, vel Clementi Alexandrino, vel Tertulliano ulla habeatur fides, hoc eſt, ſi quid in omni antiquitate Eccleſiaſticâ pro certo habeatur.

VIII. Quid contra hæc graviſſima veterum teſtimonia excipi poteſt, ipſe quidem non video. Nec vidit quicquam Cl. vir Joh. Dallæus, utpote qui contra Clementis Alexandrini teſtimonium nihil omnino objecit, nihil etiam contra ea quæ ex Tertulliano adduximus, niſi quod dicat proprium & præcipuum ſtationum ac conventuum finem fuiſſe orationem, atque deprecationem. *Quod vero*, inquit, *in iis jejuni ad nonam perſtabant, id non per ſe (quaſi in eum proprie finem conveniretur ut jejunaretur) ſed per accidens, ut loquuntur, ac præter rei ipſius naturam fiebat. Nimirum cum iſti conventus quartâ ſextâque feriâ celebrati, ante nonam non ſolverentur, & plerique imo omnes qui convenerant, non ante diſcederent, quam ſumptâ Eucharistiâ, eo accidebat, ut jejuni ad nonam perſtarent, quod ſcilicet, niſi à jejunis Euchariſtia ſumi non ſoleret.* Dall. de jejun. & quadrag. lib. 4. cap. 5. Verumenimvero quicquid fere ab erudito viro hic opponitur, nos ei ultro largimur; quippe qui perſuaſiſſimum habemus neminem unquam jejunâſſe, eo tantum fine, ut jejunaret, nec ullos unquam Eccleſiaſticos celebratos fuiſſe conventus, in eum proprie finem ut jejunaretur. Quinetiam Primitivi, fateor, Chriſtiani quartis ſextiſque feriis ad nonam uſque perſtiterunt jejuni, non eo nomine ut jejunarent, ſed ut publicis precibus, ſacriſque lectionibus attentiùs vacarent, ut impetuoſum carnis appetitum, & concupiſcentiam fortius compeſcerent, ut omnibus pietatis officiis accuratiùs fungerentur, ut paratiores denique digniores que redderentur, qui nonâ circiter

horâ

horâ ſtationem ſuam ſacroſanctæ Euchariſtiæ participatione ſolverent. Et quidem ſi hujuſmodi jejunium *per accidens* celebratum dicatur, nullum unquam *per ſe* religioſe celebratum fuit. Quicquid igitur hic opponitur nos haudquaquam ferit, ſed ipſum potius opponentem. Cùm fateatur enim Primitivos Chriſtianos quartâ ſextâque per ſingulas ſeptimanas feriâ publicos ſuos conventus uſque ad horam nonam celebrâſſe, & eò uſque etiam jejunos perſtitiſſe, eò ſanè cauſâ ſuâ cadit, & in noſtras partes deſcendit. Dat enim quicquid nos poſtulamus, vel etiam in hâc controverſiâ poſtulare poſſumus. Neque enim de jejunandi fine, ſed de ipſo jejunio diſputamus. Quod ſi duabus illis feriis Tertulliani ætate jejunatum fuerit, ut ille fatetur, nemo dubitare poteſt, quin jejunia in illis celebrata fuerint, ſive quod idem eſt, quin habeamus, quicquid in hâc cauſâ volumus. Nec moramur alteram illam rationem quâ probare nititur vir eruditus, ſtationem jejunio minimè eo ævo deputatam fuiſſe, *quod illius* ſcilicet *ævi Chriſtiani jejunium non dicerent niſi quod ad veſperam continuabatur, cùm ſtationes nonâ, tribus ante veſperam horis, ſolverentur.* Itane vero? Unde quæſo intelligamus quid iſtius ævi Chriſtiani jejunium dicerent certiùs, quam ex Tertulliano & Clemente Alexandrino, qui iſto ævo unà ambo claruerunt? At ipſe Tertullianus ſtationes jejunia ſæpe vocavit, ut ante demonſtratum eſt. Imo quidem per totum ipſius librum, *de jejuniis adverſus Pſychicos* inſcriptum, de ſtationibus agitur. Et in eodem diſerte ait, *Poſſum æque ſeræ ſtationis ex eodem rei ordine ſtatum figere, ut jejunemus ad ſerum.* cap. 10. Et paulo poſt, *Hæc erit ſtatio ſera, quæ ad veſperam jejunans pinguiorem orationem Deo immolat.* Ibid. Hæccine verba hominis ſtationes & jejunia ubique diſtinguentis? vel in ſtationibus ſaltem celebrandis jejunatum eſſe denegantis? Quid etiam ſi *ſtationes* poſtea *ſemijejunia* appellet? ideoque *nulla* prorſus *jejunia* erant? *ſemijejunia* quidem vocat, ut à majoribus ea diſtingueret jejuniis, quæ ad veſperam uſque continuabantur. Minimè tamen exinde ſequitur, quin & ipſa jejunia, licet breviora, eſſent. Imo quidem *jejunia* proprie dicta, quandoquidem Prandium iſtis diebus non caperetur, neque ante horam nonam, ſive tertiam pomeridianam ſolveretur jejunium. Unde etiam quas Tertullianus *ſtationibus*, eaſdem Clemens Alexandrinus ferias τῇ νηστείᾳ *jejunio* deputatas, loco ſupra laudato, aſſerit. Sed nihil eſt quod hiſce diutius immoremur. Cum enim extra dubium ſit, & inter omnes conveniat, quartâ ſextâque feriis Tertulliani ætate uſque ad nonam ab exortu ſolis horam jejunatum fuiſſe, ſive *ſtationes*, ſive *ſemijejunia*, ſive quocunque demum nomine iſtiuſmodi jejunia vocitentur, eodem res redit. Neque Dallæo vel cuilibet alii litem de nomine unquam movebimus, modo cum primitivâ

tivâ noſtrâque Eccleſiâ, quartâ ſextâque feriis, uſque ad nonam jejunandum eſſe conſenſerit. Hoc enim totum eſt, de quo nos contendimus.

IX. Quartam itaque ſextamque, per ſingulas ſeptimanas, ferias initio tertij, imo ante finem ſecundi ſeculi, hoc eſt centum ab ultimo Apoſtolorum annis nondum elapſis, jejunio dicatas fuiſſe ex Clemente Alexandrino & Tertulliano, qui iſtis diebus ſcripſerunt, ſatis abunde conſtat. Hi vero de hebdomadicis hiſce, ut ita loquar, jejuniis, non ut ſuâ ætate, nec ut paulo ante in Eccleſiam introductis, ſed ut cuique notis, ut ubique & ab univerſâ Eccleſiâ Catholicâ celebratis meminerunt. Quocirca nemini dubium eſſe poteſt, quin multis ante eorum ætatem annis, publico Eccleſiæ uſu recepta fuiſſent, atque obſervata. Adeo ut ſi quis alius, hic ſane ritus Eccleſiaſticus Apoſtolicam ſibi traditionem merito vendicare poſſit. Præſertim cum multo etiam ante Tertulliani ætatem haud obſcura ejuſdem veſtigia extent: In Hermæ ſcilicet Paſtore, ab ipſo Tertulliano, necnon à Clemente Alexandrino aliquoties laudato; tanquam antiquo Eccleſiæ commentario: atque etiam ante eos ab Irenæo, & quidem ſub nomine *ſcripturæ*, ut obſervat Euſebius Hiſt. Eccl. lib. 5. cap. 8. quique ab Hermâ, quem D. Paulus in fine Epiſtolæ ad Romanos ſalutari jubet, conſcriptus perhibetur. In hoc autem antiquiſſimo ſane monumento hæc legimus, *Cùm jejunarem, & ſederem in monte quodam & gratias agerem Deo pro omnibus quæ fecerat mecum, video Paſtorem illum ſedentem juxta me, ac dicentem mihi, Quid tam mane huc veniſti? Reſpondi, quoniam, Domine, ſtationem habeo. Quid eſt, inquit, ſtatio? Et dixi, Jejunium. Et dixit, Quid eſt illud jejunium? Sicut ſolebam, inquam, ſic jejuno.* Herm. Paſt. lib. 3. ſimil. 5. Et paucis deinde de recto jejunandi modo interjectis, Paſtor ille qui Hermæ apparebat, dicebat ei, *Igitur ſi cuſtodieris mandata Domini, & adjeceris etiam ad ea ſtationes has, gaudebis, maxime ſi ſecundum mandatum meum ſervaveris ea.* Et paulo poſt, *Si igitur ſic conſummaveris jejunium tuum, quemadmodum præcipio tibi, erit hoſtia tua accepta Domino, & ſcribetur hoc jejunium tuum. Hæc ſtatio ſic acta, eſt bona, hilaris, & accepta à Domino.* Ibid. Ex hiſce verbis obſervare licet, *ſtationem* ab Hermâ celebratam, eamque *ſtationem jejunium* dictam. At vero nullum unquam jejunium à Chriſtianis *ſtationem* appellatum legimus, præter ea, quæ quartâ ſæxtâque feriâ obſervata ſunt. Ac proinde veri pluſquam ſimillimum eſt, Hermam tunc temporis unam ex iſtis feriis jejunaſſe, *ſicut ſolebat*, ut ipſe dicit. Ad quam quidem opinionem eo magis propendo, quod jejunium illud ſummo mane ab eo inceptum eſſet, quo ſcilicet tempore quartæ ſextæque feriæ jejunia incipere ſolebant. Atque ex eo denique

que quod proximo poſt ſeculo, iſtiuſmodi ſola jejunia *ſtationes* à Tertulliano, qui Hermæ Paſtorem legerat, appellata ſunt. A fide autem alienum eſt, ut Tertullianus *ſtationis vocabulum* aliâ notione uſurparet, quam quâ à majoribus ſuis uſitatum fuiſſe viderat. Quod ſi ipſe Hermas hæc jejunia obſervârit, haud dubitare fas eſt, quin ab ipſis Apoſtolis, quibuſcum ille verſatus eſt, tradita atque inſtituta fuerint. Satis ſaltem ſuperque ex iis quæ de hiſce jejuniis hucuſque diſſeruimus, liquet, ea longe ante tempus Apoſtolicorum Canonum editioni à nobis aſſignatum, à Chriſtianis Catholicis obſervata fuiſſe. Ac proinde haud mirum eſſe, quod in iſtis Canonibus commemorentur, quodque in iis ſub pœnâ ſanciatur, ut Clerici ſaltem qui in omnibus religionis officiis exemplum aliis præbere debent, ea religioſe obſervent.

Finis Libri Tertij.

C. O.

CODEX CANONUM

ECCLESIÆ PRIMITIVÆ,

QUI VULGO

Canones SS. Apoſtolorum

APPELLANTUR.

Unà cum Libro & Capite, quibus in hoc Tractatu vindicantur aut illuſtrantur, ſubindicatis.

Κανὼν α΄.

Ἐπίσκοπος χειροτονείσθω ὑπὸ ἐπισκόπων δύο ἢ τριῶν.

Canon I.

EPiſcopus à duobus vel tribus Epiſcopis ordinetur. *Lib.* 2. *cap.* 2.

β'.

Πρεσβύτερος ὑπὸ ἑνὸς Ἐπισκόπου χειροτονείσθω, καὶ Διάκονος, καὶ οἱ λοιποὶ Κληρικοί.

II.

Presbyter ab uno Epiſcopo ordinetur, & Diaconus, & reliqui Clerici. *Lib.* 2. *c.* 2, 10, 11.

γ'.

Εἴ τις Ἐπίσκοπος, ἢ Πρεσβύτερος, παρὰ τὴν τοῦ Κυρίου διάταξιν τὴν ἐπὶ τῇ θυσίᾳ, προσενέγκῃ ἕτερά τινα ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον, ἢ μέλι, ἢ γάλα, ἢ ἀντὶ οἴνου σίκερα ἐπιτηδευτὰ, ἢ ὄρνεις, ἢ ζῶά τινα, ἢ ὄσπρια, παρὰ τὴν διάταξιν, καθαιρείσθω· πλὴν νέων χίδρων, ἢ σταφυλῆς τῷ καιρῷ τῷ δέοντι. μὴ ἐξὸν δὲ ἔστω προσάγεσθαί τι ἕτερον εἰς τὸ θυσιαστήριον ἢ ἔλαιον εἰς τὴν λυχνίαν, καὶ θυμίαμα, τῷ καιρῷ τῆς ἁγίας προσφορᾶς.

III.

Si quis Epiſcopus, vel Preſbyter, præter Domini de Sacrificio ordinationem, alia quædam ad altare attulerit, vel mel, vel lac, vel pro vino ſiceram factitiam, vel aves, vel aliqua animalia, vel legumina, præter ordinationem, deponatur: præterquam novas ſpicas vel uvam tempore opportuno. Ne liceat autem aliquid aliud ad altare offerre, quàm oleum ad luminare & incenſum tempore ſanctæ oblationis. *Lib.* 2. *c.* 2, 10.

δ'.

Ἡ ἄλλη πᾶσα ὀπώρα εἰς οἶκον ἀποστελλέσθω, ἀπαρχὴ τῷ Ἐπισκόπῳ καὶ τοῖς πρεσβυτέροις, ἀλλὰ μὴ πρὸς τὸ θυσιαστήριον. Δῆλον δὲ, ὡς ὁ Ἐπίσκοπος καὶ οἱ

IV.

Omnis alius fructus domum mittatur, primitiæ Epiſcopo & Presbyteris, ſed non ſuper altare. Clarum vero eſt, quòd Epiſcopus & Presbyteri Dia-

Πρεσ-

Πρεσβύτεροι διαμερίζουσι τοῖς διακόνοις, καὶ τοῖς λοιποῖς κληρικοῖς.

conis, & reliquis Clericis diſtribuunt. *Lib.*2. *c.*2.10.

ε'.

Ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος, ἢ Διάκονος τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα μὴ ἐκβαλλέτω προφάσει εὐλαβείας· ἐὰν δὲ ἐκβάλλῃ, ἀφοριζέσθω· ἐπιμένων δὲ καθαιρείσθω.

V.

Epiſcopus vel Presbyter, vel Diaconus uxorem ſuam ne ejiciat religionis prætextu: Sin autem ejecerit, ſegregetur: Et ſi perſeveret, deponatur.

ς'.

Ἐπίσκοπος ἢ Πρεσβύτερος ἢ Διάκονος κοσμικὰς φροντίδας μὴ ἀναλαμβανέτω· εἰ δὲ μή, καθαιρείσθω.

VI.

Epiſcopus vel Presbyter, vel Diaconus, ſeculares curas non ſuſcipiat. Alioqui deponatur.

ζ'.

Εἴ τις Ἐπίσκοπος ἢ Πρεσβύτερος ἢ Διάκονος, τὴν ἁγίαν τοῦ πάσχα ἡμέραν πρὸ τῆς ἐαρινῆς ἰσημερίας μετὰ Ἰουδαίων ἐπιτελέσει, καθαιρείσθω.

VII.

Si quis Epiſcopus vel Preſbyter vel Diaconus, ſanctum Paſchæ diem ante vernum Æquinoctium cum Judæis celebraverit, deponatur. *Lib.*2.*c.*3.

η'.

Εἴ τις Ἐπίσκοπος ἢ Πρεσβύτερος ἢ Διάκονος, ἢ ἐκ τοῦ

VIII.

Si quis Epiſcopus vel Preſbyter vel Diaconus, vel ex

καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ προσφορᾶς γενομένης μὴ μεταλάβοι, τὴν αἰτίαν εἰπάτω, καὶ ἐὰν ᾖ εὔλογος, συγγνώμης τυγχανέτω· εἰ δὲ μὴ λέγοι, ἀφοριζέσθω, ὡς αἴτιος βλάβης γενόμενος τῷ λαῷ, καὶ ὑπόνοιαν ἐμποιήσας κατὰ τοῦ προσενέγκαντος, ὡς μὴ ὑγιῶς ἀνενέγκαντος.

Sacerdotali caralogo factâ oblatione non communicaverit, cauſam dicat: & ſi probabilis fuerit, veniam conſequatur. Si autem non dicat, ſegregetur, ut qui populo offenſionis cauſa ſit, & ſuſpicionem dederit, adverſus eum qui obtulit, tanquam non rectè obtulerit. *Lib.* 2. *c.* 3, 10.

θ'.

Πάντας τοὺς εἰσιόντας πιστοὺς καὶ τῶν γραφῶν ἀκούοντας, μὴ παραμένοντας δὲ τῇ προσευχῇ καὶ τῇ ἁγίᾳ μεταλήψει, ὡς ἀταξίαν ἐμποιοῦντας τῇ ἐκκλησίᾳ, ἀφορίζεσθαι χρή.

IX.

Omnes fideles qui ingrediuntur, & ſcripturas audiunt, in precatione autem & ſacrâ communione non parmanent, ut Eccleſiæ confuſionem afferentes, ſegregari oportet. *Lib.* 2. *c.* 3.

ί.

Εἴ τις ἀκοινωνήτῳ κἂν ἐν οἴκῳ συνεύξηται, οὗτος ἀφοριζέσθω.

X.

Si quis cum excommunicato vel in domo unà precatus fuerit, is ſegregetur.

ιά.

Εἴ τις καθῃρημένῳ κληρικὸς ὢν κληρικῷ συνεύξηται, καθαιρείσθω καὶ αὐτός.

IX.

Si quis, cùm ſit Clericus, unà cùm depoſito Clerico oraverit, deponatur & ipſe.

ιβ΄.

Εἴ τις Κληρικὸς, ἢ Λαϊκὸς ἀφωρισμένος, ἤτοι ἄδεκτος, ἀπελθὼν ἐν ἑτέρᾳ πόλει δεχθῇ ἄνευ γραμμάτων συστατικῶν, ἀφοριζέσθω καὶ ὁ δεξάμενος, καὶ ὁ δεχθείς.

XII.

Si quis Clericus vel Laicus ſegregatus, ſive non recipiendus, diſcedens in aliâ urbe receptus fuerit, abſque literis commendatitiis, ſegregetur & qui recepit, & qui receptus eſt.

ιγ΄.

Εἰ δὲ ἀφωρισμένος εἴη, ἐπιτεινέσθω αὐτῷ ὁ ἀφορισμός.

XIII.

Si vero excommunicatus fuerit, aggravetur ei excommunicatio.

ιδ΄.

Ἐπίσκοπον μὴ ἐξεῖναι καταλείψαντα τὴν ἑαυτοῦ παροικίαν, ἑτέρᾳ ἐπιπηδᾷν, κἂν ὑπὸ πλειόνων ἀναγκάζηται· εἰ μή τις εὔλογος αἰτία ᾖ τοῦτο βιαζομένη αὐτὸν ποιεῖν, ὡς πλέον τι κέρδος δυναμένου αὐτοῦ τοῖς ἐκεῖσε λόγῳ εὐσεβείας συμβάλλεσθαι· καὶ τοῦτο δὲ οὐκ ἀφ' ἑαυτοῦ, ἀλλὰ κρίσει πολλῶν ἐπισκόπων, καὶ παρακλήσει μεγίστῃ.

XIV.

Epiſcopo non liceat ſuâ relictâ parochiâ ad aliam tranſilire, etiamſi à pluribus cogatur; niſi ſit aliqua cauſa rationi conſentanea, quæ eum cogat hoc facere, utpote cùm poſſit ipſe majus lucrum iis qui illic habitant pietatis verbo conferre; idque non ex ſe, ſed multorum Epiſcoporum judicio & maximâ exhortatione.

ιε. Ἐι

ιέ.

Εἴ τις Πρεσβύτερος ἢ Διάκονος, ἢ ὅλως τοῦ καταλόγου τῶν κληρικῶν ἀπολείψας τὴν ἑαυτοῦ παροικίαν, εἰς ἑτέραν ἀπέλθῃ, καὶ παντελῶς μεταστὰς διατρίβῃ ἐν ἄλλῃ παροικίᾳ παρὰ γνώμην τοῦ ἰδίου Ἐπισκόπου· τοῦτον κελεύομεν μηκέτι λειτουργεῖν· εἰ μάλιστα προσκαλουμένου αὐτὸν τοῦ Ἐπισκόπου αὐτοῦ ἐπανελθεῖν, οὐκ ὑπήκουσεν, ἐπιμένων τῇ ἀταξίᾳ· ὡς Λαϊκὸς μέντοι ἐκεῖσε κοινωνείτω.

XV.

Si quis Presbyter vel Diaconus, vel omnino ex Clericorum catalogo, relictâ ſuâ parochiâ ad aliam diſceſſerit, & cum penitus tranſierit, præter ſui Epiſcopi ſententiam in aliâ porochiâ manſerit, eum nonamplius celebrare jubemus: maximè ſi eum adhortante Epiſcopo ſuo ut rediret, non paruerit, in contumaciâ perſeverans. Is autem ibi ut Laicus communicet.

ιϛ'.

Εἰ δὲ ὁ Ἐπίσκοπος παρ' ᾧ τυγχάνουσιν, παρ' οὐδὲν λογισάμενος τὴν κατ' αὐτῶν ὁρισθείσας ἀργίαν, δέξηται αὐτοὺς ὡς κληρικοὺς, ἀφοριζέσθω, ὡς διδάσκαλος ἀταξίας.

XVI.

Quòd ſi Epiſcopus, apud quem ſunt, nihili faciens decretam adverſus eos à munere ceſſationem, eos ut Clericos receperit, ſegregetur, ut confuſionis magiſter.

ιζ'.

Ὁ δυσὶ γάμοις συμπλακεὶς μετὰ τὸ βάπτισμα, ἢ παλλακὴν κτησάμενος, οὐ δύναται εἶναι Ἐπί-

XVII.

Qui poſt baptiſmum duobus conjugiis fuit implicitus, vel concubinam habuit, non poteſt

σκοπος,

σκοπ☉, ἢ Πρεσβύτερ☉, ἢ Διάκον☉, ἢ ὅλως τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ.

eſſe Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel omnino ex numero Sacerdotali. *Lib.* 2. *c.* 4.

ιη'.

XVIII.

Ὁ χήραν λαβὼν, ἢ ἐκβεβλημένην, ἢ ἑταίραν, ἢ οἰκέτιν, ἢ τῶν ἐπὶ σκηνῆς, οὐ δύναται εἶναι Ἐπίσκοπ☉, ἢ Πρεσβύτερ☉, ἢ Διάκον☉, ἢ ὅλως τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ.

Qui viduam accepit, vel ejectam, vel meretricem, vel ſervam, vel ſcenicam, non poteſt eſſe Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel omnino ex numero Sacerdotali.

ιθ'.

XIX.

Ὁ δύο ἀδελφὰς ἀγαγόμενος, ἢ ἀδελφιδῆν, οὐ δύναται εἶναι κληρικός.

Qui duas ſorores duxit vel conſobrinam, non poteſt eſſe Clericus.

κ'.

XX.

Κληρικὸς ἐγγύας διδοὺς, καθαιρείσθω.

Clericus fidejubens, deponatur.

κα'.

XXI.

Ἐυνοῦχ☉, εἰ μὲν ἐξ ἐπηρείας ἀνθρώπων ἐγένετό τις, ἢ ἐν διωγμῷ ἀφῃρέθη τὰ τῶν ἀνδρῶν, ἢ οὕτως ἔφυ, καὶ ἔστιν ἄξι☉, Ἐπίσκοπ☉ γινέσθω.

Eunuchus, ſi ex hominum quidem injuriâ factus ſit quiſpiam, vel in perſecutione viribus ſit privatus, vel ſic natus, & dignus ſit, fiat Epiſcopus. *Lib.* 2. *c.* 4.

κβ'. Ὁ

κβ΄.

Ὁ ἀκρωτηριάσας ἑαυτὸν, μὴ γινέσθω Κληρικὸς· αὐτοφονευτὴς γάρ ἐστιν ἑαυτοῦ, καὶ τῆς τοῦ Θεοῦ δημιουργίας ἐχθρός.

XXII.

Qui ſeipſum mutilavit, ne ſit Clericus: eſt enim ſui homicida, & Dei opificij hoſtis. *Lib.* 2. *c.* 4.

κγ΄.

Εἴ τις Κληρικὸς ὢν, ἑαυτὸν ἂν ἀκρωτηριάσῃ, καθαιρείσθω· φονεὺς γάρ ἐστιν ἑαυτοῦ.

XXIII.

Si quis, cum ſit Clericus, ſeipſum mutilaverit, deponatur: eſt enim ſui homicida. *L.* 2. [illegible] 4.

κδ΄.

Λαϊκὸς ἑαυτὸν ἀκρωτηριάσας, ἀφοριζέσθω ἔτη τρία· ἐπίβουλος γάρ ἐστιν τῆς ἑαυτοῦ ζωῆς.

XXIV.

Laicus qui ſeipſum mutilavit, tribus annis ſegregetur. Eſt enim ſui ipſius vitæ inſidiator. *Lib.* 2. *c.* 4.

κε΄.

Ἐπίσκοπος, ἢ Πρεσβύτερος, ἢ Διάκονος ἐπὶ πορνείᾳ, ἢ ἐπιορκίᾳ, ἢ ἐπὶ κλοπῇ ἁλοὺς, καθαιρείσθω, καὶ μὴ ἀφοριζέσθω. λέγει γὰρ ἡ γραφὴ, οὐκ ἐκδικήσεις δὶς ἐπὶ τὸ αὐτό. ὡσαύτως καὶ οἱ λοιποὶ κληρικοί.

XXV.

Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus fornicationis, vel perjurij, vel furti convictus, deponatur, & non ſegregetur. Dicit enim ſcriptura, non vindicabis bis in id ipſum. Similiter reliqui quoque Clerici.

κϛ'.

Τῶν εἰς Κλῆρον προσελθόντων ἀγάμων, κελεύομεν βουλομένους γαμεῖν, ἀναγνώστας καὶ ψάλτας μόνους.

XXVI.

Ex iis qui non ductâ uxore ad Clerum promoti ſunt, jubemus, ſi velint, uxores ducere, Lectores, & Cantores ſolos. *Lib.2.c.10.*

κζ'.

Ἐπίσκοπον, ἢ Πρεσβύτερον, ἢ Διάκονον, τύπτοντα πιστοὺς ἁμαρτάνοντας, ἢ ἀπίστους ἀδικήσαντας, καὶ διὰ τούτων φοβεῖσθαι θέλοντα, καθαιρεῖσθαι προστάττομεν· οὐδαμοῦ γὰρ ὁ Κύριος τοῦτο ἡμᾶς ἐδίδαξε· τοὐναντίον δὲ, αὐτὸς τυπτόμενος, οὐκ ἀντέτυπτε· λοιδορούμενος οὐκ ἀντελοιδόρει· πάσχων οὐκ ἠπείλει.

XXVII.

Epiſcopum, vel Presbyterum, vel Diaconum, qui verberat fideles qui peccant, vel infideles qui injuriam fecerunt, & per hæc vult perterrefacere, deponi jubemus. Dominus enim nos nequaquam hoc docuit: Contrà autem ipſe verberatus non repercuſſit; maledictis petitus, maledicta non retulit; patiens non minatus eſt. *Lib.2.c.4.*

κη'.

Εἴ τις Ἐπίσκοπος, ἢ Πρεσβύτερος, ἢ Διάκονος, καθαιρεθεὶς δικαίως ἐπὶ ἐγκλήμασι φανεροῖς, τολμήσειεν ἅψασθαι τῆς ποτὲ ἐγχειρισθείσης αὐτῷ λειτουργίας, παντάπασιν ἐκκοπτέσθω τῆς ἐκκλησίας.

XXVIII.

Si quis Epiſcopus, vel Preſbyter, vel Diaconus juſtè ob manifeſta crimina depoſitus, ſibi aliquando concreditum miniſterium attingere audeat, ab Eccleſiâ omnino abſcindatur.

κθ'.

Εἴ τις Ἐπίσκοπος διὰ χρημάτων τῆς ἀξίας ταύτης ἐγκρατὴς γένηται, ἢ Πρεσβύτερος, ἢ Διάκονος, καθαιρείσθω καὶ αὐτὸς καὶ ὁ χειροτονήσας· καὶ ἐκκοπτέσθω καὶ τῆς κοινωνίας παντάπασιν· ὡς Σίμων ὁ Μάγος ὑπ' ἐμοῦ Πέτρου.

XXIX.

Si quis Epiſcopus per pecuniam hanc ſit dignitatem aſſecutus, vel Presbyter, vel Diaconus, deponatur & ipſe & qui eum ordinavit, & à communione etiam omnino exſcindatur, ut Simon Magus à me Petro. *Lib.1. c.17.*

λ'.

Εἴ τις Ἐπίσκοπος κοσμικοῖς ἄρχουσι χρησάμενος, δι' αὐτῶν ἐγκρατὴς ἐκκλησίας γένηται, καθαιρείσθω καὶ ἀφοριζέσθω, καὶ οἱ κοινωνοῦντες αὐτῷ ἅπαντες·

XXX.

Si quis Epiſcopus ſecularibus Principibus uſus, per eos Eccleſiam adeptus ſit, deponatur & ſegregetur, & omnes qui illi communicant. *Lib. 2. c. 4.*

λα'.

Εἴ τις Πρεσβύτερος καταφρονήσας τοῦ ἰδίου Ἐπισκόπου, χωρὶς συναγάγῃ, καὶ θυσιαστήριον ἕτερον πήξῃ, μηδὲν κατεγνωκὼς τοῦ Ἐπισκόπου ἐν εὐσεβείᾳ καὶ δικαιοσύνῃ, καθαιρείσθω ὡς φίλαρχος· τύραννος γάρ ἐστιν. ὡσαύτως δὲ καὶ οἱ λοιποὶ κληρικοί, καὶ ὅσοι ἂν αὐτῷ προσθῶνται. Οἱ δὲ λαϊκοὶ ἀφοριζέσθωσαν. ταῦτα

XXXI.

Si quis Presbyter contempto proprio Epiſcopo, ſeorſim collectas egerit, & alterum altare fixerit, Epiſcopo ſuo in religione & juſtitiâ nullâ in re à ſe condemnato, deponatur, ut ambitioſus: eſt enim Tyrannus. Similiter etiam & reliqui Clerici, & quotquot ei acceſſerunt. Laici autem ſegregentur. Hæc

δὲ

ἢ μετὰ μίαν καὶ δευτέραν, καὶ τρίτην παράκλησιν τοῦ Ἐπισκόπου γινέσθω.

vero poſt unam, alteramque & tertiam Epiſcopi admonitionem fiant. *Lib.* 2. *c.* 10.

λβʹ.

Εἴ τις Πρεσβύτερος ἢ Διάκονος ὑπὸ Ἐπισκόπου γένηται ἀφωρισμένος, τοῦτον μὴ ἐξεῖναι παρ᾽ ἑτέρου δεχθῆναι, ἀλλ᾽ ἢ παρὰ τοῦ ἀφορίσαντος αὐτὸν, εἰ μὴ ἂν κατὰ συγκυρίαν τελευτήσῃ ὁ ἀφορίσας αὐτὸν Ἐπίσκοπος.

XXXII.

Si quis Presbyter vel Diaconus ab Epiſcopo ſit ſegregatus, non liceat alij eum ſuſcipere, quàm qui ipſum ſegregavit: niſi forte mortuus ſit Epiſcopus, qui eum ſegregavit.

λγʹ.

Μηδένα τῶν ξένων Ἐπισκόπων, ἢ Πρεσβυτέρων, ἢ Διακόνων ἄνευ συστατικῶν προσδέχεσθαι· καὶ ἐπιφερομένων αὐτῶν, ἀνακρινέσθωσαν. καὶ ἐὰν μὲν ὦσιν κήρυκες τῆς εὐσεβείας, προσδεχέσθωσαν. Εἰ δὲ μή γε, τὰ πρὸς χρείαν αὐτοῖς ἐπιχορηγήσαντες, εἰς κοινωνίαν αὐτοὺς μὴ προσδέξησθε. πολλὰ γὰρ κατὰ συναρπαγὴν γίνεται.

XXXIII.

Nullus externorum Epiſcoporum, vel Presbyterorum, vel Diaconorum ſine commendatitiis recipiatur. His vero allatis, examinentur: & ſi fuerint præcones pietatis, recipiantur. Sin minus, iis quæ ſunt neceſſaria illis exhibitis, ad communionem eos ne admittatis. Multa enim per ſurreptionem fiunt.

λδʹ.

Τοὺς Ἐπισκόπους ἑκάστου ἔθνους εἰδέναι χρὴ τὸν ἐν αὐτοῖς πρῶ-

XXXIV.

Epiſcopos uniuſcujuſq;gentis nôſſe oportet illum qui in eis

τον, καὶ ἡγεῖσθαι αὐτὸν ὡς κεφαλὴν, καὶ μηδέν τι πράττειν περιττὸν ἄνευ τῆς ἐκείνου γνώμης· ἐκεῖνα δὲ μόνα πράττειν ἕκαστον, ὅσα τῇ αὐτοῦ παροικίᾳ ἐπιβάλλει, καὶ ταῖς ὑπ' αὐτὴν χώραις. Ἀλλὰ μηδὲ ἐκεῖνος ἄνευ τῆς πάντων γνώμης ποιείτω τι. οὕτω γὰρ ὁμόνοια ἔσται, καὶ δοξασθήσεται ὁ Θεὸς διὰ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ ὁ Πατὴρ διὰ κυρίου ἐν ἁγίῳ πνεύματι. Ὁ πατὴρ, καὶ ὁ υἱὸς, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον.

eſt primus, & exiſtimare eum ut caput, & nihil facere quod ſit magni momenti præter illius ſententiam; illa autem ſola facere unumquemque, quæ ad ſuam parochiam pertinent, & pagos qui ei ſubſunt. Sed nec ille abſque omnium ſententiâ aliquid agat. Sic enim erit concordia, & glorificabitur Deus per Dominum Ieſum Chriſtum; & Pater per Dominum in Spiritu Sancto. Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. *Lib.* 2. *c.* 5: *Lib.* 1. *c.* 4. *p.* 28.

λε΄.

XXXV.

Ἐπίσκοπον μὴ τολμᾷν ἔξω τῶν αὐτοῦ ὅρων χειροτονίας ποιεῖσθαι, εἰς τὰς μὴ ὑποκειμένας αὐτῷ πόλεις ἢ χώρας· εἰ δὲ ἐλεγχθείη τοῦτο πεποιηκὼς παρὰ τὴν τῶν κατεχόντων τὰς πόλεις ἐκείνας ἢ χώρας γνώμην, καθαιρείσθω καὶ αὐτὸς καὶ οὓς ἐχειροτόνησεν.

Epiſcopus ne audeat extra ſuos fines ordinationes facere in urbibus aut pagis ei non ſubjectis. Sin autem hoc feciſſe convictus fuerit, præter eorum ſententiam qui tenent urbes illas vel pagos, deponatur & ipſe & quos ordinavit.

λς΄.

XXXVI.

Εἴ τις χειροτονηθεὶς Ἐπίσκοπος μὴ καταδέχοιτο τὴν λειτουρ-

Si quis ordinatus Epiſcopus non ſuſcipiat miniſterium

γίαν,

γίαν καὶ τὴν φροντίδα τοῦ λαοῦ τὴν ἐγχειρισθεῖσαν αὐτῷ, τοῦτον ἀφωρισμένον τυγχάνειν, ἕως ἂν καταδέξηται· ὡσαύτως καὶ Πρεσβύτερος καὶ Διάκονος. Εἰ δὲ ἀπελθὼν, μὴ δεχθῇ, οὐ παρὰ τὴν ἑαυτοῦ γνώμην, ἀλλὰ παρὰ τὴν τοῦ λαοῦ μοχθηρίαν, αὐτὸς μενέτω Ἐπίσκοπος, ὁ δὲ κλῆρος τῆς πόλεως ἀφοριζέσθω, ὅτι τοιούτου λαοῦ ἀνυποτάκτου παιδευταὶ οὐκ ἐγένοντο.

& curam populi ſibi commiſſam, ſit ſegregatus, donec eam ſuſceperit: Similiter etiam Preſbyter & Diaconus. Sin autem profectus non ſuſceptus fuerit, non ſuâ quidem voluntate, ſed propter populi improbitatem, ipſe maneat Epiſcopus: Clerus autem civitatis ſegregetur, quod ejuſmodi inſolentis populi correctores non fuerunt.

λζ'.

XXXVII.

Δεύτερον τοῦ ἔτους σύνοδος γινέσθω τῶν Ἐπισκόπων, καὶ ἀνακρινέτωσαν ἀλλήλους τὰ δόγματα τῆς εὐσεβείας, καὶ τὰς ἐμπιπτούσας ἐκκλησιαστικὰς ἀντιλογίας διαλυέτωσαν· ἅπαξ μὲν, τῇ τετάρτῃ ἑβδομάδι τῆς πεντηκοστῆς, δεύτερον δὲ ὑπερβερεταίου δωδεκάτῃ.

Bis in anno fiat Epiſcoporum Synodus, & inter ſe examinent dogmata religionis, & incidentes Eccleſiaſticas controverſias dirimant: Semel quidem quartâ hebdomade Pentecoſtes, ſecundò autem Hyperberetæi duodecimo. *Lib.2.c.10.*

λή.

XXXVIII.

Πάντων τῶν ἐκκλησιαστικῶν πραγμάτων ὁ Ἐπίσκοπος ἐχέτω τὴν φροντίδα, καὶ διοικείτω αὐτὰ ὡς τοῦ Θεοῦ ἐφορῶντος· μὴ ἐξεῖναι δὲ αὐτῷ σφετερίζεσθαί τι ἐξ αὐτῶν, ἢ συγγενέσιν ἰδίοις τὰ τοῦ Θεοῦ

Omnium rerum Eccleſiaſticarum Epiſcopus curam gerat, & eas adminiſtret tanquam Deo intuente. Ne liceat autem ex iis aliquid ſibi vindicare, vel propriis cognatis quæ Dei

χαρίζεσθαι,

χαρίζεσθαι· εἰ δὲ πένητες εἶεν, ἐπιχορηγείτω ὡς πένησιν, ἀλλὰ μὴ προφάσει τούτων τὰ τῆς ἐκκλησίας ἀπεμπωλείτω.

ſunt largiri. Si autem ſint pauperes, ut pauperibus ſuppeditet, ſed non eorum prætextu vendat quæ ſunt Eccleſiæ.

λθʹ.

Οἱ Πρεσβύτεροι καὶ Διάκονοι ἄνευ γνώμης τοῦ Ἐπισκόπου μηδὲν ἐπιτελείτωσαν. αὐτὸς γάρ ἐστιν ὁ πεπιστευμένος τὸν λαὸν τοῦ Κυρίου, καὶ τὸν ὑπὲρ τῶν ψυχῶν αὐτῶν λόγον ἀπαιτηθησόμενος.

XXXIX.

Presbyteri & Diaconi ſine ſententiâ Epiſcopi nihil perficiant, ipſe enim eſt cujus fidei populus Domini concreditus eſt, & à quo pro animabus eorum ratio exigetur.

μʹ.

Ἔστω φανερὰ τὰ ἴδια τοῦ Ἐπισκόπου πράγματα (εἰ δὲ ἴδια ἔχει) καὶ φανερὰ τὰ κυριακά· ἵν᾽ ἐξουσίαν ἔχῃ τὰ ἴδια τελευτῶν ὁ Ἐπίσκοπος, οἷς βούλεται, καὶ ὡς βούλεται, καταλεῖψαι, καὶ μὴ προφάσει τῶν ἐκκλησιαστικῶν πραγμάτων διαπίπτειν τὰ τοῦ Ἐπισκόπου, ἔσθ᾽ ὅτε γυναῖκα καὶ παῖδας κεκτημένου, ἢ συγγενεῖς ἢ οἰκέτας. δίκαιον γὰρ παρὰ Θεῷ καὶ ἀνθρώποις, τὸ μήτε τὴν ἐκκλησίαν ζημίαν τινὰ ὑπομένειν ἀγνοίᾳ τῶν τοῦ Ἐπισκόπου πραγμάτων, μήτε τὸν Ἐπίσκοπον ἢ τοὺς αὐτοῦ συγγε-

XL.

Manifeſtæ ſint Epiſcopi res propriæ (ſiquidem res habet proprias) & manifeſtæ res Dominicæ. Ut ſit in poteſtate morientis Epiſcopi propria, quibus vult, & ut vult, relinquere, & non rerum Eccleſiaſticarum occaſione res Epiſcopi intercidant, qui nonnunquam uxorem habet, & liberos, vel cognatos, vel famulos. Eſt enim juſtum apud Deum, & homines, ut nec Eccleſia damnum aliquod accipiat propter rerum Epiſcopi ignorationem, nec Epiſcopus

νεῖς

νεῖς προφάσει τῆς ἐκκλησίας δημεύεσθαι, ἢ καὶ εἰς πράγματα ἐμπίπτειν τὰ αὐτῷ διαφέροντας, καὶ τὸν αὐτοῦ θάνατον δυσφημίαις περιβάλλεσθαι.

vel ejus cognati Eccleſiæ occaſione proſcribantur, vel in negotia liteſve incidant qui ad eum attinent, & ejus mortem maledictis proſequantur. *Lib.* 1. *c.* 4. *p.* 33.

μά.

Προστάσσομεν τὸν Ἐπίσκοπον ἐξουσίαν ἔχειν τῶν τῆς ἐκκλησίας πραγμάτων· εἰ γὰρ τὰς τιμίας τῶν ἀνθρώπων ψυχὰς αὐτῷ πιστευτέον, πολλῷ ἂν δέοι περὶ τῶν χρημάτων ἐντέλλεσθαι, ὥστε κατὰ τὴν ἑαυτοῦ ἐξουσίαν πάντα διοικεῖσθαι, καὶ τοῖς δεομένοις διὰ πρεσβυτέρων καὶ διακόνων ἐπιχορηγεῖσθαι μετὰ φόβου Θεοῦ, καὶ πάσης εὐλαβείας. μεταλαμβάνειν δὲ καὶ αὐτὸν τῶν δεόντων (εἴ γε δέοιτο) εἰς τὰς ἀναγκαίας αὐτοῦ χρείας. καὶ τῶν ἐπιξενουμένων ἀδελφῶν, ὡς κατὰ μηδένα τρόπον αὐτὸν ὑστερεῖσθαι. Ὁ γὰρ νόμος τοῦ Θεοῦ διετάξατο, τοὺς τῷ θυσιαστηρίῳ προσεδρεύοντας ἐκ τοῦ θυσιαστηρίου τρέφεσθαι. ἐπείπερ οὐδὲ στρατιώτης ποτὲ ἰδίοις ὀψωνίοις ὅπλα κατὰ πολεμίων ἐπιφέρεται.

XLI.

Jubemus Epiſcopum rerum Eccleſiæ poteſtatem habere, ſi enim pretioſæ hominum animæ ſunt ei credendæ, multò magis committendæ ſunt pecuniæ, ut in ejus ſit poteſtate omnia adminiſtrare, & iis, qui egent, per Presbyteros & Diaconos ſubminiſtrare, cum Dei timore, & omni religione: Quinetiam (ſi ſit opus) in neceſſarium ſuum uſum accipere, & fratrum qui hoſpitio excipiuntur, ita ut ipſe nullo modo egeat. Lex enim Dei ſtatuit, ut qui altari aſſident, ex altari alantur; quandoquidem nec miles unquam ſuo viatico adverſus hoſtes progreditur. *Lib.* 1 *c.* 4. *p.* 33.

μβ'. Ἐπι-

μβ'.

Ἐπίσκοπος, ἢ Πρεσβύτερος, ἢ Διάκονος κύβοις σχολάζων, καὶ μέθαις, ἢ παυσάσθω, ἢ καθαιρείσθω.

XLII.

Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, aleis & ebrietatibus vacans, vel deſiſtat, vel deponatur.

μγ'.

Ὑποδιάκονος, ἢ ἀναγνώστης, ἢ ψάλτης, τὰ ὅμοια ποιῶν, ἢ παυσάσθω, ἢ ἀφοριζέσθω· ὡσαύτως καὶ λαϊκοί.

XLIII.

Hypodiaconus, vel Lector, vel Cantor, ſimilia faciens, vel deſiſtat, vel ſegregetur. Similiter & Laici.

μδ'.

Ἐπίσκοπος, ἢ Πρεσβύτερος, ἢ Διάκονος, τόκους ἀπαιτῶν τοὺς δανειζομένους, ἢ παυσάσθω, ἢ καθαιρείσθω.

XLIV.

Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus uſuras exigens à debitoribus, vel deſiſtat, vel deponatur.

με'.

Ἐπίσκοπος, ἢ Πρεσβύτερος, ἢ Διάκονος αἱρετικοῖς συνευξάμενος μόνον, ἀφοριζέσθω· εἰ δὲ καὶ ἐπέτρεψεν αὐτοῖς ὡς κληρικοῖς ἐνεργῆσαί τι, καθαιρείσθω.

XLV.

Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, qui cum hæreticis ſolùm comprecatus eſt, ſegregetur. Sin autem iis tanquam Clericis aliquid operari permiſerit, deponatur.

μς'. Ἐπι-

μς΄.

Ἐπίσκοπον ἢ Πρεσβύτερον, αἱρετικῶν δεξαμένους βάπτισμα ἢ θυσίαν, καθαιρεῖσθαι προστάσσομεν. τίς γὰρ συμφώνησις Χριστῷ πρὸς Βελίαρ; ἢ τίς μερὶς πιστῷ μετὰ ἀπίστου;

XLVI.

Epiſcopum vel Presbyterum, qui hæreticorum baptiſma vel ſacrificium admiſerit, deponi jubemus. Quæ eſt enim conventio Chriſti cum Belial? vel quæ pars eſt fideli cum infideli. *Lib.* 2. *c.* 10, 12.

μζ΄.

Ἐπίσκοπος ἢ Πρεσβύτερος, τὸν κατ᾽ ἀλήθειαν ἔχοντα βάπτισμα, ἐὰν ἄνωθεν βαπτίσῃ, ἢ τὸν μεμολυσμένον παρὰ τῶν ἀσεβῶν ἐὰν μὴ βαπτίσῃ, καθαιρείσθω, ὡς γελῶν τὸν σταυρὸν τοῦ Κυρίου, καὶ τὸν θάνατον, καὶ μὴ διακρίνων ἱερέας ψευδιερέων.

XLVII.

Epiſcopus vel Presbyter eum, qui vere habet baptiſma, ſi de integro baptizaverit, vel ſi eum, qui ab impiis pollutus eſt, non baptizaverit, deponatur, ut qui irrideat Crucem Domini & mortem, & non diſcernat Sacerdotes à falſis Sacerdotibus. *Lib.* 2. *c.* 12.

μη΄.

Εἴ τις λαϊκὸς τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα ἐκβαλὼν ἢ ἑτέραν λάβοι, ἢ παρ᾽ ἄλλου ἀπολελυμένην, ἀφοριζέσθω.

XLVIII.

Si quis Laicus ſuâ ejectâ uxore vel aliam acceperit, vel ab alio ſolutam, ſegregetur.

μθ΄.

Εἴ τις Ἐπίσκοπος, ἢ Πρεσβύτερος, κατὰ τὴν τοῦ Κυρίου διάταξιν μὴ βάπτίσῃ εἰς Πατέρα, καὶ υἱὸν, καὶ ἅγιον Πνεῦμα, ἀλλ᾽ εἰς τρεῖς ἀνάρχους, ἢ τρεῖς υἱοὺς,

XLIX.

Si quis Epiſcopus vel Preſbyter, ex Domini ordinatione non baptizaverit in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, ſed in tres principij expertes,

ἢ τρεῖς παρακλήτους, καθαιρείσθω.

vel tres Filios, vel tres Paracletos, deponatur.

ν'.

Εἴ τις Ἐπίσκοπος, ἢ Πρεσβύτερος μὴ τρία βαπτίσματα μιᾶς μυήσεως ἐπιτελέσῃ, ἀλλὰ ἓν βάπτισμα εἰς τὸν θάνατον τοῦ Κυρίου διδόμενον, καθαιρείσθω· οὐ γὰρ εἶπεν ὁ Κύριος, εἰς τὸν θάνατόν μου βαπτίσατε· ἀλλὰ πορευθέντες μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος.

L.

Si quis Epiſcopus vel Preſbyter non tria unius myſterij baptiſmata perfecerit, ſed unum baptiſma, quod datur in mortem Domini, deponatur. Non enim dixit Dominus, in mortem meam baptizate; ſed euntes docete omnes gentes, baptizantes ipſos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. *Lib. 1. c. 17. Lib. 2. c. 6.*

να'.

Εἴ τις Ἐπίσκοπος ἢ Πρεσβύτερος ἢ Διάκονος, ἢ ὅλως τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ, γάμου, καὶ κρεῶν καὶ οἴνου, οὐ διὰ ἄσκησιν, ἀλλὰ διὰ βδελυρίαν ἀπέχεται, ἐπιλαθόμενος ὅτι πάντα καλὰ λίαν, καὶ ὅτι ἄρσεν καὶ θῆλυ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν ἄνθρωπον, ἀλλὰ βλασφημῶν διαβάλλει τὴν δημιουργίαν, ἢ διορθούσθω, ἢ καθαιρείσθω, καὶ τῆς ἐκκλησίας ἀποβαλλέσθω· ὡσαύτως καὶ Λαϊκός.

LI.

Si quis Epiſcopus vel Preſbyter vel Diaconus, vel omnino ex numero Sacerdotali, à nuptiis, & carnibus, & vino, non propter exercitationem, ſed propter abominationem abſtinet, oblitus quod omnia valde bona, & quod maſculinum & fœmininum fecit Deus hominem; ſed blaſphemans calumniatur opificium, vel corrigatur, vel deponatur, & ex Eccleſiâ ejiciatur. Similiter & Laicus.

νβ. Εἴ

νβ'.

Εἴ τις Ἐπίσκοπος ἢ Πρεσβύτερος, τὸν ἀποστρέφοντα ἀπὸ ἁμαρτίας οὐ προσδέχεται, ἀλλ' ἀποβάλλεται, καθαιρείσθω· ὅτι λυπεῖ τὸν Χριστὸν, τὸν εἰπόντα, χαρὰ γίνεται ἐν οὐρανῷ ἐπὶ ἑνὶ ἁμαρτωλῷ μετανοοῦντι.

LII.

Si quis Epiſcopus vel Preſbyter, eum qui à peccatis convertitur, non recipit, ſed ejicit, deponatur: Quoniam Chriſtum moleſtiâ afficit, dicentem, Gaudium eſt in cœlo propter unum peccatorem pœnitentiam agentem. *Lib.2.c.7.*

νγ'.

Εἴ τις Ἐπίσκοπος, ἢ Πρεσβύτερος, ἢ Διάκονος, ἐν ταῖς ἡμέραις τῶν ἑορτῶν οὐ μεταλαμβάνει κρεῶν καὶ οἴνου, βδελυσσόμενος, καὶ οὐ διὰ ἄσκησιν, καθαιρείσθω, ὡς κεκαυτηριασμένος τὴν οἰκείαν συνείδησιν, καὶ αἴτιος σκανδάλου πολλοῖς γινόμενος.

LIII.

Si quis Epiſcopus, vel Preſbyter, vel Diaconus, in feſtis diebus carnem & vinum non ſumit, abhorrens, & non propter exercitationem, deponatur, ut qui habeat inuſtam conſcientiam propriam, & multis ſit offenſionis cauſa.

νδ'.

Εἴ τις κληρικὸς ἐν καπηλείῳ φωραθείη ἐσθίων, ἀφοριζέσθω· πάρεξ τοῦ ἐν πανδοχείῳ ἐν ὁδῷ δι' ἀνάγκην καταλύσαντος.

LIV.

Si quis Clericus in cauponâ comedens deprehenſus fuerit, ſegregetur: præterquam ſi in publicum diverſorium in viâ propter neceſſitatem diverterit.

νέ.

Εἴ τις Κληρικὸς ὑβρίσῃ τὸν Ἐπίσκοπον, καθαιρείσθω. Ἄρχοντα γὰρ τοῦ λαοῦ σου οὐκ ἐρεῖς κακῶς.

LV.

Si quis Clericus Epiſcopum contumeliâ affecerit, deponatur. Principi enim populi tui non maledices.

νϛʹ.

Εἴ τις Κληρικὸς ὑβρίσῃ Πρεσβύτερον, ἢ Διάκονον, ἀφοριζέσθω.

LVI.

Si quis Clericus contumeliâ affecerit Presbyterum, vel Diaconum, ſegregetur.

νζʹ.

Εἴ τις Κληρικὸς χωλὸν, ἢ κωφὸν, ἢ τυφλὸν, ἢ τὰς βάσεις πεπληγμένον χλευάσῃ, ἀφοριζέσθω· ὡσαύτως καὶ Λαϊκός.

LVII.

Si quis Clericus claudum, vel ſurdum, vel cœcum, vel eum cui vitioſus eſt inceſſus, irriſerit, ſegregetur. Similiter & Laicus.

νή.

Ἐπίσκοπος ἢ Πρεσβύτερος ἀμελῶν τοῦ κλήρου, ἢ τοῦ λαοῦ, καὶ μὴ παιδεύων αὐτοὺς τὴν εὐσέβειαν, ἀφοριζέσθω· ἐπιμένων δὲ τῇ ἀμελείᾳ καὶ ῥαθυμίᾳ, καθαιρείσθω.

LVIII.

Epiſcopus vel Presbyter qui cleri vel populi curam non gerit, & eos pietatem non docet, ſegregetur: & ſi negligentiâ & ſocordiâ perſeveret, deponatur.

νθʹ. Εἴ

νθ'.

Εἴ τις Ἐπίσκοπος, ἢ Πρεσβύτερος, ἢ Διάκονος, τινὸς τῶν Κληρικῶν ἐνδεοῦς ὄντος, μὴ ἐπιχορηγεῖ τὰ δέοντα, ἀφοριζέσθω· ἐπιμένων δὲ, καθαιρείσθω, ὡς φονεύσας τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ.

LIX.

Si quis Epiſcopus, vel Preſbyter, vel Diaconus, cum ſit aliquis ex Clericis egenus, ea quæ ſunt neceſſaria non ſuppeditat, ſegregetur: Perſeverans autem deponatur, ut qui fratrem ſuum interfecerit.

ξ'.

Εἴ τις τὰ ψευδεπίγραφα τῶν ἀσεβῶν βιβλία, ὡς ἅγια, ἐπὶ τῆς ἐκκλησίας δημοσιεύει, ἐπὶ λύμῃ τοῦ λαοῦ καὶ τοῦ κλήρου, καθαιρείσθω.

LX.

Si quis falsò inſcriptos impiorum libros tanquam ſanctos, in Eccleſiâ publicat, ad populi & cleri perniciem, deponatur. *Lib.* 2. *c.* 7.

ξα'.

Εἴ τις κατηγορία γένηται κατὰ πιστοῦ, πορνείας, ἢ μοιχείας, ἢ ἄλλης τινὸς ἀπηγορευμένης πράξεως, καὶ ἐλεγχθείη, εἰς κλῆρον μὴ προαγέσθω.

LXI.

Si adverſus fidelem aliqua accuſatio intendatur, fornicationis, vel adulterij, vel alicujus alius prohibitæ actionis, & convictus fuerit, ad Clerum ne provehatur.

ξβ'.

Εἴ τις Κληρικὸς διὰ φόβον ἀνθρώπινον Ἰουδαίου, ἢ Ἕλληνος, ἢ αἱρετικοῦ, ἀρνήσηται, εἰ μὲν τὸ

LXII.

Si quis Clericus propter metum humanum Judæi, vel Græci, vel hæretici, negaverit, ſi

ὄνομα

ὄνομα τοῦ Χριστοῦ, ἀποβαλέσθω· εἰ δὲ τὸ ὄνομα τοῦ Κληρικοῦ, καθαιρείσθω. Μετανοήσας δὲ, ὡς Λαϊκὸς δεχθήτω.

quidem nomen Chriſti, ejiciatur: ſin nomen Clerici, deponatur. Pœnitentiam vero agens, ut Laicus recipiatur. *Lib.2.c.7.*

ξγ'.

LXIII.

Εἴ τις Ἐπίσκοπος, ἢ Πρεσβύτερος, ἢ Διάκονος, ἢ ὅλως τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ φάγῃ κρέα ἐν αἵματι ψυχῆς αὐτοῦ, ἢ θηριάλωτον, ἢ θνησιμαῖον, καθαιρείσθω. Τοῦτο γὰρ ὁ νόμος ἀπεῖπεν· Εἰ δὲ λαϊκὸς εἴη, ἀφοριζέσθω.

Si quis Epiſcopus, vel Preſbyter, vel Diaconus, vel omnino ex numero Sacerdotali, comederit carnem in ſanguine animæ ſuæ, vel quid à feris captum, vel morticinum, deponatur. Hoc enim lex prohibet. Si autem ſit Laicus, ſegregetur. *Lib.2.c.7.*

ξδ'.

LXIV.

Εἴ τις Κληρικὸς ἢ Λαϊκὸς εἰσέλθῃ εἰς συναγωγὴν Ἰουδαίων, ἢ αἱρετικῶν προσεύξασθαι, καὶ καθαιρείσθω, καὶ ἀφοριζέσθω.

Si quis Clericus vel Laicus in Synagogam Judæorum, vel hæreticorum introierit ad orandum, & deponatur, & ſegregetur.

ξε'.

LXV.

Εἴ τις Κληρικὸς ἐν μάχῃ τινὰ κρούσας ἀπὸ τοῦ ἑνὸς κρούσματος ἀποκτείνῃ, καθαιρείσθω διὰ τὴν προπέτειαν αὐτοῦ. εἰ δὲ Λαϊκὸς, ἀφοριζέσθω.

Si quis Clericus in jurgio quempiam pulſans, uno ictu interemerit, ob impotentis animi ſui effrænationem, deponatur: Laicus vero ſi fuerit, ſegregetur.

ξς'·Εἴ

ξς'.

Εἴ τις Κληρικὸς εὑρεθῇ τὴν κυριακὴν ἡμέραν νηστεύων, ἢ τὸ σάββατον (πλὴν τοῦ ἑνὸς μόνου) καθαιρείσθω. Εἰ δὲ Λαϊκὸς, ἀφοριζέσθω.

LXVI.

Si quis Clericus deprehendatur die dominico jejunans, vel ſabbato (præter unum ſolum) deponatur. Si vero Laicus, ſegregetur. *Lib.2.c.7.*

ξζ'.

Εἴ τις παρθένον ἀμνήστευτον βιασάμενος ἔχει, ἀφοριζέσθω· μὴ ἐξεῖναι δὲ αὐτῷ ἑτέραν λαμβάνειν, ἀλλ' ἐκείνην κατέχειν ἣν ἡρετίσατο, κἂν πενιχρὰ τυγχάνῃ.

LXVII.

Si quis virginem non deſponſam vi allatâ habet, ſegregetur: ei autem aliam accipere non liceat; ſed illam retinere quam elegit, etiamſi pauper ſit.

ξη'.

Εἴ τις Ἐπίσκοπος, ἢ Πρεσβύτερος, ἢ Διάκονος, δευτέραν χειροτονίαν δέξηται παρά τινος, καθαιρείσθω καὶ αὐτὸς καὶ ὁ χειροτονήσας· εἰ μή γε ἄρα συσταίη, ὅτι παρὰ αἱρετικῶν ἔχει τὴν χειροτονίαν. Τοὺς γὰρ παρὰ τῶν τοιούτων βαπτισθέντας, ἢ χειροτονηθέντας, οὔτε πιστοὺς, οὔτε Κληρικοὺς εἶναι δυνατόν.

LXVIII.

Si quis Epiſcopus, vel Preſbyter, vel Diaconus, ſecundam ordinationem ab aliquo ſuſceperit, deponatur & ipſe, & qui ordinavit: niſi utique conſtiterit, quòd ab hæreticis ordinationem habeat. Qui enim ab eis baptizati vel ordinati ſunt, ut fideles, vel Clerici ſint, fieri non poteſt.

ξθ'. Εἴ

ξθʹ.

Εἴ τις Ἐπίσκοπος, ἢ Πρεσβύτερος, ἢ Διάκονος, ἢ Ἀναγνώστης, ἢ Ψάλτης, τὴν ἁγίαν τεσσαρακοστὴν τοῦ πάσχα οὐ νηστεύει, ἢ τετράδα, ἢ παρασκευὴν, καθαιρείσθω, ἐκτὸς εἰ μὴ δι' ἀσθένειαν σωματικὴν ἐμποδίζοιτο. Εἰ δὲ Λαϊκὸς εἴη, ἀφοριζέσθω.

LXIX.

Si quis Epiſcopus, vel Preſbyter, vel Diaconus, vel Lector, vel Cantor, ſanctam Paſchæ Quadrageſimam non jejunat, vel quartam feriam, vel Paraſceven, præterquam ſi propter imbecillitatem corporalem impediatur, deponatur. Si vero Laicus, ſegregetur.

οʹ.

Εἴ τις Ἐπίσκοπος, ἢ Πρεσβύτερος, ἢ Διάκονος, ἢ ὅλως τοῦ καταλόγου τῶν Κληρικῶν, νηστεύει μετὰ Ἰουδαίων, ἢ ἑορτάζει μετ' αὐτῶν, ἢ δέχεται παρ' αὐτῶν τὰ τῆς ἑορτῆς ξένια (οἷον ἄζυμα ἤ τι τοιοῦτον) καθαιρείσθω· Εἰ δὲ Λαϊκὸς εἴη, ἀφοριζέσθω.

LXX.

Si quis Epiſcopus, vel Preſbyter, vel Diaconus, vel omnino ex Clericorum catalogo, jejunat cum Judæis, vel cum ipſis feſtos dies agit, vel ab ipſis feſti xenia accipit (ut verbi gratiâ azyma vel quid tale) deponatur. Si vero ſit Laicus, ſegregetur.

οαʹ.

Εἴ τις Χριστιανὸς ἔλαιον ἀπενέγκοι εἰς ἱερὸν ἐθνῶν, ἢ εἰς συναγωγὴν Ἰουδαίων, ἐν ταῖς ἑορταῖς αὐτῶν, ἢ λύχνους ἅπτει, ἀφοριζέσθω.

LXXI.

Si quis Chriſtianus oleum deferat in templum gentium, vel in Synagogam Judæorum, in eorum feſtis, vel lucernam accendit, ſegregetur.

οβʹ. Εἴ

οβ'.

Εἴ τις Κληρικὸς ἢ Λαϊκὸς ἀπὸ τῆς ἁγίας Ἐκκλησίας ἀφέληται κηρὸν, ἢ ἔλαιον, ἀφοριζέσθω.

LXXII.

Si quis Clericus vel Laicus à ſanctâ Eccleſiâ ceram vel oleum auferat, deponatur *Lib.* 2.*c.*8.

ογ'.

Σκεῦος χρυσοῦν ἢ ἀργυροῦν ἁγιασθὲν, ἢ ὀθόνην, μηδεὶς ἔτι εἰς οἰκείαν χρῆσιν σφετεριζέσθω· παράνομον γάρ. Εἰ δέ τις φωραθείη, ἐπιτιμάσθω ἀφορισμῷ.

LXXIII.

Vas aureum, vel argenteum ſanctificatum, vel velum, nemo amplius in ſuum uſum convertat: Injuſtum enim eſt. Si quis autem deprehenſus fuerit, multetur ſegregatione. *Lib.*2. *c.*8.

οδ'.

Ἐπίσκοπον κατηγορηθέντα ἐπί τινι παρὰ ἀξιοπίστων ἀνθρώπων, καλεῖσθαι αὐτὸν ἀναγκαῖον ὑπὸ τῶν Ἐπισκόπων. Κἂν μὲν ἀπαντήσῃ, καὶ ὁμολογήσῃ, ἢ ἐλεγχθείη, ὁρίζεσθαι τὸ ἐπιτίμιον· ἐὰν δὲ καλούμενος μὴ ὑπακούσῃ, καλείσθω καὶ δεύτερον, ἀποστελλομένων ἐπ' αὐτὸν δύο Ἐπισκόπων· ἐὰν δὲ καὶ οὕτω μὴ ὑπακούσῃ, καλείσθω καὶ τρίτον, δύο πάλιν Ἐπισκόπων ἀποστελλομένων πρὸς αὐτόν. ἐὰν δὲ καὶ

LXXIV.

Epiſcopum à viris fide dignis ob aliquid accuſatum, ipſum ab Epiſcopis vocari neceſſe eſt: & ſi ſe quidem ſtiterit, & confeſſus vel convictus fuerit, ſtatuatur pœna. Si autem vocatus non paruerit, ſecundo etiam vocetur, miſſis ad eum Epiſcopis duobus: ſi autem ſic etiam non obedierit, vocetur & tertiò, duobus ad eum rurſus miſſis Epiſcopis. Si autem vel

ὅπως καταφρονήσας μὴ ἀπαντήσῃ, ἡ σύνοδος ἀποφαινέσθω καθ' αὐτοῦ τὰ δοκοῦντα, ὅπως μὴ δόξῃ κερδαίνειν φυγοδικῶν.

ſic aſpernans ſe non ſtiterit, Synodus ea quæ videntur adverſus eum pronunciet, ne lucrifacere videatur, dum judicium ſubterfugit. *Lib.1.c.5.p.41*

οέ.

LXXV.

Εἰς μαρτυρίαν τὴν κατὰ Ἐπισκόπου αἱρετικὸν μὴ προσδέχεσθαι, ἀλλὰ μηδὲ πιστὸν ἕνα μόνον. Ἐπὶ στόματος γὰρ δύο ἢ τριῶν μαρτύρων σταθήσεται πᾶν ῥῆμα.

In teſtimonium adverſus Epiſcopum hæreticus ne admittatur: ſed nec unus ſolus fidelis. In ore enim duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum.

ος'.

LXXVI.

Ὅτι οὐ χρὴ Ἐπίσκοπον τῷ ἀδελφῷ ἢ τῷ υἱῷ, ἢ ἑτέρῳ συγγενεῖ χαριζόμενον, εἰς τὸ ἀξίωμα τῆς ἐπισκοπῆς χειροτονεῖν ὃν βούλεται. Κληρονόμους γὰρ τῆς ἐπισκοπῆς ποιεῖσθαι οὐ δίκαιον, τὰ τοῦ Θεοῦ χαριζόμενον πάθει ἀνθρωπίνῳ· οὐ γὰρ τὴν τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησίαν ὑπὸ κληρονόμους ὀφείλει τιθέναι· εἰ δέ τις τοῦτο ποιήσει, ἄκυρος μὲν ἔστω ἡ χειροτονία, αὐτὸς δὲ ἐπιτιμάσθω ἀφορισμῷ.

Quod non oportet Epiſcopum fratri, vel filio, vel alij cognato gratificantem, ad Epiſcopatûs dignitatem quem vult ordinare. Epiſcopatûs enim hæredes facere juſtum non eſt, ea quæ Dei ſunt, humano affectu largientem. Non enim licet Eccleſiam Dei in hæredes conferre. Si quis autem hoc fecerit, irrita quidem ſit ordinatio, ipſe autem ſegregatione mulctetur.

οζ'.

Εἴ τις ἀνάπηρος ᾖ τὸν ὀφθαλμὸν, ἢ τὸ σκέλος πεπληγμένος, ἄξιος δὲ ἐστιν ἐπισκοπῆς, γινέσθω. οὐ γὰρ λώβη σώματος αὐτὸν μιαίνει, ἀλλὰ ψυχῆς μολυσμός.

LXXVII.

Si quis oculo orbatus, vel femore oblæſus ſit, Epiſcopatu autem dignus eſt, fiat. Non enim corporis damnum eum polluit, ſed animæ inquinatio.

οη'.

Κωφὸς δὲ ὢν καὶ τυφλὸς, μὴ γινέσθω Ἐπίσκοπος· οὐχ ὡς μεμιασμένος, ἀλλ' ἵνα μὴ τὰ ἐκκλησιαστικὰ παρεμποδίζοιτο.

LXXVIII.

Qui vero ſurdus eſt & cæcus, ne fiat Epiſcopus: non ut pollutus, ſed ne Eccleſiaſtica impediantur.

οθ'.

Ἐάν τις δαίμονα ἔχῃ, Κληρικὸς μὴ γινέσθω· ἀλλὰ μηδὲ τοῖς πιστοῖς συνευχέσθω. Καθαρισθεὶς δὲ, προσδεχέσθω· καὶ ἐὰν ᾖ ἄξιος, γινέσθω.

LXXIX.

Si quis dæmonem habeat, ne fiat Clericus, ſed neque cum fidelibus precetur. Purgatus autem recipiatur, & ſi ſit dignus, fiat.

π'.

Τὸν ἐξ ἐθνικοῦ βίου προσελθόντα, καὶ βαπτισθέντα, ἢ ἐκ φαύλης διαγωγῆς, οὐ δίκαιόν ἐστι παραυτὰ προχειρίζεσθαι Ἐπίσκοπον. Ἄδικον γὰρ, τὸν μηδέπω πεῖραν ἐνδειξάμενον, ἑτέρων εἶναι δι-

LXXX.

Eum qui ex vitâ Gentili acceſſerit, & baptizatus fuerit, vel ex improbâ vivendi ratione, non eſt æquum protinus Epiſcopum fieri. Iniquum enim eſt, ut qui ſui nondum experienti-

διδάσκαλον εἰ μήπω κατὰ θείαν χάριν τοῦτο γένηται.

am oſtenderit, aliorum fit magiſter: niſi forte hoc divinâ gratiâ fiat.

πα΄.

LXXXI.

Εἴπομεν ὅτι οὐ χρὴ Ἐπίσκοπον, ἢ Πρεσβύτερον καθιέναι ἑαυτὸν εἰς δημοσίας διοικήσεις, ἀλλὰ προσευκαιρεῖν ταῖς ἐκκλησιαστικαῖς χρείαις· ἢ πειθέσθω οὖν τοῦτο μὴ ποιεῖν, ἢ καθαιρείσθω· οὐδεὶς γὰρ δύναται δυσὶ κυρίοις δουλεύειν, κατὰ τὴν κυριακὴν παρακέλευσιν.

Diximus non oportere Epiſcopum, vel Presbyterum ſeipſum ad publicas adminiſtrationes demittere, ſed in Eccleſiaſticis negotiis verſari: vel ergo ita non facere perſuadeatur, vel deponatur. Nemo enim poteſt duobus Dominis ſervire, ſecundum Domini præceptum. *Lib. 2. c. 8.*

πβ΄.

LXXXII.

Οἰκέτας εἰς κλῆρον προχειρίζεσθαι ἄνευ τῆς τῶν δεσποτῶν συγγνώμης, οὐκ ἐπιτρέπομεν, ἐπὶ λύπῃ τῶν κεκτημένων· οἴκων γὰρ ἀνατροπὴν τὸ τοιοῦτον ἐργάζεται. Εἰ δέ ποτε καὶ ἄξιος φανείη ὁ οἰκέτης πρὸς χειροτονίαν βαθμοῦ, οἷος καὶ ὁ ἡμέτερος Ὀνήσιμος ἐφάνη, καὶ συγχωρήσωσιν οἱ δεσπόται, καὶ ἐ-

Servos in clerum provehi ſine veniâ Dominorum non permittimus in poſſeſſorum moleſtiam. Domorum enim everſionem illud efficit. Si quando autem etiam dignus ſervus viſus ſit, qui ad gradum eligatur, qualis noſter quoque viſus eſt Oneſimus, ac Domini conceſſerint & li-

λευθερώ-

λυθερώσωσιν, καὶ τοῦ οἴκου ἐξαποστείλωσι, γινέσθω.

beraverint, & ædibus emiſerint, fiat. *Lib.*1.*c.*17.

πγ'.

Ἐπίσκοπος, ἢ Πρεσβύτερος, ἢ Διάκονος στρατείᾳ σχολάζων, καὶ βουλόμενος ἀμφότερα κατέχειν, Ῥωμαϊκὴν ἀρχὴν καὶ ἱερατικὴν διοίκησιν, καθαιρείσθω. Τὰ γὰρ Καίσαρος, Καίσαρι, καὶ τὰ τοῦ Θεοῦ τῷ Θεῷ.

LXXXIII.

Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus exercitui vacans, & utraque retinere volens, Romanum ſcilicet magiſtratum, & Sacerdotalem adminiſtrationem, deponatur. Quæ enim ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ Dei ſunt Deo. *Lib.*2.*c.*8.

πδ'.

Ὅς τις ὑβρίζει Βασιλέα, ἢ ἄρχοντα παρὰ τὸ δίκαιον, τιμωρίαν τιννύτω. Καὶ εἰ μὲν Κληρικὸς, καθαιρείσθω· εἰ δὲ Λαϊκὸς, ἀφοριζέσθω.

LXXXIV.

Quiſquis Regem vel Principem præter jus contumeliâ affecerit, pœnas luat. Et ſi ſit quidem Clericus, deponatur: ſi vero Laicus, ſegregetur.

πε'.

Ἔστω ὑμῖν πᾶσι Κληρικοῖς καὶ Λαϊκοῖς βιβλία σεβάσμια καὶ ἅγια. τῆς μὲν παλαιᾶς διαθήκης, Μωυσέως πέντε, Γένεσις, Ἔξοδος, Λευϊτικὸν, Ἀριθμοὶ, Δευτερονόμιον. Ἰησοῦ υἱοῦ Ναυῆ, ἕν. Κριτῶν ἕν. Ῥοὺθ ἕν. Βασιλειῶν

LXXXV.

Sint vobis omnibus Clericis & Laicis libri venerandi & ſancti, Veteris quidem Teſtamenti, Moſis quinque, Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium. Ieſu filij Nave unus. Judicum unus. Ruth unus. Reg-

τέσσαρα

τέσσαρα. Παραλειπομένων τῆς βίβλου τῶν ἡμερῶν, δύο. Ἔσδρα, δύο. Ἐσθὴρ, ἕν. Μακκαβαίων, τρία. Ἰὼβ, ἕν. Ψαλτηρίου, ἕν. Σολομῶντος, τρία, Παροιμίαι, Ἐκκλησιαστὴς, Ἆσμα ἀσμάτων. Προφητῶν, δεκαδύο. Ἡσαΐου, ἕν. Ἱερεμίου, ἕν. Ἰεζεκιὴλ, ἕν. ἓν Δανιήλ. Ἔξωθεν δὲ ὑμῖν προσιστορείσθω, μανθάνειν ὑμῶν τοὺς νέους τὴν σοφίαν τοῦ πολυμαθοῦς Σιράχ. Ἡμέτερα δὲ, τοῦτ᾽ ἔστι, τῆς καινῆς διαθήκης, Εὐαγγέλια τέσσαρα, Ματθαίου, Μάρκου, Λουκᾶ, Ἰωάννου. Παύλου ἐπιστολαὶ δεκατέσσαρες. Πέτρου ἐπιστολαὶ δύο. Ἰωάννου τρεῖς. Ἰακώβου, μία. Ἰούδα, μία. Κλήμεντος ἐπιστολαὶ δύο. καὶ αἱ διαταγαὶ ὑμῖν τοῖς Ἐπισκόποις, δι᾽ ἐμοῦ Κλήμεντος, ἐν ὀκτὼ βιβλίοις προσπεφωνημέναι, ἃς οὐ χρὴ δημοσιεύειν ἐπὶ πάντων, διὰ τὰ ἐν αὐταῖς μυστικά. Καὶ αἱ πράξεις ἡμῶν τῶν Ἀποστόλων.

norum quatuor. Paralipomenon, id eſt, derelictorum libri dierum, duo. Eſdræ duo. Eſther unus. Maccabæorum tres. Job unus. Pſalterij unus. Solomonis tres, Proverbia, Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum. Prophetarum XII. Eſaiæ unus. Jeremiæ unus. Iezechielis unus. Danielis unus. Extrinſecus autem à vobis intelligatur, debere veſtros adoleſcentes diſcere ſapientiam eruditiſſimi Sirach. Noſtri autem, id eſt, novi Teſtamenti, Evangelia quatuor, Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis, Pauli Epiſtolæ quatuordecim, Petri Epiſtolæ duæ. Joannis tres. Jacobi una. Judæ una. Clementis Epiſtolæ duæ; & Conſtitutiones vobis Epiſcopis per me Clementem in octo libris editæ, quæ non ſunt omnibus divulgandæ, propter ea quæ ſunt in eis myſtica. Et Actus noſtri Apoſtolorum. *Lib.2.c.9. Lib.1.c.17.*

ELENCHUS

ELENCHUS CAPITUM.

LIB. I. CAP. I.

I. *ECCLESIA Chriſtiana quare à Domino inſtituta.* II. *Eadem hodie in ſchiſmata & controverſias diſcerpta, quæ ortum plerunque habent ex humani ingenij imbecillitate, quâ ad extrema ruere proclives ſumus.* III. *Clariſſimum hujus rei documentum in controverſiâ de* Canonibus Apoſtolorum. Turriani & Dallæi *extremæ de iis ſententiæ.* IV. *Noſtra inter eas media, ab* Anonymo Obſervatore, *eò tantùm quòd in* Dallæanam *non ad amuſſim quadret, impugnata.* V. *Temeraria* Obſervatoris *aſſertio, Epiſcopalem autoritatem* Ignatij Epiſtolis & Canonibus Apoſtolorum *præcipuè inniti. Eam aliunde quam ex* Ignatij Epiſtolis *ſatis conſtare paucis indicatur.* VI. *Eandem autoritatem ante* Canones Apoſtolorum *juxta noſtram ſententiam conditos obtinuiſſe, ipſe* Obſervator *aliique ejuſdem oppugnatores concedunt. Quam propterea illis inniti inconſideratiſſimâ temeritate affirmatur.* VII. *Occaſio hujus ſcribendi tractatûs ab Obſervatore data.* VIII. *Ejuſdem ſcopus ac partitio.* pag. 1.

CAP. II.

I. *Noſtra de* Canonibus Apoſtolorum *ſententia, eos à Catholicis ſecundi tertiique ſeculi Synodis ſancitos ſtatuens.* II. *Hæc ſententia duabus obſervationibus*

ſervationibus explicatur: quarum prima eſt, frequentes iſtis etiam ſeculis, æque ac poſtea, habitas fuiſſe Synodos, quibus altiora quæque tractata ſunt: Quod probatur. III. *Altera obſervatio eſt, nihil in* Canonibus Apoſtolorum *haberi, quod Eccleſiaſticæ iſtorum temporum diſciplinæ non exactè reſpondet.* IV. *Hinc hi Canones nihil aliud nobis videntur, quam primitivarum Synodorum decreta. Quod de nonnullis eorum certò conſtat.* V. *Non ab uno ſed à pluribus conciliis conditi fuerunt. Et à diverſis etiam viris collecti. Unde orta eſt in numero eorum diverſitas.* Eccleſiaſtici *enim à nonnullis vocantur, ab aliis* Apoſtolici & Apoſtolorum. *Utriuſque nomenclaturæ ratio.* VI. *Synodi Primitivæ ex* Apoſtolorum *traditionibus controverſias determinare, legeſque ferre ſolebant. Hinc canonibus hiſce, ab iis ſancitis,* Apoſtolorum *nomen inſcriptum.* VII. *Noſtra de horum canonum antiquitate, quæ ſola controvertitur, ſententia.* Hincmarus Rhemenſis *eandem olim tenuit. Sed* Joannes Dallæus *aliter ſenſit: cujus opinio hic diſcutitur.* p. 9.

CAP. III.

I. Canonum Apoſtolorum *antiquitas à nobis aſſerta, ex quarti quintique ſeculi nondum adulti teſtimoniis ſatis probetur. Ea in duas claſſes reducuntur.* II. *Egregium S.* Athanaſij *de antiquis Eccleſiæ canonibus teſtimonium. Quod de aliis quam* Apoſtolicis *intelligi non poſſe, oſtenditur.* III. *Aliud ex ejuſdem Patris operibus pro Canonibus* Apoſtolicis *petitum argumentum.* IV. *S.* Baſilius *ſuum etiam teſtimonium hiſce canonibus* Apoſtolorum *tribuit, in Canonicâ ſuâ ad Amphilochium Epiſtolâ, Canone III. XII. necnon primo.* p. 15

CAP. IV.

I. *Synodus* Nicæna *canones* Apoſt. *vidit: quod probatur è Can.* Nic. 1, 2, 5. *Nonnullos etiam è Canonibus* Apoſt. *explicat, & confirmat: ut patet è Canonibus* Nicænis 9 & 10. *cum* Apoſtolicis 61 & 62. *necnon ex* Apoſtolicis 14 & 15. *cum* Nicænis 15 & 16. *collatis.* II. *Canones Antiocheni eadem præcipiunt, quæ* Apoſtolici: *Eodem etiam ordine plerunque obſervato: ut è collatione utriuſque collectionis liquet.* III. *Canones* Antiochenos *ex* Apoſtolicis *formatos eſſe, probatur, primo è ſtylo, qui in* Apoſtolicis *ſimplex eſt, in* Antiochenis *copioſus & paraphraſticus.* IV. *Idem probatur è Canone* Antiocheno 9. *Primus gentis cujuſque Epiſcopus non ante quartum ſeculum dictus eſt vulgo* Metropolitanus. V. *Probatur etiam è Can.* Antiocheno 20. *Mendum in dicto canone deprehenditur, & emendatur. Quare Synodus* Antiochena *primam quotannis Synodum*

nodum alio peragendam tempore, quam Nicæna, *decrevit.* VI. *Idem probatur è duobus ultimis Canonibus* Antiochenis, *de bonis Eccleſiæ. Primitiva Eccleſia nullos niſi ex fidelium oblationibus redditus habuit. Latifundia ei non niſi poſt* Conſtantinum M. *conceſſa.* VII. *Idem denique probatur ex eò quod Canones* Apoſtolici *aliorum Canonum nunquam mentionem faciant,* Antiocheni *ſæpe.* VIII. *Quo hæc omnia clarius elucescant, inquiritur in Canonum* Antiochenorum *occaſionem. Synodus iſta ex* Arianis *conſtabat. Baronij aliorumque error ex* Julij *verbis malè intellectis. Paulò ante hanc Synodum S.* Athanaſius *Eccleſiæ Alexandrinæ reſtitutus, & Paulus* CP. *Epiſcopus creatus eſt.* IX. *Synodus* Antiochena *canones ſuos contra Catholicos deſignavit. Quod ut occultiùs fieret, antiquos canones renovavit, iiſque novos, contra S.* Athanaſium & Paulum *CP. interſeruit, ut ejus reſtitutio, & hujus creatio invalida redderetur.* X. *Hinc tota canonum* Antiochenorum *occaſio & hiſtoria eruitur.* p.21.

CAP. V.

I. *Synodus* Gangrena *Eccleſiaſticos canones ab Euſtathianis violatos aſſerit. Quos eoſdem eſſe atque* Apoſtolicos *probatur.* II. *Synodum* Conſtantinopolitanam *An. D.* 382. *habitam, canones* Apoſtolorum *vidiſſe ac citâſſe oſtenditur.* III. *Eoſdem à Synodo* Carthaginienſi *iiſdem fere diebus celebratâ laudatos eſſe probatur.* IV. *Canones* Apoſtolici *præcipiunt Epiſcopum tertio citandum eſſe, priuſquam à Synodo judicetur. Hinc probatur dictos canones tertio generali concilio cognitos fuiſſe, utpote à quo Neſtorius tertio citatus eſt. Et canones Eccleſiaſtici id præcepiſſe ab eodem perhibentur.* V. *Eodem argumento probatur hoſce canones notos fuiſſe Synodo CP.* Eutychen, & *quartæ generali* Dioſcorum *tertio citanti.* VI. *Aliis argumentis hos canones Synodo* Chalcedonenſi *viſos & confirmatos fuiſſe demonſtratur.* p.40.

CAP. VI.

I. *Canones* Apoſtolicos *eoſdem eſſe atque* Eccleſiaſticos *à Patribus laudatos, è ſummâ inter eos convenientiâ ſatis conſtat.* II. *Hi canones nonnunquam ſub ipſo* Apoſtolorum & Apoſtolicorum *nomine laudati ſunt. Quod probatur primo* Alexandri Alexandrini *teſtimonio.* III. Conſtantinus M. Imp. *canonem* Apoſtolicum *ab Euſebio ſervatum laudat, eundemq; & à mandatis Dei & à canonibus* Eccleſiaſticis *diſtinguit.* IV. *Julius P. R. canones* Apoſtolorum *in* Gregorij *ordinatione in ſedem* Alexandrinam *violatos aſſerit.* V. *Canones* Apoſtolici *à concilio* Conſtantinopoli *An. D.* 394. *habito verbis conceptis laudati ſunt.* VI. *Iidem in Actis concilij*

 Epheſini,

Epheſini, Apoſtolici *etiam diſertè vocati ſunt.* VII. *Egregium* Theodoſij *Imp. hiſce canonibus*, Apoſtolicis *ab eo dictis, redditum teſtimonium.* p.50.

CAP. VII.

I. *Teſtimonia hactenus allata canonum* Apoſtolorum *antiquitatem ſatis probant: utpote quibus nihil deſideratur. Etiamſi unus & alter ſufficerent, nos plurimos teſtes adduximus.* II. *Teſtes à nobis adducti, non obſcuri fuerunt viri, ſed celeberrimi ex* Imperatoribus, Patribus, Conciliis. III. *Omnia ex iis recitata de* antiquis canonibus *teſtimonia, in* Apoſtolicis *unà perſpicuè inveniuntur.* IV. *Nonnulli ex antiquis à nobis adductis teſtibus canones hoſce* Apoſtolicos & Apoſtolorum *diſertè vocârunt. Quod ſummam eorum antiquitatem evincit:* p.59.

CAP. VIII.

I. *Canones* Apoſtolorum *ſexto ineunte ſeculo vulgo noti erant.* II. Dionyſius Exiguus *initio iſtius ſeculi L. priores* Apoſtolorum *canones latinè reddidit, ſuumque de iis teſtimonium dedit.* III. *Iiſdem diebus* Joh. Antiochenus *hos canones & ſuæ canonum collectioni & Nomocanoni inſeruit, eoſque reliquis antepoſuit. Hinc probatur hos canones codici canonum Eccleſiæ Orientalis tunc temporis præfixos fuiſſe, & quidem ſub* Apoſtolorum *nomine.* IV. *Codex canonum Eccleſiæ orientalis canonibus* Apoſtolorum *longè ante* Joh. Antiochenum *præmunitus fuit: quod ex ipſius verbis oſtenditur.* V. *Eodem tempore ipſe* Juſtinianus *Imperator, horum ut ab* Apoſtolis *traditorum canonum meminit, eoſque confirmavit.* VI. *Ex ejuſdem* Imperatoris *verbis hos canones longe ante iſtud ſeculum conditos fuiſſe evincitur.* VII. *Ab iſtis demum temporibus canones* Apoſtolorum *unum cum Synodalibus codicem conſtituerunt, à Synodo Trullanâ confirmatum, & ab eo uſque in Oriente obtinentem.* VIII. *Secunda* Nicæna *Synodus & Eccleſia Orientalis, Synodum iſtam* Trullanam, *à quâ confirmati ſunt hi canones, univerſalem eſſe judicavit.* p.63.

CAP. IX.

I. Ἀνασκευὴ *argumentorum, quibus noſtra de* Canonum Apoſtolorum *antiquitate ſententia innititur.* II. *Adverſariorum de eâ re ſententia* Gelaſij P. R. *decreto præcipuè fundatur.* III. *Nihil certi ex iſto decreto inferri poteſt. Non liquet ſaltem* Canones Apoſt. *in eo antiquitùs memoratos fuiſſe.* Hincmarus Remenſis *contrarium aſſeruit.* IV. *Dallæana verbi* miſit *cum* omiſit *in Hincmaro commutatio, quam abſurda ſit & fruſtranea.* V. *Aliis contra Hincmari verba exceptionibus reſpondetur.* VI. *Ut*

VI. *Ut Obſervator particulam* nec *in iiſdem Hincmari verbis tranſpoſuit, quo ad ſuas ea partes trahat: quod abſurdiſſimum eſſe oſtenditur.* VII. *Etſi demus* Gelaſium Canones Apoſt. *inter Apocryphos rejeciſſe, nihil ex eo contra noſtram de iis ſententiam concludi poteſt.* p.73.

CAP. X.

I. Dallæi & Obſervatoris *exceptionibus contra teſtimonia pro* Canonum Apoſt. *antiquitate, modò reſpondendum.* II. *Exceptiones Dallæanæ* Turrianicam *magis quam* noſtram *ſententiam attingunt:ubi* noſtram, *facilè diluantur.* III. *Dallæi exceptio contra teſtimonium S.* Athanaſij: *quâ noſtræ ſententiæ ſubſcribit potiùs quàm adverſatur.* IV. *Teſtimonium S. Baſilij defenditur. Ratio iſta,* non vindicabis bis in id ipſum, *canoni Apoſtolorum XXV. aliâ quam primi conditoris manu adjecta videtur.* V. *S.* Baſilium *rationem iſtam canoni annexam vidiſſe, probabile eſt.* VI. *S.* Baſilius *aliam inſuper iſtius ſanctionis rationem reddit, ad quam legis conditores reſpexiſſe ei videntur. Unde vis Dallæanæ exceptionis contra hoc teſtimonium tota evertitur.* VII. *Alia S. Baſilij teſtimonia ab exceptionibus Dallæanis vindicantur.* p.81.

CAP. XI.

I. *Synodi* Nicænæ *teſtimonium pro Canonibus* Apoſtolorum, *ex primo ipſius Canone de* Eunuchis *petitum, defenditur.* II. *Quæ contra alia ejuſdem Synodi teſtimonia excipiuntur, paucis diſcutiuntur.* III. *Synodi* Antiochenæ *teſtimonia vindicantur. Quare canones* Apoſtolorum *ſub numeris, quibus diſtincti ſunt, antiquitùs non laudati fuerunt.* IV. *Palmaria, contra teſtimonia à nobis adducta, exceptio, ex eo ſumpta, quod omnes antiquiores à Synodis citati canones inter* Apoſtolicos *non inveniantur.* V. *E quatuor iſtiuſmodi productis canonibus, contra duos excipitur, viz.* Syn. Nic. *Can. XVIII.* & Neocæſ. *XV. ut huc minimè pertinentes.* VI. *Reliquos duos ſive* Nic. *XIII.* & Ancyr. *XXI. Dallæi cauſam non promovere oſtenditur.* VII. *A canonibus* Apoſtolicis *injuſtè exigitur, ut omnes ab antiquis Synodis laudati canones inter eos invenirentur.* VIII. *Aliæ à Dallæo contra teſtimonia à Synodis* Nic. & Antioch. *allatæ exceptiones diluuntur.* IX. *Diſcutiuntur, quæ* Obſervator *in hâc diſputatione obſervanda præſcribit.* X. *Quam temerè ſibi propoſuit* Obſervator, *omnia pro canonibus* Apoſtolorum *teſtimonia deſpectui habere, quamdiu canones à Synodis laudati ad alia quæcunque ſcripta, vel etiam ad priſcam conſuetudinem referantur.* XI. *Non mirum eſt quod Canones* Apoſtolorum *à Synodo Antiochenâ renovati fuerint.* p.89.

CAP. XII.

I. *Synodi* Gangrenſis *teſtimonium pro canonibus* Apoſtolorum *vindicatum aſſeritur.* II. *Teſtimonium Synodi* Conſtantinopolitanæ *à quatuor* Obſervatoris *exceptionibus defenditur.* III. *Euſebij locum ab* Obſervatore *productum, nihil ad rem facere probatur.* IV. *Concilij* Carthaginienſis *teſtimonium vindicatur.* V. *Alia è Synodis* Epheſinâ & Chalcedonenſi *teſtimonia, quibus adverſarij nihil reſponderunt.* VI. *Concilium* Chalcedonenſe *per τοὺς πάλαι κανόνας nec* Antiochenos, *nec* Carthaginienſes, *ſed* Apoſtolicos *ſolos intelligere potuit.* p. 103.

CAP. XIII.

I. Alexandri Alexandrini *teſtimonium vindicatur. Is nec ad* Elliberitanos, *nec ad* Arelatenſes *canones reſpexit.* II. *Canon non ſcriptus non potuit ab* Alexandro *dici* Apoſtolicus. *Ad locum* Epiphanij *de hâc re reſpondetur.* III. Conſtantini M. *Imp. teſtimonium defenditur. Canon* Apoſtolicus *ab eo memoratus, de Apoſtolorum traditione intelligi non poteſt. Et ſi ita intelligatur, nihil noſtræ opinioni adverſatur.* IV. *Contra* Julij *P.R. teſtimonium nihil objectum.* V. *Concilij* Conſtantinopolitani *teſtimonium* Obſervator *ſex oppugnavit exceptionibus, quarum* prima *nihil eſt quam vel conceſſio, vel petitio principij.* VI. Secunda *exceptio de diſſonantiâ inter canones* Apoſt. & CP. *refellitur. Ut* & Tertia *de Balſamone, Zonarâ & Ariſteno, canones* Apoſtolorum *hic non citantibus. Synodus Carthaginienſis nec canonibus* Apoſtolicis *nec decreto CP. adverſatur.* VII. *Ad* quartam *exceptionem ſæpe reſponſum eſt:* & quinta *τὸ ἐν ἀρχῇ poſtulat.* VIII. Ultima *exceptio diluitur. Patres CP. nec ad canones* Antiochenos *reſpexerunt, nec ad Nicænos. S.* Hieronymi *locus explicatur.* IX. *Teſtimonium Synodi* Epheſinæ *defenditur. In eo nec* Nicænus *nec* CP. *canon indicatur, ſed* Apoſtolicus. X. *Contra illuſtre* Theodoſij *Imp. teſtimonium à nobis adductum, nihil ab adverſariis exceptum eſt.* p. 113.

CAP. XIV.

I. Juſtiniani *Imp.* & Joh. Antiocheni *teſtimonia vindicanda reſtant.* II. *Licet* Juſtinianus *poſt An. D.* 451. *imperare cœperit, ejus tamen teſtimonium ſummo jure in hâc cauſâ admittendum eſt, ut doctiſſimorum iſtius ætatis virorum ſententiâ innixum.* III. *Qualem exceptionem contra Imp. teſtimonium ex* Oraculis Sibyllinis *formavit* Obſervator. *Quantum ſit diſcriminis inter* Juſtinianum *de canonibus Apoſtolorum*, & Juſtinum *de Sibyllarum carminibus differentem?* IV. *Sibyllina Ora-*

cula quæ hodie circumferuntur, longe alia ſunt atque ea quæ à Juſtino *M. aliiſque antiquis Patribus laudata fuerunt. Proinde ex iis contra hæc diſputare iniquum eſt.* V. *Carmina* Sibyllina *à* Juſtino *M. citata, ante An. D.* 138. *facta fuiſſe, ex eo ſatis conſtat, quod ab ipſo tantâ confidentiâ citentur, & in toto terrarum orbe extare dicantur.* VI. *Alij ejuſdem ætatis ſcriptores præter* Juſtinum *M. oracula* Sibyllina *laudârunt. Inſigne de iis teſtimonium ex* Origene *petitum.* VII. Clementis Alexandrini, *de S.* Paulo Sibyllam *citante, verba, ab alieno in ea nuper conjecto ſenſu vindicata.* VIII. Clementem Romanum *Sibyllæ oracula vidiſſe ac citâſſe probabile eſt.* IX. *Eadem ante An. D.* 138. *extitiſſe, ex Joſepho, Strabone, aliiſque probatur.* X. *Antiqua* Sibyllæ *oracula igne in Capitolio abſumpta ſunt, aliaque variis è locis illuc poſtea tranſportata, quæ in Chriſtianorum manus venire potuerunt.* XI. *Vera de iſtis ſententia contra* Blondellum *explicata & aſſerta.* XII. *Quam futilis ſit* Obſervatoris *reſponſio ex Carminibus Sibyllinis ſumpta, è præmiſſis evincitur.* XIII. Conſtantinum *M. de Sibyllarum oraculis, &* Juſtinianum *de Apoſtolorum Canonibus magnificè locutum eſſe, mirum nemini videatur.* XIV. Juſtinianus *Imp. hos Canones ipſis Apoſtolis aſcribens, non elevat, ſed confirmat noſtram de iis opinionem.* p. 131.

CAP. XV.

I. Joh. Antiocheni *Teſtimonium ab* Obſervatoris *exceptionibus defenditur. Canones* Apoſtolorum *nomocanoni ante eum inſerti fuerunt.* II. Nomocanon *quid proprie vulgoque ſignificet.* Joh. Antiochenus *nomocanonem componere non potuit, nec quoſvis ei canones inſerere. Neque hoc ille in ſe ſuſcepit.* III. *Etſi* Juſtinianus & Joh. Antiochenus *hos canones ipſis Apoſtolis adſcripſerint, noſtra tamen ex eorum teſtimonio ſententia clare ſatis evincitur: Dallæana autem penitus evertitur.* IV. *Inter* Gelaſij P.R. *noſtramque de canonibus* Apoſtolorum *ſententiam nulla eſt ἀσυμφωνία.* p. 151.

CAP. XVI.

I. *Quare Canones Apoſtolorum* Codici canonum Eccleſiæ univerſæ *non ſunt inſerti?* II. *Eum qui* Codicem *iſtum compoſuit, illos tantum canones, quos Synodus* Nicæna *edidit vel recepit, quique poſtea Sanciti ſunt, colligere, in animo habuiſſe probatur.* III. *Canones* Ancyrani & Neocæſarienſes *Codici propterea inſerti ſunt, quod à* Syn. Nic. *recepti. Idem dici nequit de* Sardicenſibus *à ſecundâ Synodo, ut Patribus* Florentinis *viſum eſt, receptis. Ipſi ſecundæ generalis Synodi canones Codici non ſunt inſerti ante quartam* Chalcedone *habitam. Synodi* Florentinæ *teſtimonium*

in:

in hac cauſâ vindicatur. IV. *Etſi canones* Ancyrani & Neocæſarienſes *non fuiſſent à* Syn. Nic. *confirmati, Codici tamen inſerendi erant, ut iiſdem diebus editi.* V. *Canones* Apoſt. *primitivæ ante* Syn. Nic. *Eccleſiæ diſciplinam exhibere aſſeritur. Collectores canonum Eccleſiæ univerſæ nullam* Apoſtolicos *memorandi occaſionem habuerunt.* VI. *Nullum ex antiquis iſtius Eccleſiæ decretis* Codici Eccleſiæ Africanæ *inſertum eſt.* D. Cyprianus *nihil de tranſmarinis appellationibus ſtatuit. Non opus erat, ut antiquior iſtius Eccleſiæ Codex novo conjungeretur, vel in eo commemoraretur.* VII. *Ex eo quod Synodi antiquæ canones* Apoſt. *non nominatim memorârint, non ſequitur eos tunc non extitiſſe.* VIII. *Canones* Apoſt. *Patribus* Nicænis, Antiochenis, &c. *incognitos fuiſſe, neutiquam ex eo ſequitur, quod ab illis indicato numero non laudentur. Omnia antiquiorum conciliorum Acta interciderunt.* p.158.

CAP. XVII.

I. *Ex eo quod* Euſebius & Hieronymus *horum canonum non meminerunt, nihil contra eorum antiquitatem concludi poſſe, exinde evincitur, quod nec alios antiquos canones memorârunt.* II. *Canones* Apoſtolorum *poſt Synodum* Nicænam *in deſuetudinem abire cœperunt, aliis eorum loco ſubſtitutis. Ita tamen ut eorum memoria non penitus interciderit.* III. *Hi Canones antiquitùs* Eccleſiaſtici *ſæpius vocati ſunt.* IV. *Primi eorum conditores in animo non habuerunt, ut hi canones ab ipſis* Apoſtolis *ſanciti crederentur. Canones XXIX. L. LXXXII. & LXXXV. quibus* Apoſtolorum *nomen ſubindicatur, corruptos, ac interpolatos eſſe oſtenditur.* V. *Quatuor illegitimis, quas* Obſervator *è præmiſſis ſuis infert, conſequentiis breviter reſpondetur.* VI. *Libri primi Epilogus.* p.172.

LIB. II. CAP. I.

I. D*Iſcuſſis in priori libro externis, interna contra* Canones Apoſtolorum *argumenta modo diſcutienda reſtant.* II. *Si nihil in hoc* Codice *ſecundi tertiique ſeculi diſciplinæ diſſentaneum eſſe conſtiterit, controverſia de antiquitate ipſius, ut à nobis aſſertâ, dirimetur.* III. *Hanc de rebus in hoc codice comprehenſis, Adverſarij etiam nobis extorſerunt diſſertationem.* IV. *Methodus ejuſdem, necnon finis fructuſque.* p.181.

CAP.

CAP. II.

I. *Primus* Apoſtolorum *canon vindicatur.* Epiſcoporum *ſupra* Preſbyteros *autoritas nullo unquam canone aut lege Eccleſiaſticâ inſtituta fuit, & tamen ubique ſemper obtinuit. Unde eam* Apoſtolicæ inſtitutionis *eſſe liquet.* II. *Ut Epiſcopus à duobus aut tribus Epiſcopis ordinetur,* Apoſtolorum *doctrinæ conſonum eſt. Quid ſit* πρεσβυτέριον *apud D.* Paulum. III. *Secundus canon defenditur.* Epiſcopi & Presbyteri *vocabula ſecundo ſaltem ſæculo diſtinctè uſitata ſunt. Proinde non mirum eſt quod ita in hoc Codice uſurpentur.* IV. *Secundo tertioque ſeculo præter* Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos, *alij in Eccleſiâ conſtituti ſunt Clerici*, Hypodiaconi, Lectores, Cantores, &c. V. *Incenſum oblationis tempore à Primitivâ Eccleſiâ uſurpari ſolitum, juxta quod tertio* Apoſtolorum *canone præcipitur.* VI. *Quartus canon* Apoſtolorum *lege cæremoniali non innititur, ſed ei potius adverſatur.* VII. *Fructuum* primitias *ab Eccleſiâ primitivâ offerri ſolitas, è quarti ſeculi, necnon ſecundi tertiique monumentis probatur.* p.185.

CAP. III.

I. *Canones* Apoſtolorum *V. & VI. adverſariis judicibus, & ævo & doctrinæ Apoſtolorum conſentanei ſunt.* II. *Canon VII. defenditur, ac illuſtratur. Aſianæ tantum Eccleſiæ* Paſcha *quartadecimâ lunâ celebrabant.* III. *Idem quod hoc canone continetur, à primitivis Synodis ex* Apoſtolicâ *traditione conſtitutum fuit.* IV. *Canones VIII. & IX. de frequenti communione illuſtrantur.* V. *Primitivi Chriſtiani quandocunque ſacros habebant conventus, myſtici corporis, ſanguiniſque Chriſti participes erant.* VI. *Sacrorum conventuum* & Euchariſtiæ *in iis celebrandæ modus antiquus è* Juſtino *M. illuſtratus.* VII. *Hoc Sacramentum in omnibus primorum Chriſtianorum conventibus celebratum fuiſſe, è* Plinio *ſecundò*, Tertulliano, & Clemente Alexandrino *oſtenditur.* VIII. *Plurimi è primitivis Chriſtianis quotidie communicabant. Egregius de eâ re D.* Ambroſij *locus. S.* Baſilius *quater ſaltem ſingulis ſeptimanis communicavit. D.*Chryſoſtomi *exhortatio ad frequentem communionem.* IX. *Ipſi* Apoſtoli *Euchariſtiam frequenter celebrare conſueti ſunt.* Καθ' οἶκον *in Act. Apoſt. idem quod* ἐν οἴκῳ. X. *Qui à frequenti communione ſe abſtinent, merito excommunicantur, juxta quod hoc canone* Apoſt. *conſtituitur.* p.194.

CAP.

CAP. IV.

I. *Canon* Apoſt. *XVII. de* Digamis & concubinariis *non ordinandis, vindicatur.* II. *Canones XXI. XXII. XXIII. de* Eunuchis, *defenduntur.* Valeſij *hæretici hiſce canonibus occaſionem dediſſe videntur, vel poſt eos* Origenes. III. Leontium *à ſe caſtratum nec ad Laicam communionem admittendum fuiſſe affirmat S.* Athanaſius. *Quod de ſolo canone* Apoſt. *XXIV. intelligi poteſt, non de* Nicæno *I. utpote quo nihil eâ de re decernitur.* IV. *Ex eo quod* Epiphanius *canones* Apoſtolicos *contra Valeſios non laudârit, nequaquam ſequitur eos tunc temporis non extitiſſe.* V. *Canones* Apoſtolorum *XXVII. & XXX. de Epiſcopis Presbyteris, & Diaconis alios verberantibus, & vel pecuniâ vel ſecularium poteſtatum ope promotis agentes, vindicantur.* p. 204.

CAP. V.

I. *Canon* Apoſtolorum *XXXIV. de* primis Epiſcopis, *defenditur.* τὰ ἀρχαῖα ἔθη *apud Synodum* Nic. *non novitatem ſed antiquitatem potius jurium* Metropoliticorum *indicant. Antiqua conſuetudo pro lege habenda eſt.* II. *Privilegia à* Syn. Nic. *nonnullis Eccleſiis aſſerta, Metropolitica erant. Quænam illa fuerint. Ex iis antiquitas Canonis hujus* Apoſtolici *evincitur.* III. *Horum ſupra illos Epiſcopos præſidentia, è Synodis de Paſchâ habitis demonſtratur. Singulæ iſtæ Synodi ſuos habebant Præſides. Quare* Palma Amaſtridis *Epiſcopus Synodo* Ponticæ *præerat, cum* Heraclea *iſtius provinciæ metropolis eſſet.* IV. Cæſarea *Metrôpolis erat* Palæſtinæ. *Hinc Epiſcopus* Cæſarienſis Hieroſolymitano *præfertur: illique à* Syn. Nic. *jura ſua Metropolitica confirmantur, huic conſequentiâ tantùm honoris indultâ.* V. *Quare in Palæſtinâ duo, in aliis Synodis unus præſediſſe dicatur: ut* Victor *Romanæ.* Metropoliticarum, *non item aliarum ſedium Epiſcopi nominatim ab hiſtoricis recenſentur.* VI. Lugdunum *Galliæ Metropolis erat. Quid vox* Παροικία *antiquitùs ſignificarit?* Irenæus Lugdunenſis *totius Galliæ Primas erat. Quare Synodi in* Oſroenâ *habitæ nullus præſes nominetur.* VII. Epheſus *Aſiæ Proconſularis Metropolis fuit. Hinc* Polycrates *Epheſinus omnibus Aſiæ Epiſcopis præerat. Unde* Metropolitanorum *antiquitas aſſeritur. Necnon ex* Ignatii & Dionyſij Corinthiaci *ſcriptis.* VIII. Africa *etiam ſuum* Metropolitanum *habuit,* Epiſcopum *Carthaginienſem. Quam late fuerit ejus provincia. Triplex vocis* Africæ *ſignificatio. Ut* Numidia & Mauritaniæ *Africæ adjectæ ſunt.* Carthago *omnium Africæ provinciarum Metropolis.* IX. *Aliæ in Africâ fuerunt Metropoles & primæ ſedes, ab Epiſcoporum ordinatione denominatæ. Unde ſingulare Afris cenſuræ*

cenſuræ genus. X. *D.* Cypriani *tempore, is ut Epiſcopus Carthaginienſis omnibus* Africæ, Numidiæ, & Mauritaniæ *Epiſcopis præerat: Quod ex ipſius Epiſtolis probatur.* XI. *Hinc colligitur tribus primis ſeculis* Metropolitanos *in univerſâ Eccleſiâ conſtitutos eſſe, quorum jura à* Syn. Nic. *aſſeruntur.* XII. *Romanum Imperium initio Evangelij in provincias diſtributum fuit, quæ ſingulæ ſingulos habebant Præſides. Ad hanc Imperij diſpoſitionem* Apoſtolos *in Eccleſiâ propagandâ reſpexiſſe, è variis ſcripturæ locis probatur.* XIII. *Idem ex Epiſtolis D.* Pauli *ad* Provincias, Metropoles, *aut* Metropolitanos *omnibus miſſis demonſtratur.* XIV. *Item è Synodo* Hieroſolymitanâ *ab Apoſtolis habitâ: necnon ex Actis Apoſtolorum & D. Johannis Apocalypſi.* XV. *Quare Apoſtoli ſummam* Metropoleon *curam habuerint? Hinc* Metropolitanorum *primatum ab Apoſtolis manâſſe aſſeritur: licet non particularia eorundem Privilegia.* XVI. *Nonnullæ Eccleſiæ honorem præ aliis habuerunt, ut ab ipſis Apoſtolis fundatæ. Sed illæ niſi* Metropoles *eſſent, aliis ſubjectæ ſunt. Quod è Synodis* Nicænâ, Antiochenâ & Taurinenſi *probatur. E præmiſſis canon* Apoſt. *XXXIV. vindicatur.* XVII. Metropolitanus *jure primus eſt ubique gentium Epiſcopus, & ſpeciatim in* Angliâ. *Ut cujus Metropolis erat* Cantuaria *cùm primò ad fidem converſa eſt.* XVIII. Metropoles *in Eccleſiæ notitiâ ſemper eædem: Imperij mutationibus non ſubjectæ. Quod è canonibus & Actis Syn.* Chalcedonenſis *probatur.* XIX. *In Eccleſiâ Anglicanâ* Cantuaria *juxta Synodi* Chalced. *decretum primatum ſemper obtinuit: Licet* Lichefelda, & Londinum *eum ſibi nonnunquam vindicârint. De* Archiflaminibus *nihil in antiquitate occurrit. Hodie non conſtat quænam olim fuerit Britannorum Metropolis.* XX. *Controverſia inter Archiepiſcopum* Cantuarienſem & Eboracenſem *alîus erat generis, & citò ſedata.* XXI. *Hujus diſſertationis Epilogus.* p.210.

CAP. VI.

I. *Canon* Apoſt. *L. de* trinâ merſione *in baptiſmo. Quam antiquus fuerit iſte ritus. A Patribus inter* Apoſtolicas *traditiones recenſetur.* II. *Nihil eſt ineptiæ, nedum vitij in hac ſanctione: per quam deponuntur illi ſoli qui unâ merſione in mortem Domini datâ baptizant.* III. *Objectio contra hujus Canonis antiquitatem ex eo petita, quod* Eunomiani *quarto ſeculo exorti, non trinâ ſed unâ merſione in mortem Domini, primi baptizâſſe perhibeantur.* IV. *Huic objectioni reſpondetur. Nec* Socrates, *nec* Sozomenus *Eunomium dixit in mortem Domini primum baptizâſſe. Alij longe ante* Eunomium *in nomine ſolius Chriſti baptizantes hæritici, amplam ſatis huic condendo canoni occaſionem præbuerunt.* V. Eunomij *hiſtoriam, ut à Theodoreto traditam, antiquitatem hujus canonis confirmare potius quam elevare oſtenditur.* VI. *Traditiones non ſcriptæ Patribus eæ dicuntur, quæ in S. ſcripturis non continentur: non iſtæ quæ nec in ſcriptis Eccleſiaſt. habentur. Cujus rei ſpecimen è S. Baſilio datur.* p.247

CAP. VII.

I. *Quid contra Canones* Apoſt. *LII.* & *LXXII. de* pœnitentibus recipiendis *objectum eſt?* II. Pœnitentes *ſecundo tertioque ſeculo ab Eccleſiâ receptos eſſe probatur. Quod ſi Clerici eſſent, ad Laicam tantùm communionem admiſſi ſunt.* III. *Quicquid his canonibus decernitur,* Apoſtolorum *doctrinæ convenit.* IV. *Canon LX. de* libris hæreticis. *Multi hujuſmodi libri iſtis diebus editi ſunt: A* Valentino, Marcione, & *aliis. Evangelium ſecundum* Ægyptios, *ſecundum* Hebræos, Judæ, Veritatis. V. *Canon* Apoſtolorum *LXIII. Apoſtolorum doctrinæ* & *decreto conſonat. Lex Moſaica de ſanguine* & *ſuffocatis non edendis neceſſaria judicata eſt obſervatu aliquandiu poſt Apoſtolos. Ab Eccleſiâ Occidentali diu obſervata fuit, ab Orientali ad hunc uſque diem.* VI. *Canon LXVI. defenditur. Primitiva Eccleſia* die dominico *non jejunabat, neque* Sabbato, *niſi* magno. *Hæreſis* Marcionis *huic de* Sabbato non jejunando *ſanctioni materiam dedit.* VII. *Poſt extinctam iſtam hæreſin, nonnullis in locis* Sabbato *jejunatum eſt, aliis non. D.* Ambroſij *de hujuſmodi rebus conſilium.* p. 256.

CAP. VIII.

I. *Canon* Apoſt. *LXIX. de* Quadrageſimâ & *quartâ ſextâque feriis jejunandis, in proximo libro ſeorſim vindicatur.* II. *Canon LXXII. defenditur.* Cera & Oleum *ab Eccleſiâ primitivâ quamobrem uſitata?* III. *Canon LXXIII. vindicatur. Apoſtolos ædes Dei cultui conſecratas habuiſſe pluſquam veriſimile eſt: Vaſa* & *aurea* & *argentea proximis poſt eos ſeculis in uſu fuiſſe, certiſſimum.* IV. *Canones LXXXI.* & *LXXXIII. de iis qui civiles unà cum Eccleſiaſticis dignitatibus obtinebânt, defenduntur.* Paulus Samoſatenus & *Epiſcopus fuit* & *Ducenarius.* p. 266.

CAP. IX.

I. *Ultimus Canon* Apoſtolorum. *Quot* & *quales contra eum objectiones edidit* Dallæus? *Quæ tamen Turrianicam magis quam noſtram opinionem perſtringunt.* II. *Libros* Maccabæorum *antiquitùs in hoc canone non recenſitos eſſe, Joh. Antiocheni collectio,* & *Eccleſiæ Græcæ uſus fidem faciunt.* III. *Libri illi inter Canonicos S. ſcripturæ libros ante Syn.* Nicænam *numerati ſunt: nec duo tantum ſed tres.* IV. Conſtitutiones Apoſtolorum, *ut hodie in hoc Canone lectæ. Has eaſdem eſſe quas* διδαχὰς *ſeu* διδαχὴν τῶν Ἀποστόλων *ab* Euſebio & Athanaſio *memoratas, nonnulli judicârunt.* V. *Quare iſta opinio nobis etiam veriſimilis videatur.* Conſtitutionum *opus* Doctrina *ſæpe appellatur.*

VI. Con-

VI. Conſtitutiones Apoſt. *Epiphanio viſæ ſunt, laudatæ, ac perinde habitæ ac ſi ab ipſis Apoſtolis editæ fuiſſent.* VII. *Haud mirum eſt, ſi* Conſtitutiones *iſtæ inter ſacros ſcripturæ libros numeratæ eſſent ante Syn.*Nicænam. VIII. *Verum iſtæ hoc ultimo Canone* Apoſt.*inter Canonicos libros non recenſentur, ſed ab iis apertè diſtinguuntur.* IX. *Earum mentio aliâ ac primi conditoris manu huic canoni inſerta eſt. Inter* Canones Apoſt. & Conſtitutiones *antiquitùs diſconvenit.* X. Clementis *Epiſtolæ, ut hic memoratæ. Duæ ab antiquis patribus celebratæ, ab ipſo etiam* Dionyſio Corinthiorum *Epiſcopo: cujus verba explicantur. Quæ ſecunda dicitur, prima ſcripta fuit, idque ſub* Clementis, *ut altera ſub Eccleſiæ Romanæ nomine.* XI. *Quæcunque pro ſacris habitæ ſunt ſcripturis olim unà cum Canonicis promiſcuè numeratæ ſunt.* XII. *In MS.* Alexandrino *hæ duæ* Clementis *Epiſtolæ libris Canonicis ſubjunguntur. Syllabus librorum qui in iſto Codice habentur. Non mirum eſt quod hæ Epiſtolæ huic Canoni inſertæ ſint.* XIII. *Ex* Apocalypſi *in hoc Canone prætermiſſâ nihil contra ejus antiquitatem concludi poteſt. Liber iſte diu in dubium vocatus fuit. Ex ultimo hoc Canone antiquitas hujus ſylloges adſtruitur potius quam elevatur.* p. 272.

CAP. X.

I. *Communia Dallæi argumenta contra Canones Apoſtolorum. Quorum primum è* vocabulis *ibi uſitatis ſumitur.* II. *Hæc objectio noſtram non attingit opinionem. Vocabula* Κληρικὸς, Ἱερεὺς, Λαϊκὸς, Ἱερατικὴ διοίκησις, Ἀναγνώστης, Ψάλτης, *ab Eccleſiæ primordiis uſitata fuiſſe oſtenditur.* III. *Idem probatur de vocabulis* προσφορὰ, θυσία, Sacrificium: θυσιαστήριον, Altare. IV. *Diſcrimen inter* βωμὸν & θυσιαστήριον *à Patribus diligenter obſervatum. Euchariſtia quare* θυσία, Sacrificium, & Oblatio *dicatur, & ſacra menſa* Altare. *Ita ab Irenæo & Juſtino M. dicuntur.* V. *E vocabulis* Ποιμνιον, Κυριακὴ, ἀρχιερατεῦον, ὁ πρῶτος ἐν ἐπισκόποις, *nihil contra antiquitatem horum Canonum concludi poteſt.* p. 293.

CAP. XI.

I. *Altera communis objectio contra Canones Apoſt. ex eo petita, quod* Epiſcopi & Presbyteri *in iis diſtinguantur. Iſta diſtinctio ab Eccleſiâ recens natâ obtinuit.* II. *Clemens Alex.* Epiſcopum & Presbyterum, *non minus quam* Presbyterum & Diaconum *diſtinguit.* III. *Eadem diſtinctio ex* Origene & Dionyſio Alexandrino *demonſtratur: necnon è* Tertulliano, *qui Epiſcopum* Summum Sacerdotem *vocat.* IV. Clemens Alex. Origenes, & Tertullianus *Epiſcopos in ipſis Apoſtolorum ſcriptis diſtinctos eſſe à Presbyteris, adeoque ab ipſis Apoſtolis diſtinctè inſtitutos judicârunt.*

V. *Idem ex* Tertulliano *iterum probatur, necnon ex* Irenæo. *Multi Preſbyteri Epiſcopo Romano ſubjecti ſunt, qui tamen nihil magni momenti ſine eo facere potuerunt.* VI. Polycarpus *Epiſcopus ab Apoſtolis ordinatus, Presbyteros ſibi ſubjectos habuit. Primi Eccleſiarum* Epiſcopi *ſoli celebrantur, non item* Presbyteri. VII. Epiſcoporum *à* Presbyteris *diſtinctio, eorumque ſupra hos autoritas è* Dionyſio *etiam Corinthiaco demonſtratur.* VIII. *Nonnullos proxime poſt Apoſtolos, primo* Presbyteros, & *deinde* Epiſcopos *ejuſdem Eccleſiæ fuiſſe probatur.* IX. *Hæc diſtinctio ex iis etiam qui cum Apoſtolis verſati ſunt,* Ignatio & Clemente Romano *evincitur.* Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi *in Eccleſiâ Chriſtianâ, æque ac* Pontifex, Sacerdotes, & Levitæ *in Judaicâ diſtincti, iiſdemque nominibus antiquitùs appellati ſunt.* X. Clementis Rom. *locus explicatur.* Διάκονος *iſtis diebus generale erat omnium Eccleſiæ miniſtrorum nomen. Clemens non de ſuâ ætate loquitur, ſed quid Apoſtoli ſtatim poſt Domini aſcenſum agebant, docet: Cùm Eccleſiæ regimen perpetuo duraturum nondum inſtitui potuit.* XI. *Quod* Epiſcopi *ab Apoſtolis* Presbyteri *nominentur, nihil contra nos facit. Nam initio Eccleſiæ Judaicæ etiam* Summus Sacerdos *ſimpliciter* Sacerdos *dictus fuit.* XII. *Ex iis quæ Apoſtoli ſtatim poſt Chriſti aſcenſum fecerunt, nihil de perpetuo Eccleſiæ regimine concludi poteſt. Ipſi ſpiritum per Chriſtum ſibi inſufflatum, per* χειροθεσίαν *aliis communnicârunt. Quo modo in Apoſtolorum ſucceſſores infunditur.* XIII. *Quæſtio de* Epiſcoporum *ſupra* Presbyteros *autoritate, ut rite inſtituatur, ita ut determinari poſſit.* XIV. *Singuli* Apoſtoli *totam* Apoſtolicam *autoritatem ſibi commiſſam habuerunt, ac proinde eandem in ſingulares perſonas tranſmittere debuerunt.* XV. *Hanc autoritatem Apoſtoli ſingularibus perſonis,* Timotheo & Tito *commiſerunt; ideoque & aliis, ſiquidem uniformitati in Eccleſiâ ſtuderent.* XVI. *Eandem apud ſingulares perſonas ab Apoſtolis depoſitam fuiſſe, hiſtoriæ Eccleſiaſticæ fidem faciunt. Ipſi etiam adverſarij negare nequeunt, quin ſingulares perſonæ eandem ſtatim poſt Apoſtolos exercuerint.* XVII. *Primi Apoſtolorum ſucceſſores Eccleſiaſticæ adminiſtrationis formam ab iis inſtitutam nec voluerunt, nec potuerunt immutare. Nullus unquam* Presbyter *ante noſtrum & præcedens ſeculum, præter* Aerium, *ſe* Epiſcopo *parem exiſtimavit.* XVIII. *Nihil inter* Jus divinum *ac* Apoſtolicum *intereſt. Antiquiſſimi Patres Epiſcopalem autoritatem* Jure divino *inſtitutam eſſe conſenſerunt.* XIX. *Hujus diſſertationis concluſio.* p. 300.

CAP. XII.

I. *Canones Apoſt. XLVI. XLVII. LXVIII. de* hæreticorum baptiſmo *non admittendo. Quid contra eos objectum eſt?* II. *Hæreticorum baptiſmus ante* D. Cyprianum *condemnatus eſt, & pro nullo habitus.* III. *Quæ de*

de Romanâ Eccleſiâ affert vir doctus, ſententiam noſtram confirmant. Quare Donatiſtæ *hæreticorum baptiſmum reſpuebant? S.*Auguſtinus *baptiſmum ſine Evangelicis verbis collatum, nullum eſſe pronunciavit.* IV. *S.*Baſilius *hæreticorum quorumlibet baptiſmum repudiavit: Et Canonis Apoſt. XLVI. de hâc re editi meminit. Qui tamen Canon de antiquis tantum hæreticis intelligendus eſt.* V. *Canonibus* Nicænis *cum A*poſtolicis *optimè in hâc re convenit.* Παυλιανισταὶ *à Synodo Nic. quinam dicti? Eorum ordinatio æque ac baptiſmus exploditur.* VI.*Hujus capitis, librique ſecundi Epilogus.* p. 327.

LIB. III. CAP. I.

I. *Canon Apoſt. LXIX. de* Quadrageſimali *necnon* Quartæ ſextæque feriæ *jejunio, hoc libro vindicatur.* II. Jejunium Quadrageſimale *ante An. Dom.CCCLXX. paſſim celebratum fuiſſe, ipſe fatetur Dallæus. Idem ante An. Dom.CCCLXV. obſervatum fuiſſe, è Synodo Laodicenâ probatur.* II. *Synodus Nicæna* Quadrageſimam, *non minus quam* Autumni tempus, *ubique & omnibus notam ſupponit.* IV. *Id ipſe* Dallæus *negare nequit. Quod noſtræ de* Canonum Apoſtolicorum *antiquitate opinioni vindicandæ ſatis eſt.* p. 337.

CAP. II.

I. Quadrageſimam *à Syn.* Nicænâ *memoratam unius, vel duorum, vel ad ſummum ſex dierum fuiſſe opinatur Dallæus: eamque opinionem duabus conatur firmare rationibus. Quibus reſpondetur. Quid per* Purum munus *iſto tempore oblatum intelligendum ſit.* II. *Eodem quo habita eſt Synodus Nic. ſeculo* Quadrageſimam *XL. dierum fuiſſe ex* D. Ambroſio, Gregorio Nazianzeno, *aliiſque demonſtratur.* III. *Exinde Quadrageſimam à* Syn. Nic. *memoratam XL. dierum fuiſſe legitimè concludatur.* IV. *Idem ex ipſâ voce* τεσσαρακοστὴ *à Synodo uſitatâ evincitur.* p. 343.

CAP. III.

I. *Ex eo quod alia nonnunquam Jejunia* Quadrageſimæ *nomine nuncupentur, opinio illa quæ antepaſchale XL. dierum fuiſſe ſtatuit, confirmatur potius quam deſtruitur.* II. *Argumentum è S.* Hieronymo *ſumptum, ex eodem eliditur. Vox* Quadrageſima *poſterioribus ſeculis commune fuit omnium jejuniorum nomen.* III. *Palmario è* Socrate *petito argumento reſpondetur.* p. 350.

CAP. IV.

I. *Argumentum è Caſſiano petitum refellitur, eumque* Quadrageſimam *eò dictam putâſſe oſtenditur, quòd* Quadraginta *dierum eſſet.* II. *Vocis* Quadrageſimæ *ratio à* Dallæo *exinde ſumpta, quod XL. horarum eſſet jejunium.* III. *Iſtam rationem nequaquam admitti poſſe probatur, ex eo quod iſtiuſmodi jejunij nuſquam in omni antiquitate, nedum in* Synodo Nicænâ *mentio fiat.* IV. Rigaltij *de hujus nomenclaturæ ratione conjectura à* Dallæo *laudata, refellitur. Ea* Dallæanam *ſententiam deſtruit.* V. *Vera vocis* Quadrageſimæ *ad jejunium antepaſchale denotandum uſitatæ ratio explicatur.* Τεσσαρακοστὴ *à* quadrageſimo *die ante Paſcha vocatur, ut* πεντηκοστὴ *à* quinquageſimo *die poſt Paſcha.* VI. *Quo ſenſu vox* τεσσαρακοστὴ *à* Synodo Nicænâ *uſurpatur.* p.355.

CAP. V.

I. *Teſtimonia pro jejunio Quadrageſimali è S.* Athanaſio *petita, ab exceptionibus vindicata.* II. Euſebij *Teſtimonium de Quadrageſimâ, ex eo ſumptum, quod is* Therapeutarum *ritus, ut à Philone deſcriptos, à Chriſtianis ſuâ ætate obſervatos eſſe aſſeruerit.* III. Therapeutas *plerique* Eſſenos *fuiſſe opinantur. Cujus opinionis fundamentum evertitur. Quantum diſcriminis* Eſſenos *inter &* Therapeutas *fuerit.* IV. *Inter* Therapeutas *&* Chriſtianos *tanta fuit convenientia, ut* Euſebius *eos Chriſtianos fuiſſe crederet. Sic etiam D.* Hieronymus *&* Epiphanius. *Quorum verba vindicantur & explicantur.* V. *Nulla datur ratio eos non fuiſſe Chriſtianos evincens. Argumentis ex eo petitis quod antiquos autores & Allegoricas ſcripturas habuerint, reſpondetur.* VI. *Aliæ contra hanc Patrum opinionem exceptiones diluuntur.* VII. *Haud mirum eſt quod* Therapeutæ *hymnos & cantica Deo canerent, etſi* Chriſtiani *fuiſſent. Iſta conſuetudo in Eccleſiâ ſemper obtinuit. Illi iiſdem quibus* Chriſtiani *in canendo ritibus uſi ſunt, ut Antiphonis &* ἀκροτελευτίοις. VIII. *In jejuniis etiam peragendis* Therapeutis *cum* Chriſtianis *optime convenit. Nulla ſecta tot regiones iſtis diebus peragraverat, quot Philo* Therapeutas *incoluiſſe tradit, præter* Chriſtianos. IX. *Quare ea, quæ* Therapeutas Chriſtianos *fuiſſe ſtatuit, opinio nobis probabilis videtur. Ex eo ſaltem quod antiqui Patres ita ſenſerint, jejunij Quadrageſimalis antiquitas evincitur.* p.364

CAP. VI.

I. Conſtantini *M. verba de jejunio Antepaſchali explicata.* II. Dionyſij Alexandrini *reſponſio de ſolutione jejunij Antepaſchalis. Quantâ religione ultimi ſex Quadrageſimæ dies antiquitus obſervati ſunt.* III. *Non modo paraſceve & ſabbato magno, diebus illis quibus ablatus eſt ſponſus, ſed & ante eos celebratum fuiſſe jejunium, ex ipſo* Tertulliano *probatur.* IV. *Dies illos jejunio Antepaſchali conſecratos, quadraginta fuiſſe, ex* Origene *Tertulliano æquali demonſtratur. Cujus verba ab exceptionibus vindicantur.* V. *Illuſtre pro jejuniis Antepaſchalibus è Synodis iſtis, quæ ſecundo exeunte*

unte ſeculo de paſchali feſtivitate celebrandâ habitæ fuerunt, argumentum aſſertum & explicatum. p.383.

CAP. VII.

I. Irenæi *verba de diverſis jejunij Antepaſchalis formis. Ea nonnulli ita interpretantur, ac ſi Quadraginta horæ antiquitùs à nonnullis jejunatæ eſſent.* II. *Iſta interpretatio refellitur, ex eo quod talis jejunij nulla in antiquitate occurrat mentio, quodque verba* Irenæi *iſtum ſenſum non ferent.* III. *Vera iſtorum verborum interpretatio explicatur & defenditur. Quid ſit* per horas diutnas nocturnaſque jejunare? IV. *Ex illis verbis evincitur, accuratam eſſe jejunandi formam, quâ XL. dies jejunati ſunt. Quod etiam è proximis ejuſdem verbis fuſe explicatis confirmatur.* V. *Ex iſtis* Irenæi *verbis probatur accuratam jejunandi ante Paſcha formam, ipſo* Irenæo *judice, eam eſſe quâ XL. dies jejunio iſti conſecrantur.* VI. *E præmiſſis* Irenæi *verbis & illis quæ ea ſequuntur, jejunium Quadrageſimale ab ipſis Apoſtolorum diebus religioſe obſervatum fuiſſe demonſtratur.* p. 393.

CAP. VIII.

I. D. Hieronymi, *jejunium Quadrageſimale ad Apoſtolicam traditionem referentis, verba ab exceptionibus defenduntur.* II. *Illum Quadrageſimam credidiſſe æque antiquam fuiſſe & ab Apoſtolis inſtitutam atque ipſam diem Dominicam, ex ipſius verbis demonſtratur.* III. *Idem aliique jejunium Quadrageſimale neceſſario obſervandum eſſe ſtatuerunt. Unde Apoſtolica ejuſdem inſtitutio evincitur.* IV. *Argumento è* S. Auguſtino *contra Apoſtolicam hujus jejunij inſtitutionem petito, reſpondetur, eumque nobis conſenſiſſe oſtenditur.* V. *Ea ſententia, quæ hoc jejunium ab Apoſtolis traditum ſtatuit, aliis veterum tum Latinorum quam Græcorum patrum teſtimoniis confirmatur.* p.403.

CAP. IX.

I. Ἀνακεφαλαίωσις *eorum quæ de jejunio Quadrageſimali hactenus dicta ſunt. E quibus Apoſtolica ejuſdem inſtitutio infertur.* II. *Idem ex eo probatur, quod etiamſi ubique obſervatum, Eccleſiaſtica tamen authoritate nunquam inſtitutum fuit. Juxta auream D.* Auguſtini *regulam, quæ defenditur & explicatur.* III. *Noſtra de Apoſtolicâ hujus jejunij inſtitutione opinio explicata. Dies,* quibus ablatus eſt ſponſus, *ipſi Apoſtoli jejunio tranſegiſſe, aliiſque jejunandos tradidiſſe videntur.* IV. *Quadraginta dierum jejunium ab aliis primo ſuſceptum videtur, ſed ab Apoſtolis poſtea traditum ab iis, qui illud ferre poterant, ſuſcipiendum.* V. *Ex hâc hypotheſi, quicquid in antiquitate de hoc jejunio dictum fuit & clarum eſt, & ſibi conſtans.* VI. *Prudentis eſt Chriſtiani, hoc jejunium religioſe quotannis obſervare: ut è quo nihil incommodi, ſed multum utilitatis emergat.* VII. *Quomodo hoc jejunium antitiquitùs obſervatum fuit, & adhuc obſervari debet.* p.411.

CAP.

CAP. X.

I. *Jejunium* quartæ ſextæque feriæ *in Canone Apoſt. LXIX.memoratur & injungitur. Unum ſine altero in antiquitate nuſquam occurrit.* II. *Has duas ferias antiquitus religioſe obſervatas fuiſſe, & jejunio dicatas è* Baſilio M. Hieronymo, Epiphanio & Conſtitutionibus Apoſt. *probatur.* III. *Idem è* S. Auguſtino & Petro Alexandrino *demonſtratur.* IV. *Eaſdem ferias etiam tertio ineunte ſeculo jejunio conſecratas fuiſſe ex* Origene & Clemente Alexandrino *evincitur.* V. Tertullianus *has duas ferias* ſtationibus *dicatas aſſerit.* VI. *Vera* Stationum *notio inquiritur.* Tertullianus *ſtationes & jejunia nonnunquam diſtinguit. Alibi jejunia ſtationum nomine appellat. Quo ſenſu vox ſtatio & ante & poſt Tertullianum uſitata eſt.* VII. *Stationes breviora erant jejunia, horâ nonâ terminata. Et quartæ ſextæque feriis peculiaria.* VIII. *Exceptiones contra argumentum pro his jejuniis è* Tertulliano *petitum diluuntur.* IX. *Hæc jejunia longe ante* Tertullianum *obſervata fuiſſe ex* Hermæ Paſtore *oſtenditur. Unde ab ipſis Apoſtolis inſtituta videntur.* p.421.

F I N I S.

Errata Typographica.

Leviora ſi quæ occurrant, præſertim in punctis, condonet benevolus Lector, graviora ſic corrigat.

Pag.13.lin.11.l.ſolliti. p.16.l.8.patribus. ib. l. 20.orthodoxos. p.42.l.ult. Flaviani. p.79.l.7.loci. p. 84. l. 28. [illegible] ib. l. 29. [illegible] p.90. l.41. κατὰν. p.94. l.4. ſcholis. p.101. l.6. conſuetudinem. p.102.l.9.totam. ib.l.10.ſuorum. p.123.l.27.affirmanti fidem. p.140.l.12.διαλέκτῳ. p.163. l. 19. collegiſſet. p. 177. l. 14. quomodo &c. p.179.l.11.prolatæ. p.183.l.28.protulerunt. p.195.l.26. Eccleſiæ Paſcha. p.198.l.22.Unicuique. ib.l.32.intererant. p.240.l.30.Londinum. p.257.l.36.reſipiſcentes. p.259.l.26.ἁγνείας. p.261.l.30.filiis. p.270.l.25. ſententiæ. p. 286. l. 17. ἔγραφεν. ib.l.39. ἡμῶν. p.289.l.18.[illegible]. p.302.l.30.Epiſcoporum. p.305.l.20. nemine. p.329.l.15. inſtitutam. ib.l.19.viguit. p.343.l.8.παρασκευῇ. p.344.l.33.æque ac. ib.l.34.non. ib.l.35. quo tota. ib.l.36.quadrageſimali. p.348.l.12.commenſuratum. p.377.l.36.eundem. p.379. l. 26.cupiditate. p. 397.l.14 omnes.

619219

1652

Î 2

Digitized by Google